

Elliot /1826/

LVDOVICI CASPARI VALCKENAERII

OPVSCVLA

PHILOLOGICA,


CRITICA, ORATORIA,

NVNC PRIMVM



CONIVNCTIM EDITA.





ACCEDVNT INDICES.

TOMVS I.

LIPSIAE

APVD GERHARDVM FLEISCHERVM IVN.

CIↃIↃCCCVIII.

PRAEFATIO.

In summis, quibus LVDOVICI CASPARI VALCKENAERII opuscula merito celebrantur, laudibus vix verendum videtur, ne futuri sint, qui eorum collectionem inutili consilio susceptam esse criminentur, eoque minus, quod nonnulla in his oris iam infrequentiora fieri coeperunt. Disponere visum est ita, ut, quae ex philologico et critico essent genere, priorem locum tenerent, tum sequerentur Orationes, servata utrobique temporis ratione, quo scripta quaeque sunt vel in lucem emissa. Et primo quidem Tomo continentur haec:

I. *Dissertatio philologica de ritibus in iurando a veteribus, Hebraeis maxime et Graecis, observatis. Pars I. praeside Emone Lucio Vriemoet, ling. Orient. Prof. Franequerae* MDCCXXXV. . . Pag. 1.

II. *Eiusdem dissertationis Pars II. Praeside et anno eodem.* . Pag. 53.

Hae dissertationes, in quibus tirocinium posuit Valckenaerius, recusae leguntur in Collectione Opusculorum historico-philologico-theologicorum, Bremae 1768. in 4. editorum, Tom. I. P. II. p. 193. seqq.

III. *Dissertatio de Byrsa, Phoenicio arcis Carthaginiensium nomine.* Pag. 103.

IV. *Schediasma de Herodotea urbe Cadyti, et praelio Iosiae regis, in campo Megiddo, cum Aegyptiis commisso.* Pag. 153.

V. *Glossae sacrae ex Hesychio.* Pag. 173.

Tres istae scriptiones coniunctim prodierunt Franequerae 1737. in 4.

VI. *Observationes ad aliquot Hesychii* λέξεις Ὁμηρικάς. (E Miscell. Obss. Critt. Vol. III. T. I. p. 148. seqq.) Pag. 203.

VII. *De Hygini fragmento Dositheano schediasma.* (E Miscell. Obss. Critt. Vol. X. T. I. p. 108. seqq.) Pag. 235.

VIII. *Observationes quibus via munitur ad origines graecas investigandas et Lexicorum defectus resarciendos.* (Praemissae Io. Dan. a Lennep Praelectionibus academicis de analogia linguae Graecae.) Pag. 253.

Scriptas esse has observationes ante annum 1743. ex iis colligere licet, quae p. 278. nostrae edit. leguntur: „monuit me summus *Tiberius Hemsterhusius* ad *Luciani* Promethea, *operum, quae etiamnum sub prelo sudant, Vol. I.*" et: „*Moyses Solanus, notis in Lucianum*, ut speramus, *brevi nobilitandus.*" Erat illo tempore Valckenaerius adhuc iuvenis, ut non tam illud mirandum sit, commenta, quae protulit, non esse Valckenaerio viro digna, quam, fieri potuisse, ut, quae revera sunt somnia febricitantis, a plurimis iisque doctissimis hominibus oraculorum instar haberentur. Ipse provectior aetate numquam in talia relapsus est.

IX. *Epistola ad Virum Nobilissimum Matthiam Roeverum, Iurisconsultum.* (Praemissa Virgilio collatione scriptorum Graecorum illustrato opera et industria Fulvii Vrsini.) Pag. 317.

Reliqua brevibus intervallis subsequentur: interea, Lector, his fruere. Vale ac fave. Scrib. mercatu vernali cIↃIↃcccviii.

E.

I.

LVDOV. CASPARI VALCKENAER

DISSERTATIO PHILOLOGICA

DE

RITIBVS IN IVRANDO

A VETERIBVS,

HEBRAEIS MAXIME ET GRAECIS,

OBSERVATIS.

PARS I.

PRAESIDE

EMONE LVCIO VRIEMOET

LING. ORIENT. PROF.

FRANEQVERAE MDCCXXXV.

CONSPECTVS DISS. GENERALIS.

Partis I. Cap. I. De manu inter iurandum elevata. Cap. II. De vocabulo חוט Gen. XIV, 23. obvio disseritur. Cap. III. De tactis in iurando corporis humani membris. Cap. IV. De tactis in iurando aliis rebus sacris.

Partis II. Cap. V. de locis, in quibus veteres iureiurarunt, sacris. Cap. VI. De variis probationibus, quas olim iuraturi subiere. Cap. VII. De tacto inter iurandum, in familia Patriarchali, femore, ad illustr. Gen. XXIV. 2 et 9. XLVII, 29. Cap. VIII. De diis, per quos antiquitus iurarunt, spicilegium.

L E C T O R I S.

Nosti, lector benevole, humanum genus postquam coeperat in peius ruere, fidem nusquam tutam; nec ulli saepe quicquam prius, quam summum numen veri testem invocasset et vindicem, fuisse concreditum. Nosti, varios varias gentes, quibus Deum sibi praesentem sisterent, observasse ritus. Quinam hi, et quot fuerint, hac dissertatione constitui disquirere, nonnulla de diis, per quos antiquitus iurarunt, aliaque ad hanc rem non adeo definite spectantia, data occasione additurus.

At! videor audire, qui talem elegisse me materiam, qua de iam egerint quidam, vitio mihi vortat;

Medioque sole quid tu cum lumine?

inquiat. Verum enim vero revocet sibi is in memoriam, Moabitidem illam iuvenem messorum legentem vestigia, spicas invenisse, quas illi, seu scientes

A 2

seu incurii praetermiserant; tum veteris aevi pervolutet monumenta, et tam grande hic superesse spicilegium,

Labori faber ut desit, non fabro labor,

ut ait ille, confitebitur. Ego, horis subcisivis, quibus dulces hasce Musas excolui, licet ex iis perlegerim pauca, plura tamen ab aliis haud observata deprehendi, et, cum nullus ex professo, quod sciam, de ritibus iurisiurandi egisset, si paulo accuratius hanc materiam pertractarem, non ingratum me facturum duxi. Hic illic autem quosdam ritus adnotarunt, qui in genere de veterum iureiurando egerunt; inter quos principem locum tenet IOH. BAPTISTA HANSENIVS, cuius *de veterum iureiurando* liber primum *Tolosae MDCXIV in 4.* prodiit, quem politiorum litterarum decus IOH. GEORG. GRAEVIVS iudicavit dignum, qui *Thesauri antiquitatum Rom. Tomo v.* insereretur; iuxta cum exiguae molis libello *de iureiurando*, qui STEPH. TRELIÉRIVM auctorem habet, et ERYCII PVTEANI de *iureiurando antiquorum Iudicum* Schediasmate. Exstat praeterea IAC. LYDII dissertat. Philol. Theologica *de Iuramento*, quam post auctoris obitum vulgavit SALOMON VAN TIL, subiunctam eiusdem LYDII syntagmati, *de re militari Dordraci MDCXCVIII in 4.* De veterum inprimis Romanor. iureiurando singularem librum scripsit THEOD. REGNERVS DE BASSENN ed. *Traiecti ad Rhenum MDCCXXVIII.* Quaedam in hanc rem reperiuntur in notis, quibus I. C. DITHMARVS, MAIMON. *hilcoth Schebuoth* illustravit, et alibi. Dissertationes IOH. NICOLAI et ANDR. ADAMI HOCHSTETTERI, de iuramentis nunquam legi.

Caeterum, si qua tibi L. B. legenti occurrant, quae ab aliis licet dicta mihimet ipsi adscriberem,

velim, id insscientem fecisse, existimes; illos, qui alienis gloriantur bonis, vel ab aliis decies dicta, ὀλίγα ἐναλλάττοντες, uti iam LVCIANI aevo solebant Rhetores, nova quadam specie induunt, solitum dedignari.

C A P V T I.

DE MANV INTER IVRANDVM ELEVATA.

Hebraei *iurantes*, manus *ad coelum* levarunt. *Per* הרמתי ידי, Gen. XIV, 22. *non, quod vult Onkelos, preces, sed iusiurandum intelligendum, probatur. Deus saepe in S. levatis manibus dicitur iurasse. Cur iureiurando promissa sua sanciverit Deus? Manuum elationem apud* Romanos *in usu fuisse ex numis firmatur. Idem ritus apud* Graecos *notus.* F. ROVS *notatus.* Christiani *manum non tantum, sed et duos tresve manus* dextrae *sustulerunt* digitos. *Quidnam huic iurantium gestui dederit* originem *disquiritur?* In precibus *fundendis* idem gestus *observatus. Iusiurandum legitimum* ad Dei Gloriam *tendit. Vltimo loco* Iudaeos stantes *iurasse probatur.*

Ritus simplicissimus iuxta et antiquissimus, in solemnioribus iurandis observatus, quo de in ipso dissertationis limine paucis acturus sum, manuum fuit elevatio ad coelum. Isto ritu Deum dicendorum invocantes testem, sibi quasi praesentem reddebant, metuque numinis, ne ὅρκους (ut AGATHIAE περὶ τῆς Ἰουστινιανοῦ βασιλείας Τομ. α. pag. 19 Edit. Lugd. Bat. MDXCIV. utar verbis) iurarent ἐπιόρ-

κους, absterrebantur. Antiquis iam temporibus, secus ac alii volunt, gestum hunc adhibitum fuisse in iurando, Abrahami docet historia. Praedam scilicet hostilem Abrahamo offerebat Rex Sodomae; at ille, nihil se ex ea accepturum, iureiurando confirmat: *Levo* (inquit Patriarcha, *Genes.* XIV. 22.) *manum meam ad Iehovam Deum excelsum, possessorem coeli et terrae: non a filo usque ad calceorum ligulas; nihil,* inquam, *sumam ex omnibus, quae tua sunt.* הרמתי ידי אל יהוה אל עליון קנה שמים וארץ אם מחוט ועד שרוך נעל ואם אקח מכל אשר לך Si quis dicat, elationem manus heic loci non esse iurantis, sed preces fundentis gestum, secutus Paraphrasteu ONKELOS, ita hunc versiculum 22 vertentem: ארימית ידי בצלו קדם יהוה אל עלאה דקניניה שמיא וארעא *levo manum meam* in oratione *coram Deo excelso, cuius possessio coelum et terra est;* sciat is, Paraphrasteu hunc per *orationem* forte iusiurandum intelligere; uti existimat GVALTPERIVS apud CHRISTOPH. CARTWRIGHTVM *in adnotat. ad h. l.* Eodem quoque sensu SENECA iusiurandum illud, ipsis diis formidandum, *Stygias preces* appellitat, ex gr. *in Oedipode vs.* 621. Verum utut sit, tanti non est facienda unius auctoritas, ut reliquis interpretibus sit anteponendus, qui uno ore iurasse Abrahamum *hoc in l.* affirmare haud dubitant; praeter IONATHANEM et, quos ad hunc l. consului, RASCHI et ABENEZRA, ARABS ita habet: رفعت بدي حالفا تالله القادر *levavi manum meam*, iurans *per Deum potentem; etc.* Consueta denique in iureiurando sacro additur formula, *si a filo usque ad corrigiam caligae quicquam sumam. tunc* sc. *τάδε ποιήσει μοι ὁ Θεὸς, καὶ τάδε προσθείη.* uti alibi loquitur Scriptura.

Caeterum eandem phrasin, qua hic usus Abra-

ham, Deus ipse saepissime in S. legitur adhibuisse, promissa sua iureiurando firmans, *non sui causa*, verba sunt GEIERI, *Comment. ad Ps. CX, 4. col. 2070, vel ac si in se veritati quid accederet, sed in usum nostrum, ut tanto citius reprimatur omnis haesitatio aut dubium.* Sic *Ezech. XLIV, 12.* נשאתי ידי *levavi manum meam etc. Ps. CVI, vs. 26.* וישא ידו להם *et levavit iis manum* בשבועה in iureiurando, uti addit, notante BYTHNERO, CHALDAEVS. Plura loca citata vide apud GEIERVM *ad Ps. cit. CVI, 26.* DRVSIVM *animadvers. libro* II. *cap. XVI. pag. m. 161.* LYDIVM *loco iam iam citando.*

Quo iis, quae dicturus erat, certior constaret fides, dextram et sinistram ad coelum elevat angelus, *Danielis ult. cap. vs. 7. Et audiebam hominem lino indutum, — qui elevabat dextram suam et sinistram ad coelum, et iurabat per viventem in aeternum* וירם ימינו ושמאלו אל השמים וישבע בחי העולם. *Alteram* solummodo levasse dicitur ille in *Apocal. X. 5, 6.* ἦρε τὴν χεῖρα αὐτοῦ εἰς τὸν οὐρανὸν, καὶ ὤμοσεν ἐν τῷ ζῶντι εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Consuli possunt de ritu hocce ap. Hebr. usitato BEN. ARIAS MONTANVS *Antiquit. Iudaicarum libro VIII. m. Tom. V. Bibl. Critic. pag. 768.* ANTON. CREGVTVS in libro, quem inscripsit גלי רזיא *i. e. revelator arcanorum cap. VIII. pag. 369. et seqq.* ubi et in genere de formulis iurisiurandi, aliisque ad hanc materiam spectantibus fusius agit.

Ab Hebraeis ad Romanos hunc morem transiisse, censent saepius mihi citandi IAC. LYDIVS *dissert. sacra de iuramento, Syntagmati S. de Re militari suffixa cap. IV. §. 2. et* THEOD. REGNERVS de BASSENN. *libro sing. de Iureiurando Vett. inprimis Rom. pag. 52. seq.* qui et post PE-

RIZONIVM nummum citat, in quo duo Impp. elatis dextrae manus prioribus digitis concordiam sibi invicem iurantes conspiciuntur; qui gestus et in plurimis aliis observatur. Confer IAC. de STRADA, Antiquarii Mantuani *Epitomen Thesauri Antiquitatum, ed. Tigur. MDLVII. in 8. pag. 92.* *) ubi numisma invenies, ab una parte caput Imperatoris repraesentans, additis verbis:

PESCEN. NIGER. IMPERATOR.

ab altera, statuam muliebrem manus extendentem, cum inscriptione:

FIDES MILIT.

pag. 155. in numismate quodam aereo Imp. ANNIVS TACITVS conspicitur, dextram elevans; indicans isto gestu, se pacem, quam afferebat, iureiurando constabilire. Vide ad haec *pag.* 117, 135, 208, 250, etc.

Ego potius crediderim, Romanos hancce consuetudinem a Graecis accepisse. Non enim tantummodo deos suos manus tollere iurantes fingebant, quod vult eruditus Anglus F. ROVS, *Archaeologiae Atticae libri VI. cap. V.* ita enim, inquit, apud poetam Apollo Lachesin iubet χεῖρας ἀντεῖναι. Reperitur, quem innuit, locus apud PINDARVM, *Olymp. Ode VII.*

> Ἐκέλευσεν δ' αὐτίκα
> χρυσάμπυκα μὲν Λάχεσιν
> χεῖρας ἀντεῖναι, θεῶν δ' ὅρ-
> κον μέγαν μὴ παρφάμεν.

*) Edidit IAC. hicce STRADA *an. MDLI. Thesaurum Antiquitatum, sive Icones Imperatt. Rom. Orientalium et Occid. ex antiquis numismatibus delineatas*, quem librum inter rarissimos esse, vir doctus me edocuit. Paucis dein annis interiectis maioris compendium Epitomen vulgavit. Confer PHIL. LABBE *Biblioth. numariam subiunctam Teissierio, pag. 447.*

Iussit igitur statim, aureo redimitam reticulo Lachesin manus porrigere, deorumque iusiurandum magnum non fallere. Non, inquam, tantummodo deos, sed et homines elatis manibus iusiurandum praestitisse, quibusdam exemplis probabo. Depinxerat Apelles calumniam, manu dextra adolescentem secum rapientem, qui manus ad coelum tendens deos invocaret testes: LVCIANVS περὶ τοῦ μὴ ῥαδίως πιστεύειν διαβολῇ, pag. m. 1575. τῇ ἑτέρᾳ δὲ νεανίαν τινὰ τῶν τριχῶν σύρουσα, τὰς χεῖρας ὀρέγοντα εἰς τὸν οὐρανὸν, καὶ μαρτυρόμενον τοὺς θεούς. Chariclia, Aethiopum Regis licet filia, graecos tamen edocta mores, τὰς δὴ χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν ἀνατείνασα, καὶ βοῶσα ἐξάκουστον, Ἥλιε γενεάρχα προγόνων ἐμῶν, ἔλεγε, θεοί τε ἄλλοι, καὶ γένους ἡμετέρου ἥρωες καθηγεμόνες, ὑμεῖς ἐστε [μοι] μάρτυρες, ὡς οὐδὲν ἐρῶ ψεῦδος. HELIODORVS, *Aethiopicorum libro X. pag. m. 472.* Vertit COMMEL. *manus igitur in coelum tendens, cum clara voce exclamasset, Sol auctor generis maiorum meorum, aiebat, et alii dii, ac heroes maiores nostri, vos eritis testes, quod nil falsi dicam.* Adde *lib. VIII. p. 384.* Imo censeri posset elatis iurasse manibus Agamemnon apud HOMERVM *Iliad. T.* vs. 254.

- - - - Διὶ χεῖρας ἀνασχὼν,
Εὔχετο - - - - - - -
Εὐξάμενος δ' ἄρα εἶπεν, ἰδὼν ἐς οὐρανὸν εὐρὺν,
Ἴστω νῦν Ζεὺς, πρῶτα θεῶν, κ. τ. ἁ.

Iovi sublatis manibus precabatur. Conceptis autem precibus dixit, coelum altum adspiciens, testis nunc sit Iupiter deorum princeps etc.

Iurantium gestus hicce apud Hebraeos, Graecos Romanosque usitatus, posteriorum saeculorum Christianis haud fuit ignotus. GREG. TVRONENSIS

libro 1. de mirac. cap. XXXIII. cum elevatis manibus sacramenta proferrent. quem l. uti et alia hanc in rem citat stupendae lectionis et eruditionis vir CAR. du FRESNE *D. du Cange, Glossario ad script. mediae et infimae latinit. Tomo II.* voce *Iuramentum pag. 156.* Adde locum, quem alia occasione ex eodem profert GREGORIO vir candidus PETRVS le BRVN, *Histoire Critique des pratiques superstitieuses, qui ont seduit les peuples, et embarassé les savans, Tomo II. libro V. cap. II. pag. m. 81. ed. noviss. MDCCXXXIII.* GREGORII, de scelere quodam hominis loquentis, verba haec sunt: *Tamen, si ita te vana fiducia cepit, quod Deus vel sancti eius in periuriis non ulciscantur, ecce templum sanctum, e contra iura ut libet. Nam calcare limen sacrum non permitteris. At ille elevatis manibus ait: Per omnipotentem Deum, et virtutem beati Martini antistitis eius, quia hoc incendium non admisi!* et reliqua.

Interdum iurabant *elatis tribus digitis*, interdum *duobus* tantummodo; quod et apud nos in solenuioribus iurandis remansit; illud, in confessionem, uti aiunt, Sanctae Trinitatis, hoc in confess. duarum in Christo naturarum, quae sane longius petita.

Ex iis, quae dixi, cum satis liqueat, consuetudinem tollendae in iurando manus ab antiquo iam fuisse receptam; nae cum BASSENNIO subit demirari, virum minime in antiquitate hospitem, HANSENIVM, illam huius aevi inventum nuncupare, a veteribus in precibus solummodo usurpatam, *libro cit. de Iureiurando Veterum cap. XII. pag. 833. Tomi V. Antiq. Rom.* Ergo laudati DV FRESNE memoriae vitium est, quod caput illud XII. HANSENII, ut de ritu isto olim noto agens, adduxerit.

Quidnam huic manuum elevationi originem dederit, indagatu perquam facile est, cum notum sit, eundem hunc gestum ab illis adhibitum fuisse, qui Deum invocarent, eiusque opem expeterent: unde phrasis extendere, *elevare manus*, quam pro *iurare* positam diximus, saepissime pro adoratione cultuque divino in sacris litt. ut et apud alios scriptores usurpatur. *Ps. XLIV. 21. Ps.* CXXXIV. 2. *Ps.* XXVIII. 2. *Es. I. 15.* Hinc David, *manus meas,* inquit, *levabo ad praecepta tua Ps. CXIX, 48.* id est, orantium instar ea expetam, et, quo ea exsequar, omnibus viribus annitar. Phrasis in N. T. occurrit, ἐπαίρειν ὁσίους χεῖρας, 1 *Tim. II, 8. sanctas manus elevare, puras et inculpatas,* ad quem l. vide ABRAH. SCVLTETVM contra BARONIVM disputantem. Quidquid autem dicat, quidquid alii velint, rectissime ὁσίους χεῖρας verti existimem *puras manus;* Apostolum alludere arbitratus ad lotionem manuum, ante preces apud Iudaeos et Gentiles fieri solitam. Exempla vide apud MATTH. BROUERIVM de NIEDEK, *de adorationibus veterum pag. 132. et seqq.* PAVL. MERVLAM *de sacrificiis Roman. cap.* II. ELMENHORSTIVM *ad Apul. Metam. XI. p. 304. seqq.* et alios. *) De manu a precantibus ad coelum porrecta, praeter BRISSONIVM, *de Form.* eundem conf. *de Adorat. Vett.* de NIEDEK *cap. XXI. pag.*

*) Vid. et de manu lota ante preces, EVRIPIDES in *Oreste vs.* 1606. Ἁγνὸς γὰρ εἰμὶ χέρας, *puras habeo manus.* HOMERVS *Iliados Ω, vs. 303. Ib. 1. vs. 171.* et infinitis in locis. Manum non tantum precaturi lavabant, sed et puras induebant vestes. *Odyss.* IV. 750. et 759.

— — καθαρὰ χροῒ εἵμαθ' ἑλοῦσα

— — — ἠρᾶτο δ' Ἀθήνῃ.

POLLVX in *Onomast. l. 1. cap. 1.* περὶ τῶν προσιόντων θεοῖς *Segm.* 25.

200. et nummos, quorum ectypos dat, *ad pag.* 185. FRANC. MONCAEIVM, *de vitulo aureo, libro II. cap. VII.* Paucis, quae apud hos invenies, sequentia adde: EVRIPIDEM *in Hercule Furente, vs. 498.* et in *Electra vs. 592.* Syenenses summis in periculis constituti, *manus ad coelum tendunt, quod spei reliquum erat, deos servatores invocabant.* χεῖρας εἰς οὐρανὸν αἴροντες, τὴν ὑπολειπομένην ἐλπίδα, θεοὺς ἐπεβοῶντο σωτῆρας. HELIODORVM *Aethiop. lib. IX. p. m.* 413. POLLVCEM *in Onomast. I. 1. cap.* 1. εὔχεσθαι θεοῖς, ἀνατείνειν τὰς χεῖρας. Hinc AESCHYLVS λιτὰς *preces*, χειροτόνους nuncupat, *expansis manibus fusas.* in Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις *vs.* 178.

Atque ab hoc fonte dein eundem, et a precantibus, et ab iis qui iurarent, gestum fuisse adhibitum, licet aliter sentiant quidam, certissimum videtur. Vt adeo vel hinc quodammodo liqueat, quam licitum legitimumque sit iusiurandum, cum eodem modo in precibus et in iureiurando Dei nomen invocetur; quae invocatio religiosum hunc actum Deo reddit gratissimum; eo ipso enim iurantes Deum agnoscunt esse omniscium, cordis et renum scrutatorem, fallere et falli nescium, et quae sunt huiusmodi perfectiones aliae. Vere ergo dixit MAIMONIDES *de Iureiurando, cap. X. §. 1.* השבועה בשמו הגדול והקדוש מדרכי העבודה היא והדור וקדוש גדול הוא להשבע בשמו *Iusiurandum in nomine Dei magni et sancti est modus cultus divini, et honor atque sanctificatio magna est iurare in nomine eius.*

Priusquam capiti finem imponam, post IAC. LYDIVM, observo, Iudaeos *stando* iurasse. MAIMON. *libro cit cap. XI. §. VIII. Et Iusiurandum iudicum ita se habet:* הנשבע אוחז ספר תורה בזרועו והוא עומד ונשבע בשם או בכינוי h. e. *is qui iurat*

sumit librum legis in brachium suum, atque stans *iurat per nomen aut cognomen.* Ad quem l. videatur DITHMARVS, in *notis.* Id. *cap. IX. §. X.* Postea vero עמד בבית הכנסת stans *in synagoga adiurat omnes etc.* Hinc forsan ὁ ἀρχιερεὺς, Christum per Deum vivum ἐξορκίζων, *surrexisse* dicitur, quo stans ipsum adiuraret. *Matth. XXVI,* 62 et 63.

Caeterum, uti manibus elevatis, sic etiam stantes precabantur tam Iudaei, quam Gentiles; quod satis superque probarunt ARIAS MONTANVS *Antiquit. Iudaic. libro VIII, col. m. 275.* BROVERIVS de NIEDEK. *cap. XVIII. De Adorationibus Vett.* quibus adde IOH. DRVSIVM, Commentatorum in Bibliis criticis, si GROTIVM excipias, fere principem, in *notis ad Matth.* VII, 5. Exstat etiam liber gall. cui titulus: *De l'ancienne coutume de prier et d'adorer debout etc. II. vol. in 8. ed. an. MDCCXX.*

CAPVT II.

DE VOCABVLO חוט GEN. XIV, 23. OBVIO DISSERITVR.

Loquendi modus מחוט עד שרוך נעל adagialis *fuit. Recepta* τοῦ חוט *interpretatio reiicitur; nova totius vs.* 23. *cit* cap. Gen. *proponitur. Per* חוט *hoc in loco* vestis captiva *potest intelligi. Quem sensum heic habeat particula* אם? *Rationes quinque proferuntur, quibus* τῷ ח *notionem vestis tribui posse, demonstratur. I. voces,* filum linum, lanam, *denotantes pro* vestibus, *tamquam materia, pro re, ex illa materia confici solita,*

in S. litt. occurrunt. II. vocabula nonnulla, in aliis linguis vestes designantia, nostro natales suos debent. III. argumentum ducitur ex constructione phraseos cum particula מ *sequente* עד. *IV. locus* Syrachidis cap. XLVI. 20. *meae interpretationi favet. V. vestium notio percommodum* h. l. *fundit sensum.* Veterum opes *in* vestium copia *maximam partem fuisse sitas, plurimis exemplis probatur.*

Prolatis iam iis, quae ad scopum meum faciebant, paululum extra limites, quos mihimet ipse praescripseram, lubet evagari. Dicit Abraham eodem, quod in initio huius dissert. citavi, cap. XIV. Gen. 23. se per Deum altissimum iurasse אם מחוט ועד שרוך נעל ואם אקח מכל אשר לך *ne dicas, ego Abrahamum divitem reddidi.* οἱ ὁ vertunt: Εἰ ἀπὸ σπαρτίου ἕως σφιγκτῆρος ὑποδήματος λήψομαι ἀπὸ πάντων τῶν σῶν. κ. τ. ἄ. Vulg. *quod a filo subtegminis usque ad corrigiam caligae non accipiam ex omnibus, quae tua sunt.* Targ. ONKELOS אם מחוטא ועד ערקת מסנא ואם אסב מכל די לך Locutionem hanc, מחוט ועד שרוך נעל qua Regi Sodomae, nihil se ex bonis eius accepturum, testatur Patriarcha, proverbialem esse, recte iam notarunt viri docti, praeter comment. *ad h. l.* IOH. DRVSIVS *Proverb. classe II. l. III. Prov. LXXXV.* ANTON. BYNAEVS *de calceis Hebraeorum lib. I. cap. VII.* §. *V.* aliique; in eo tamen, quasi ex compacto rem egerint, ad unum fere omnes videntur errasse, quod per חוט *filum, rem tenuem et nihili,* per שרוך נעל *calcei corrigiam, rem vilissimam,* adeoque per utramque phrasin eandem rem intelligendam esse existimaverint. Vnicus tamen est, ne quid dissimulem, CLARIVS, qui,

alios hanc phrasin vertere *a vitta capitis ad corrigiam*, i. e. *a capite ad pedes*, affirmet.

Licet hanc longe propius ad veram accedere, quam aliorum interpretationem, nullus dubitem, ego tamen ita potius hunc locum verterem: *non a rebus pretiosioribus usque ad vilissima quaevis, nihil inquam sumam ex omnibus, quae tua sunt*; in eo diversus ab aliis, quod per חוט non *rem nihili*, sed *pretiosam*, proprie *vestem captivam*, hoc saltem in loco intelligendam arbitrer. Quam interpretationem, an quibusdam rationibus possim adstruere, non omni saltem probabilitatis specie, ut videri posset, destitutam esse, ostendere experiar.

Antequam ad id accedam, observandus est usus particulae אם in initio huius versus obviae; quae particula, alias conditionalis coniunctionis vim habens, in iurandis hisce, *) in quibus pars iurisiurandi poenae imprecationem continens, reticetur, pro adverbio negandi in sacris litteris usurpatur. Exempla prostant apud SALOM. GLASSIVM *Philolog. S. lib. III. tract. VII. pag. m.* 517. *b.* IAC. LYDIVM *dissert. sacra de Iuramento, cap. II. §. II.* quibus adde *Numer. XIV.* 23. אם יראו *si*, i. e. *non videbunt, terram* sc. *quam iuravi.* Sic in *N. T.* εἰ eodem in similibus iurandis venit sensu, *Hebr.* IV. vs. 3. εἰ εἰσελεύσονται εἰς τὴν κατάπαυσίν μου; ubi SYRVS interpres habet ܠܐ *quod non*: nec tantum apud sacros, sed et apud profanos scriptores interdum particula εἰ negandi sensu occurrit, si eo velles referre illud εἰ ψεύδο-

*) Vide de hisce iurandis IOH. DRVSIVM *Quaestionum Hebraicarum libro II. Quaest. XIV* et M. GEORG. ALB. HAMBERGERVM *Dissert. de Iureiur. Davidis* ad 1 *Sam. XXV.* 22. inserta *Thesauro Theol. Philol. Tom.* 1. *pag.* 444. *seqq.*

μαι si mentior, i. e. *non mentior*, ex gr. apud EVRIPIDEM *in Cyclope*, vs. 260. et similia.

Sed, hisce missis, ad probandam meam de vocabulo חוט coniecturam accedenti duo incumbunt. I. Probandum est, posse per eam vocem *vestes* intelligi. II. Vestes maximam apud Vett. divitiarum effecisse partem. Quod ad prius attinet, licet ex S. cod. nullum locum possim proferre, in quo 'ח, filum proprie denotans, pro veste, tamquam materia pro eo, quod ex illa materia conficitur, usurpetur, *) aliae tamen voces, *filum*, *linum*, *lanam* significantes, pro vestimentis ex iis confectis in sacra Scriptura obviae, plurimum meae favent opinioni: sic אטון proprie *filum*, *funiculum* denotans, pro linteo ex filis confecto, occurrit *Prov.* VII. 16. מרבדים רבדתי ערשי חטבות אטון מצרים ALEX. vertunt: Κειρίας τέτακα τὴν κλίνην μου, ἀμφιτάποις δὲ ἔστρωκα τοῖς ἀπ' Αἰγύπτου. *Tapetibus stravi lectum meum*, *affabre* (inquam) *factis linteis Aegypti.* Adhaec צמר et פשתה *lana* et *linum* occurrunt pro vestimentis ex ea materia confici solitis, *Hoseae* II, 5. *et dixit*, *sequar amatores meos*, *qui mihi dant panem meum*, *et aquas meas*, צמרי ופשתי *lanam meam et linum meum*, si haec conferantur cum versu 9. eiusdem cap. ad oculum, id quod dixi, patebit; dicit ibi Deus: *auferam lanam meam et linum meum* לכסות את ערותה *ad tegendam nuditatem eius*; seu, quibus tegebat nuditatem, phrasi apud Hebraeos haud insolita; rectissime quoad sensum Graeci vertunt: ἀφελοῦμαι τὰ ἱμάτιά μου, καὶ τὰ ὀθόνιά μου,

---

*) Plurima exempla vocum materiam designantium, pro re ex illa materia confecta, in S. usurpatarum collegere DRVSIVS *Observat. libro ult. cap. XV.* et GLASSIVS *Philolog. S. p. 673.*

τοῦ μὴ καλύπτειν τὴν αἰσχημοσύνην αὐτῆς. Graecam vocem λίνον eodem sensu, ac apud *Hoseam* פשתה, usurpatam reperio apud Iohannem *in Apocal. cap.* XV. versu 6. ubi angeli e templo egressi dicuntur ἐνδεδυμένοι λίνον καθαρὸν καὶ λαμπρόν; ut et apud alios scriptores, HOMERVM *Odyss.* XIII. *vs.* 73.

> Κὰδ' δ' ἄρ' Ὀδυσσῆϊ στόρεσαν ῥῆγός τε λίνον τε
> Νηὸς ἐπ' ἰκριόφιν γλαφυρῆς (ἵνα νήγρετον εὕδοι).

Vlissi vero straverunt stragulum et linteum in pulcrae navis tabulatis (ut molliter cubaret). et POMP. MELAM *de situ orbis libro* III. *cap.* VII. *lino alii vestiuntur aut lanis.* Plura non congeram, cum ex his satis pateat, nihil obstare, quominus et per חוט nostro in loco vestimenta ex filis confecta intelligamus.

Favet *secundo* interpretationi meae significatus, quo vocabulum hoc in aliis linguis gaudet. Interpres ARABS מחוט vertit من خيط; iam vero خيط apud Arabes, notante quodam Lexicographo, notionem habet *aulaei, tapetis;* a خاط *consuere,* unde مخيوط *vestis consuta,* quo modo et nonnulli in Targum, *Gen. XXXVIII,* 25. חוטיא *pallium* reddunt: qui significatus etiam ex simili verbo حاط pro حوط *circumdedit, custodivit,* unde حايط *murus, septum,* illustrari posset. Ex quibus non absque veri specie colligo, antiquitus aut eandem, aut ad eam prope accedentem, חוט habuisse significationem. Sunt et in aliis linguis vocabula, vestimenta designantia, quae forte τῷ 'ח*)

*) GVIDO FABRICIVS in *Dictionario Syro-Chald.* ad vocem ܚܘܛܐ notat, חוטא Chald. etiam pro magno pisci usurpari

suos debent natales; inter quae est graecum χιτὼν, *vestem*, *tunicam* denotans, quod demta terminatione mire convenit cum חוט. *) Nec tamen facile in hanc incidissem etymologiam, nisi Cl. SALMASIVM *in notis ad lib. VIII.* ACHILLIS TATII *de amoribus Clitophontis et Leucippes* a voce similis cum nostra significatus אטון, qua de iam egimus, gr. ὀθόνη **) derivantem vidissem. Existimat LVDOPH. THOMASSINVS *Glossario universali Hebr. hac voce*, commodissime inserto *l* hinc, praeter alia plurima, deduci posse Saxonum *Clath, vestis;* ut et Belgicum nostrum kleedt. Quae originationes an ita commode procedant, lectori iudicandum relinquo.

Tertio velim observari constructionem phraseos מחוט ועד שרוך נעל per particulam מ sequente עד, quas in phrasibus huic nostrae similibus stilo scriptorum sacrorum distributionem denotare, exempla abunde docent. Confer GLASSIVM, *Phi-*

---

in *Zohar. col.* 207. ubi sic scribitur: *Ionas descendit in mare, etc. praeparatus est ei piscis* 'ח *et absorpsit eum.* Verum enim vero istud חוטא esse graecum κῆτος, quo LXX. הדג גדול piscem illum magnum, *Ionae* 1. sunt interpretati, liquido manifestum est, ut adeo vocabulum hocce istis, quae Chaldaei a Graecis serioribus tempp. transumsere, merito sit adscribendum. Horum catalogum exhibet DAVID COHEN de LARA, in exiguae molis libello, cui titulum fecit עיר דויד *m. ed. Amstel.* MDCXXXVIII. in 4. laudatus c. VITRINGA, *Observ. S. l.* 1. *diss.* 1. c. VI.

*) Aut, si mavis, cum Arab. *Cheiton*. Plura certe vocabula graeca ex Arabismo deducenda esse, coniicit HINCKELMANNVS, in erudita *praefatione*, *Corano* praefixa.

**) Eandem derivationem habet STEPHANVS GVICHARDVS *harmonie etymologique des Langues etc. pag. m.* (*ed. Paris.* MDCVI.) 59. ubi et ab אטון vel Chald. אטונא *atouna*, *affabre texuit*, nomen gr. Minervae (quam lanificii etc. usum monstrasse perhibent) ἀθηνᾶ, ἀθήνη, censet deducendum.

lologiae S. libro IV. Tract. I. observ. IV. Ionae III. 5. dicuntur Ninivitae in Deum credidisse, ieiunioque proclamato saccis fuisse induti, מגדילם ועד קטנם *a maximo ipsorum, usque ad ipsorum minimum*, i. e. *tam magnates quam plebs. Estherae I,* 20. iniunctum legitur feminis, ut maritis suis honorem praestent למגדול ועד קטן *a magno usque ad parvum;* quae verba optime interpretatur codex graecus, a IAC. VSSERIO ex Biblioth. Arundelliana in lucem protractus, ἀπὸ πλουσίου ἕως πτωχοῦ, uti observavit IOH. VORSTIVS. Ex hisce satis superque patet, commodissime phrasin nostram posse verti, *a pretiosissimis usque ad vilissima*, h. e. nihil omnino sumam ex omnibus quae tua sunt; uti sequenti phrasi dicta priora explicantur, ואם אקח מכל אשר לך *nihil, inquam,**) *accipiam ex omnibus quae tua sunt.* Hanc vero phrasin priori explanandi ergo fuisse additam, ex plurimis sacri Cod. locis demonstrari potest; quod fecit IOH. VORSTIVS *de Hebraismis N. T. cap.* XXV. Nec tantum Hebraei, eosque secuti N. T. scriptores, sed et aliae gentes, similibus phrasibus universalem enunciationem expresserunt. Arabes, ut semper studiis incumbendum doceant, *quaere* (inquiunt) *scientiam a cunis ad sepulcrum* اطلب علما من المهد الي الهدي ut est in adagiis Arabicis, ab ERPENIO editis. HORATIVS *Sermonum l. I. Sat. III. vs.* 6. 7. cantorum illud perstrin-

*) *Inquam.* Sic vero h. in l. praefixum ו rem dictam repetens et explicans, secutus GLASSIVM, apud quem huius rei exempla prostant. Posset etiam verti, *id est;* ut saepiuscule alias. Vid. IOH. OUTREINII *observationes ad quaed. S. cod. loca,* §. 14. et 15. *Biblioth. Histor. Philol. Theol. Bremens. classe* v. *fasciculo* 3. v. et ibi citatum NOLDIVM.

gens vitium, rogati nunquam, iniussi per totam coenam, *ab ovo* (dicit) *usque ad mala* cantarent. Similia alia, apud Paroeniographos obvia, non exscribam.

Adhaec haud exiguam interpretationi meae lucem affundit locus quidam Ecclesiastici, ubi idem fere, quod apud Mosem, loquendi genus reperitur. Postquam libri huius scriptor in laudando Samuele fuisset multus, *cap.* XLVI. addit *versiculo* 19. haec verba: Καὶ πρὸ καιροῦ κοιμήσεως αἰῶνος ἐπεμαρτύρατο ἔναντι κυρίου καὶ χριστοῦ· χρήματα καὶ ἕως ὑποδημάτων ἀπὸ πάσης σαρκὸς οὐκ εἴληφα. quae paulo liberius ita verto: *Priusquam in aeternam intraret requiem, hoc sibimet ipsi praebuit testimonium coram Deo eiusque uncto: ab istis rebus, quae magni aestimantur, ad res nihili usque, nihil, inquam, ab ullo mortalium accepi.* Illam nunc locutionem, χρήματα καὶ ἕως ὑποδημάτων, cum nostra contendo esse eandem; nullus dubitans, quin Sirachides in Hebraico avi sui codice, quem vertisse se, in praefatione ad hunc librum auctor est, hoc fere modo legerit: מחוט ועד נעלות לא לקחתי מכל בשר. Quod si verum, ut ex eo, quod posteriorem huius phraseos partem ex illa Abrahami desumptam fuisse liqueat, admodum fit verosimile; mirum inde sententiae meae accederet robur.

Quamvis forte nonnulla ex iis, quae ad stabiliendam thesin meam adduxi, minus firmo tibicine quibusdam videri potuerint innixa, id tamen satis me iam dedisse probatum, existimarem, τῷ חוט notionem *vestis* posse tribui. Nunc ergo, notionem illam commodissimum heic sensum fundere, *quinto* loco ostendam. Nimirum. inter hostilem praedam,

quam, tanto viro digna generositate, *) hic loci accepturum se negat Araham. haud infimum locum vestimentorum omne genus apud veteres obtinebat. Sic 1 *Sam.* XXVII, 9. ubi praeda, quam ab hostibus reportaverat David, enumeratur, dicitur sibi sumsisse *oves, boves, asinos, camelos,* ובגדים *et vestes.* 2 *Chron.* XX, 25. *et venit Iosaphat et populus eius ad diripiendam eorum praedam, et invenerunt ibi* לרב ורכוש ופגרים וכלי חמדות *magnas divitias, et cadavera et supellectilem desiderabilem.* At, ubinam, inquies, hic *vestium* mentio? Nulla, fateor, **) nisi, recepta lectione missa, pro פגרים, sobria et cuivis licita critica, בגדים legamus; quam posteriorem lectionem quaedam exemplaria probant, testibus viris doctis, apud POLVM, *Synops. Critic. ad h. l.* imo et eandem ipsemet in duabus veteribus editionibus repperi; altera est Bombergiana, vulgata *Venet. MDXXV. in* 4. altera SEBAST. MVNSTERI *Basileae MDXLVI. fol.* Videntur et in suis codd. בגדים legisse SYRVS et ARABS; ut adeo tuto pro פגרים liceat legere בגדים. Praeterquam quod aliter inanis esset repetitio, et minus commodum dictu, Iosaphatum et populum ibi invenisse divitias, cadavera, et supellectilem, cum *vs.* praecedente iam fuisset memoratum, Iudaeos reperisse *cadavera per terram disiecta,* פגרים נופלים ארצה. Si nostram lectionem probes, facillimus erit sensus: *invenerunt ibi maximas divitias, vestes scilicet, et alia desiderabilia. Iosuae XXII. vs. 8. Dixit iis*

*) Inter alia hanc Patriarchae liberalitatem extollit HEIDEGGERVS *Historiae Patriarcharum Tomo II. Exercitat.* v. §. XXIII. ubi et ex GROTIO similis generositatis exempla profert.

**) Forsan tamen et per כלי חמדות vestimenta quis intelligenda censeat.



Iosua: revertimini cum grandibus opibus ad tentoria vestra, cum auro, argento etc. ובשלמות הרבה מאד *et cum magna vi vestium, dividite praedam hostilem cum fratribus vestris.* Atque adeo patet, commodissime חרם pro *veste captiva*, hostilis spolii haud minima parte, posse accipi. *) Probat ANT. BYNAEVS, *de calceis Hebraeorum, libro* II. *cap.* V. §. IV. veteres non tantum vestibus, verum etiam calceis spoliasse captivos: *quem morem* (inquit) *iam Abrahami aevo usitatum, non absurde quis colligat ex ipsius dicto ad Regem Sodomaeorum, quo negat, se ex omni praeda accepturum, a filo usque ad corrigiam calcei.* **)

Nunc II. *divitiarum* apud veteres *magnam partem* constituisse *vestimenta*, paucis demonstrabo. Nimirum antiquissimis iam inoleverat temporibus, ut amici, hospites, aliique invicem sibi darent dona. Vti iam Abimelechus Abrahamo ipsiusque uxori, sic et Iosephus fratribus dedit

*) VIRGILIVS *Aen. II. vs. 763.*
— — *huc undique Troia gaza*
Incensis erepta adytis, mensaeque deorum,
Crateresque auro solidi, captivaque vestis
Congeritur: — — — —

**) Idem BYNAEVS *ib. l. 1. cap. 1.* §. IV. ex hac locutione, antiquissimum fuisse calceorum usum, ut et *libro 1. cap. VII.* §. 1. soleas Hebraeorum vinculis pedi alligatas fuisse colligit. Corrigias apud veteres varia ratione pedibus fuisse circumvolutas, ex statuis et nummis probans, hinc eas Hebraeis ab ambiendo, שרוך, ALEX. a σφαιρόω σφαιρωτῆρας dictas, arbitratus. IOH. CHRYSOSTOMVS per σφυρωτῆρα (sic enim quidam legunt codices, alii σφαιρωτῆρα) intellexit extremam calcei partem. Καὶ γὰρ σφυρωτῆρα εἰώθασι λέγειν τὸ ἄκρον τοῦ ὑποδήματος τὸ εἰς ὀξὺ λῆγον.- τοιούτοις γὰρ, addit, ἔθος ἔχουσι κεχρῆσθαι οἱ βάρβαροι. Verto: σφυρωτῆρα *solebant appellare extremum calcei, in acutum desinens, talibus enim solebant uti Barbari.* Τῶν εἰς τὴν γένεσιν λόγων, λε. *Op. Tom. 1. pag. 287.*

pretiosissima, inter quae et vestes elegantiores enumerantur. *Gen. XLV.* 22. *dedit adhaec unicuique eorum* חליפות שמלת *vestes mutatorias, verum Beniamini trecentos argenteos et quinque vestes.* Ad hunc l. confer IAC. SAVRIN *Discours Historiques, Critiques, Theol. et Moraux, sur les evenemens les plus memorables du V. et du N. T. Tome 1. discours XL. p. 494. II. Reg. V. 5.* Naaman ille Syrus, ad Elisaeum profecturus, summisse dicitur inter alia עשר חליפות בגדים *decem vestes pretiosas,* quas prophetae *versu 15.* dono obtulisse legitur. *Genes. XXIV. 53.* servus Abrahami Eliezer herilis filii sponsam Rebeccam donavit *monilibus aureis, argenteis,* ובגדים *et vestimentis; matrique eius, et fratri,* מגדנות *munera dedit magni pretii,* per quae munera et vestimenta forte possent intelligi. R. DAVID KIMCHI apud FAGIVM et IOH. DRVSIVM *in notis maioribus ad h. l.* מגדנות exponit per כל דבר משובח h. e. *quamlibet rem pretiosam,* aurum puta, argentum, vestes. Ex eodem hoc l. patet, istis temporibus viros nuptis dotem dedisse, secus ac deinceps accidit, observante H. GROTIO.

Neque tamen existimandum est, Hebraeos tantummodo vestimenta magni fecisse; antiquissimos etenim Graecos et in iis opes suas collocasse ex quamplurimis locis scriptorum veterum ad probandum mihi esset facile, nisi instituti mei ratio id prohiberet. Pauca tamen ex iis, quae collegi, enotare libitum est. Apud HOMERVM *Iliados XXIV.* vs. 228. Priamus, Achilli dona laturus, quibus Hectoris corpus redimeret,

– – – – φωριαμῶν ἐπιθήματα κάλ᾽ ἀνέῳγεν·
Ἔνθεν δώδεκα μὲν περικαλλέας ἔξελε πέπλους,
Τόσσα δὲ φάρεα καλὰ, τόσους δ᾽ ἐπὶ τοῖσι
χιτῶνας.

et arcarum opercula pulcra aperuit: inde autem duodecim perpulcros exemit peplos, totidemque pallia pulcra, et totidem adhaec tunicas. Hospitalia quoque dona non solum ex auro, argento, sed et ex vestibus constabant pretiosis *Odyss. VIII.* 392. Alcinous ad Phaeaces, *agite*, inquit, *demus ei hospitale munus, singuli vestem bene lotam, et tunicam, et auri talentum ferte pretiosum.*

Τῶν οἱ ἕκαστος φᾶρος ἐϋπλυνὲς ἠδὲ χιτῶνα,
Καὶ χρυσοῖο τάλαντον ἐνείκατε τιμήεντος.

Conf. *Odyss. XV. 104 et seqq. XXIV.* vs. 272. ubi et inter alia τάπητες memorantur. Hinc forte illustrari posset fragmentum veteris lyrici Bacchylidis, quod ex ATHENAEI *Deipnosoph. libro XI.* exhibet H. STEPHANVS, *Lyricorum Graecorum Tomo II. pag.* 184. ubi poëta, Dioscuros ad hospitium invocans, ita loquens introducitur: *Οὐ βοῶν πάρεστι σώματ', οὔτε χρυσὸς, οὔτε πορφύρεοι τάπητες, ἀλλὰ θυμὸς εὐμενὴς, κ. τ. λ. non mihi sunt boum corpora, neque aurum, neque purpurei tapetes; sed animus benevolus, etc.* XENOPHON Ephesius, *Ephesiacorum libro II. pag.* 29. narrat, Apsyrtum, virum quendam Tyrium, filiam suam in Syriam cum marito, quo cum recens iuncta, dimissurum, ipsi dedisse ἐσθῆτάς τε τὰς βαβυλωνίας, καὶ χρυσὸν ἄφθονον, καὶ ἄργυρον. Medea, in *cognomine Tragoedia* EVRIPIDIS, vestem Creüsae dono mittens, *vs.* 947. ita ad Iasonem loquitur:

Πέμψω γὰρ αὐτῇ δῶρ', ἃ καλλιστεύεται
Τῶν νῦν ἐν ἀνθρώποισιν, οἶδ' ἐγὼ, πολὺ,
Λεπτόν τε πέπλον. - - - - - -

GVIL. CANTERVS vertit: *Nam mittam ei dona, quae pulcritudine superant* res *nunc inter homines exquisitas, hoc* probe *novi ego, multo, tenuem sc.*

vestem. Vide etiam HOMERI *hymnum in Venerem, vs. 140.* et HELIODORVM in *Aethiopicis, libro X. pag. m. 494.*

Nec tantum, quod vestimenta sibi invicem darent dono, sed et praecipue ex eo quod *vestes* simpliciter saepius pro *divitiis* apud sacros profanosque scriptores occurrant, id, quod asserui, fit manifestum. Instar omnium est locus quidam *Iobi cap.* XXVII, 16. 17. אם יצבר כעפר כסף וכחמר יכין מלבוש *si coacervaverit* (improbus) *argentum, sicut pulverem, et sicut lutum paraverit vestes:* יכין וצדיק ילבש *paraverit; at vero iustus vestietur illis.* Pretiosa hoc in loco per מלבוש indigitari, viderunt interpretes Graeci: et hinc est, quod, magis de sensu, quam verbis solliciti, vocem hanc per *χρυσίον aurum* verterint, *ἐὰν συναγάγῃ ὥσπερ γῆν ἀργύριον, ἴσα δὲ πηλῷ ἑτοιμάσῃ χρυσίον. Zach.* XIV, *vs.* 14. vicinarum gentium opes Hierosolymis dicuntur congregandae: *aurum, argentum, magnaque vestium copia* ובגדים לרב מאד. Vide porro, praeter alia loca, *Exodi* XII. 35. 36. III. 22. Haec forsan includuntur *Ruthae cap.* III. *vers.* 9. ubi Ruth Boazo ait, *expande, quaeso, vestimentum tuum* (seu vestimenti tui oram) *super ancillam tuam.* Quasi dixisset: sis mihi patronus, vestimenti tui, i. e. bonorum tuorum me facias participem, torique tui sociam. Confer omnino *Ezechielis cap. XVI, vs.* 8. 10. *et seq.* Caeterum eodem modo, quo vestes pro divitiis in Vet. T. scriptis, sic et in N. T. ut et apud exteros scriptores, occurrunt. Alludit huc certe Iacobus, in *Epist. cap. V.* 2. citatus SAVRINIO. HOMERVS, ut divitem quendam praedicet, in eius domo dicit esse cistas *vestibus* repletas. *Odyss.* II. *vs.* 339. Telemachus dicitur instrasse paternum thalamum, ubi praeter alia *ἐσθής τ' ἐν χηλοῖσιν, vestis* erat *in cistis. Odyss.*

VII, 96. postquam magnifice Alcinoi descripsit regiam, addit:

- - - - - - - - - ἔνθ' ἐνὶ πέπλοι
Λεπτοὶ εὔνητοι βεβλήατο. - - - -

ibi pepli bene neti reconditi erant. Confer *ib. XXI, 51. hymnum in Mercurium vs.* 185 et 249. *Odyss.* III. 349. pauperi opponitur vir, cui vestium copia sit. *Ne a me abeatis* (inquit Nestor) *tanquam a pauperculo*,

Ὧι οὔτε χλαῖναι καὶ ῥήγεα πόλλ' ἐνὶ οἴκῳ.
Cui neque laenae neque pallia tincta plurima in domo.

In XENOPH. Ephesii *Ephesiacor. libro ult. p. 76.* Hippothous quidam magnas dicitur hereditate accepisse divitias, in quarum enumeratione πολλὴ δὲ τῶν ἐσθήτων ὕπαρξις multa *vestium copia.* Ex quibus omnibus iam patet, vestes maximam partem divitiarum apud veteres constituisse: ut adeo vocabulum רכוש, (cui *vestis* significatum percommode tribui posse, paulo ante probatum dedi) hoc in loco *Gen.* XIV, 23. non res nihili, sed pretiosissimas intelligendas esse, liqueat; quod hoc capite demonstrandum sumseram.

CAPVT III.

DE TACTIS IN IVRANDO CORPORIS HVMANI MEMBRIS.

Graeci olim in iurando caput *tetigere.* SOPHOCLES *illustratus. Caput Iovi fuit sacrum.* Christ. *Vett. eundem ritum observarunt. Et* hi, *et* Romani, oculos *tangebant*, Frisii, capillos. Dextram alterius *tetigere,* dextrasque sibi invicem

implicarunt *veteres. Quid sit in legibus Saxonum*, in manu liti sui iurare? *An* Hebraei *manum alterius tetigerint, disquiritur. Lux facta* Iob. XXVII. 3. *et* Prov. XXII. 26. *etc. Recentiores quidem* pectus *tetigerunt. In familia Patriarchali* tacto *alterius* semine *iurarunt*. Mactati tauri cruorem *tangunt apud* AESCHYL. *viri militares. Alii in coniuratione etc.* sanguinem humanum bibere.

Ad id, unde digressus sum, revenio. *Cap. I. elatis manibus, stantesque* iurasse, observavi; nunc, de tactis corporis humani membris dicturus, a *capite* faciam initium, quod, quo maiorem iuriiurando fidem adstruerent, Graeci olim tetigerunt. HOMERUS, seu quisquis alius *hymni in Venerem* auctor sit, *vers. 26.*

Ὤμοσε δὲ μέγαν ὅρκον, ὃ δὴ τετελεσμένος ἐστὶν,
Ἁψαμένη κεφαλῆς πατρὸς Διὸς αἰγιόχοιο,
Παρθένος ἔσσεσθαι πάντ' ἤματα δῖα θεάων.

Iuravit autem magnum iusiurandum, quod utique perfectum est,
Tangens caput patris Iovis Aegidiferi,
Virginem se fore omnibus diebus, diva praestantissima.

Huc quoque spectat locus SOPHOCLIS, *in Trachiniis*, ubi Herculis morti vicinus Hyllum filium suum ita alloquitur, *vs.* 1197. *)

ΗΡ. Ἔμβαλλε χεῖρα δεξιὰν πρώτιστά μοι.
ΥΛ. Ὡς πρὸς τί πίστιν τήνδ' ἄγαν ἐπιστρέφεις;
ΗΡ. Οὐ θᾶσσον οἴσεις, μήδ' ἀπιστήσεις ἐμοί;

---

*) Quod ad versuum distinctionem, bene erit, notasse, me usum editione SOPHOCLIS *Londinens. MDCCXXII. 2 Vol. in 8.*

ΥΛ. Ἰδοὺ προτείνω, κοὐδὲν ἀντειρήσεται.
ΗΡ. Ὄμνυ Διὸς νῦν τοῦ με φύσαντος κάρα.
vs. 1204.
ΥΛ. Ὄμνυμι ἔγωγε Ζῆν' ἔχων ἐπώμοτον.
(Schol. ὅρκιον.) Interpres reddit:

HER. *Admove manum dextram quamprimum mihi.*
HYL. *Ad quod fidem hanc tam anxie requiris?*
HER. *Non admovebis celerius, neque obtemperabis mihi?*
HYL. *Ecce porrigo, neque quicquam negabitur.*
HER. *Iura nunc mihi per caput Iovis genitoris.*

\- - - - - - - -

HYL. *Iuro ergo ego, Iovem adhibens testem.*

Etenim, licet non expressis verbis dicatur Hyllus patris tetigisse caput; quin tamen tetigerit, nullus dubitandi dabitur locus, si attente verba consideraverimus: pater filio iniungit, *vs. 1197.* ἔμβαλλε χεῖρα πρώτιστά μοι; dicto paret filius, *vs. 1200.* χεῖρα προτείνων; caput autem suum procul omni dubio taugenti, *iura per Iovis genitoris mei caput,* inquit Hercules. Ratio autem, quare Hyllum per Iovis caput iurantem, paternum tetigisse crediderim, haec est: veteres caput quasi ἱερόν τι venerabantur, quod ex ATHENAEO observat F. ROVS, *in Archaeologia Attica;* et quidem Iovi sacrum. Confer de BASSENN. *libri cit. pag.* 121. ut ita, alterius caput tangentes, censerentur iurare per Iovem, cui caput sacratum erat; eodem fere modo, (si sacra liceat hisce immiscere) quo Eliezerum, *Gen.* XXIV, 2. tacto heri femine, iurasse volunt per Christum, cui femur istud veluti sacrum erat.

Interim ritum tangendi capitis in iurando, cum infinitis aliis, a Gentilibus transumsere Christiani; uti ex loco quodam ZOSIMI, h. in finem a TH. REGN. de BASSENN. *cit. libr. pag.* 125. adducto liquet, cui adde IAC. PERIZONIVM *in epistola ad Dithmarum*, et THEOPHANEM, in NICEPHORO, apud CAR. du FRESNE, *Gloss. ad script. med. et infimae latinit. l. c.* θὲς τὴν χεῖρά σου κατὰ τῆς κεφαλῆς μου, καὶ ὄμοσόν μοι, τὸ πόσος σοι χρυσός ἐστι. *ad caput meum manum tuam pone, mihique, quantum tibi sit auri, iura.*

Hi quoque cum Romanis communem habuerunt ritum tangendi in iurando *oculos.* De Christianis, vid. LYDIVS, *cap.* IV. §. XII. de Gentilibus, de BASSENNIVS *pag.* 121. Ad hunc ritum allusisse videtur PROPERTIVS, *Eleg.* XV. *libr.* 1. *vs.* 33. *sqq.*

Quamvis mihi viles isti videantur ocelli,
Per quos saepe mihi credita perfidia est.
Hos tu iurabas, si quid mentita fuisses,
Vt tibi suppositis *exciderent* manibus.
Et contra magnum potes hos attollere solem?
Nec tremis admissae conscia nequitiae?

Frisiis nostris, ut id verbo, post LYDIVM *cap.* IV. §. XI. observem, iurandum solenne fuit, *prehensis capitis capillis* praestitum. Caeterum LYDIVS observationem hanc debet erudito viro SIBRANDO SICCAMA; ex cuius *notis ad legem antiquam Frisiorum* plura se exscripsisse, raro profitetur noster. Confer eius *dissertat. pag.* 317–319 *et notas cit.* SICCAMAM *ad Tit.* 1. §. 3.

Dextram alterius tangere, dextrasve in fidei signum iungere, consueverant veteres. De Romanis res nota est, vel ex LVDOV. AVRELIANENSIS

novis cogitat. in TACITI *Ann. libr. II. pag.* 277. et *lib. XI. pag.* 577. *ed. Paris.* LYDII *dissertat. cap. IV. §. XV.* BASSENNII *libr. cit. pag.* 122. Quibus adde nummum quendam SEVERI, in cuius altera parte duae manus conspiciuntur, cum inscriptione: FIDES SENATVS. *in Epitome Thesauri Antiquit.* IACOBI de STRADA, *pag. m.* 125. Numisma quoque habetur, ab una parte caput Iuliae Domnae Augustae, ab altera Caracallam et Getam iunctis dextris concordiam stabilientes repraesentans, cum epigraphe: GET. CAE. ANT. AVG. in medio: C. M. L. Geta Caesar, Antoninus Augustus, (Caracalla nempe) Colonia Metropolis Laodicea. *In appendicula* *) *ad nummos Coloniarum Romanarum, per* VAILLANTIVM *editos, num.* XIV. adiecta libello LVDOV. DEBIEL, Iesuitae, cui titulus: *Vtilitas rei numariae veteris, anno MDCCXXXIII. Viennae Austriae vulgato.*

Nunc ergo, Graecos dextras inter iurandum iunxisse, auctorum fide ut evincam, restat. Philoctetes, *in cognomine tragoedia* SOPHOCLIS, ad *Neoptolemum vs.* 830.

ΦΙΑ. Οὐ μήν σ' ἔνορκόν γ' ἀξιῶ θέσθαι, τέκνον.
ΝΕ. Ὡς οὐ θέμις γ' ἐμοί 'στι σοῦ μολεῖν ἄτερ.
ΦΙΑ. Ἔμβαλλε χειρὸς πίστιν.
ΝΕ. Ἐμβάλλω μένειν.

---

*) Inter LI. nummos, ex quibus haec constat appendicula, *num.* XXV. occurrit quidam, in cuius aversa parte urna apparet; cui, inverso litterarum ordine, inscriptum legitur:

ΑΙΛΚΑΡΗ
ΑΙΠΜΥΛΟ id est: ΗΡΑΚΛΙΑ ΟΛΥΜΠΙΑ.

qui sane nummus uberiorem mereretur disquisitionem.

PHIL. *Non decet, ut te iureiurando obligem.*
NEOP. *Neque fas est, me, te relicto, discedere.*
PHIL. *Cedo dextram fidei testem.*
NEOP. *Do fidem, mansurum me esse.*

EVRIPIDES *Iphig. in Aulide, vs. 57.*

– – – – – – καί νιν εἰσῆλθεν τάδε,
Ὅρκους συνάψαι, δεξιάς τε συμβαλεῖν
Μνηστῆρας ἀλλήλοισι – – – – – –
– – – – – *et hoc ei venit in mentem,*
Vt iusiurandum mutuo darent, dextrasque iungerent
Proci inter se. – – – – – – –

Ibid. vs. 471. Menelaus ad Agamemnonem:

ΜΕΝ. Ἀδελφὲ, δός μοι δεξιᾶς τῆς σῆς θιγεῖν.
ΑΓΑ. Δίδωμι – – – ΜΕΝ. Πέλοπα κατόμνυμ'.
MEN. *Frater, da mihi tuam contingere dextram.*
AG. *Do* – – – MEN. *Iuro Pelopem etc.*

Arbitrarer et huc alludere EVRIPIDEM in *Medea vs. 496.* ubi Medea, postquam Iasoni ὅρκων Φρούδην πίστιν exprobrasset, addit:

Φεῦ δεξιὰ χείρ, ἧς σὺ πόλλ' ἐλαμβάνου.
Heu dextram manum, quam tu saepe apprehendisti.

Foedera quoque apud varias gentes iunctis dextris sancita fuisse, docte probant IOH. B. HANSENIVS *de Iureiurando Veterum, cap. X. col. 828. et 829. Tomi V. Antiq. Roman. et* IAC. LYDIVS *Syntagmate Sacro de re militari, lib. VI. cap. 1.* Adde exemplis ab iis allatis veterem lapidem apud BEGERVM in *spicilegio antiquitatis, pag. 151.* et XENOPHONTEM *de Cyri minoris expedit. libro II. pag. m. 192.* ταῦτα ἔδοξε, καὶ ὤμοσαν, καὶ δεξιὰς ἔδοσαν: *haec utrimque*

iureiurando sunt sancita: dextrae datae vicissim. Etiam nummus exstat Marci Aurelii, cuius aversa pars duos, dextras sibi implicantes, repraesentat, addita inscriptione:

ΕΦΕΣΙΩΝ ΚΑΙ ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ.

Confer SPONII *Itinerar. Tom. 1. pag. m. 438. Ib. pag. 441.* in simili numismate eaedem conspiciuntur figurae, cum epigraphe:

ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ CΜΥΡΝΑΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ.

Sic et Antiochus Eupator cum Iudaeis, data dextra, pacem init, *1 Maccab. VI. 58.* *νῦν οὖν δῶμεν δεξιὰν τοῖς ἀνθρώποις τούτοις, καὶ ποιήσωμεν μετ' αὐτῶν εἰρήνην, καὶ μετὰ παντὸς ἔθνους αὐτῶν. vs. 61. καὶ ὤμοσεν αὐτοῖς ὁ βασιλεὺς, καὶ οἱ ἄρχοντες. nunc ergo demus illis dextram, et pacem cum iis ineamus, et cum tota eorum gente. vs. 61. iuraruntque iis Rex et primates.*

Fuit et haec consuetudo, alterius in iurando manum tangendi, apud Saxones, Frisiosque veteres usu receptissima. In *legibus Saxonum, Tit. 1. §. 8.* sic legitur: *Quicunque gladio stricto super alterum cucurrerit, et retentus ab alio fuerit, XII. solidos componat, vel in manu liti* *) *sui - - - iuret.* Verba haec, *in manu liti sui,* CAR. GVIL. GAERTNER Ictus, *in notis ad h. l.,* de ritu, quo iurantes alterius tangebant manum, intelligenda censet. De Frisiis sic legitur, *in additionibus sapientum ad*

---

*) Quinam hi *liti* fuerint, si desideres scire, adeas *notas* SIBR. SICCAMA *ad Tit.* I. et XI. (*de lito*) *Legis Frisiorum antiquae pag. 15 et 61. edit. naperr. MDCCXXX. Lips.* GAERTNERVM *in notis ad leges Saxonum, Tit. II. §. III. pag. 28-31.* GERH. IOH. VOSSIVM, *de vitiis sermonis, et Glossematis latino-barbaris, lib. 11. cap. XI. pag. 232, 233, 236, sq.* CAR. du FRESNE, *cit. Gloss. hac voce,* et, in transitu de iis agentem, THOM. REINESIVM, *de Deo Endovellico, in Museo Philol. et histor. Crenii Tomo II. pag. 330.*

legem Frisiorum, Tit. IV. si negaverit, solus iuret in manu proximi. Et alibi: *apprehendat manum proximi sui.* quae ll. quoque citantur a GAERTNERO, *d. l.* Similia vid. apud ANTON. MATTHAEVM, *manuductione ad Ius Canonicum, lib. III. tit. XI. pag. 321.* Caeterum, eundem ritum ad hunc diem usque, in promissis, pactis, venditionibus etc. observari, notasse, parvi res momenti est.

Maioris esset, si, eundem apud veteres viguisse Hebraeos, lapsu temporis ad Graecos Romanosque traductum, probare essemus idonei; quod si non omnino simus praestituri, obscuris saltem Scripturae locis aliquantulum foenerabimur lucis. Ad ritum tangendi manum in iurando, si quis, in perantiqua *Iobi historia, cap. XVII. 3.* alludi arbitraretur, is profecto, meo iudicio, a vero haud longe foret avius. Ad Deum orationem suam vertens Iobus, sic infit: שימה נא ערבני עמך מי הוא לידי יתקע *advorte quaeso; da mihi fideiussorem apud te: quis ille, qui manum meam tanget?* explico: quis ille, qui tacta manu, iureiurando mihi confirmet, Deum mecum disputaturum? et hanc esse veram loci explicationem rerer. Interim observanda venit radicis תקע, *plaudendi, complodendi*que notio, mire cum ritu illo, in terris nostris usitato, congruens. Alter locus exstat *Prov. XXII. 26.* *) *ne sis e tangentibus palmam,* בתוקעי כף, *nec ex iis, qui se offerunt pro debitis sponsores. i. e.* qui, tacta alterius manu, se pro iis sponsuros, iurent. Quae vera si sit explicatio, Salomonis tempore, apud

*) Dignus est, quem *ad h. l.* consulas, RVDOLPHVS BAYNVS. vide etiam, ubi eiusdem ritus mentio fit, *Prov. VI. 1.* qui *l.* uti et *Prov. XI, 15.* a DRVSIO, *in notis*, ad supra cit. allegantur.

Hebraeos, tacta manu, iuranda sancita fuerunt. Posteriorum saeculorum Iudaeis, data dextra pacem stabilire, haud insolens fuit. *1 Maccab. XI. 62.* Gazae incolis Ionathan ἔδωκεν δεξιάν. ita enim lego. Cum societatem et amicitiam cum Paulo et Barnaba inierant Iacobus, Cephas, et Iohannes, hos sibi Barnabaeque δεξιὰς κοινωνίας dedisse, inquit Apostolus, *ad Galatas 11. 9.* Confer BENED. ARIAM MONTANVM *Antiquit. Iudaic. libr. VIII. qui de minutioribus ritibus agit, pag. m. 270.* *) Haec de tacta dextra sufficiant dicta.

Quosdam ex recentioribus, et inter hos clericos, apud Pontificios, in iurando, dextra manu pectus tangere consuevisse, auctor est LYDIVS *cit. diss. cap.* IV. §. IV. nec non A. MATTHAEVS, *manuductione ad Ius Canonicum, lib.* III. *tit.* VI. *pag.* 299. Sed enim iam Nicephorum Imperatorem, *tunso digitis pectore*, iurasse narrat LVITPRANDVS, apud CAR. du FRESNE in *Gloss.* voce *Iuramentum, col. 160.* Nec dubitem, quin manum pectori admoverint mulieres Alemannorum, quas per pectus suum iurasse, ex *legg. Alemann.* constat. vide, praeter cit. scriptorem, I. G. VOSSIVM *de vitiis sermonis et glossem. latino-barb. lib.* II. *cap.* XIII. iurandum istud per pectus, ab iis *Nastaid* nuncupatum, notantem. Origo ritus videtur repetenda ab illis, qui, moesti, et peccatis gravati, Deum supplices accedentes, pectus tundere fuere soliti. Quo de lugentium gestu legi possunt, prae-

*) Dextras in amicitiae signum iungere, et nunc solemne est, et fuit olim: HELIODORVS *Aethiopic. l. VI. pag. 285.* ἠσπάζοντό τε ἀλλήλους τὰ τελευταῖα κατὰ γένος, καὶ δεξιὰς ἐνέβαλλον. *vale dicebant sibi invicem ultimo, pro sexus ratione, dextrasque iungebant.*

ter GEIERVM *de luctu Hebr.* IOH. GEORG. MICHAELIS *de Parabola Luc.* XVI. *vs. 9-14. Commentat. Part.* I. §. XIX. *Biblioth. Bremens classe* VII. *fasc.* III. *pag. 443.* PFEIFFERVS *antiquit. hebr. select. cap.* XX. IOH. NICOLAI *de luctu Graecorum, cap.* XI. §. VI. aliique.

Cum caput hoc, de tactis humani corporis in iurando membris, inscripserim, nemo non videt, hic de veterrimo illo ritu, (a quo dimanarunt reliqui) tangendi femur, agendum mihi esse; verum, cur in aliud caput id reservaverim, variae sunt rationes. Eius loco, itidem antiquissimum, et uti plures, nondum hactenus, quod sciam, observatum, adnotabo ritum, in iurando a militaribus ducibus adhibitum, *) quo nempe *cruorem mactati tauri* manibus contingebant, per deos militiae praesides iurantes; reperitur iste apud AESCHYLVM, in ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις, qui nuncium quendam ad Eteoclem sic loquentem facit *vs. 42. seqq.*

Ἄνδρες γὰρ ἑπτὰ θούριοι λοχαγέται,
Ταυροσφαγοῦντες ἐς μελάνδετον σάκος,
Καὶ θιγγάνοντες χερσὶ ταυρείου φόνου,
(schol. αἵματος)
Ἄρην, Ἐνυὼ, καὶ Φιλαίματον Φόβον
Ὡρκωμότησαν, ἢ πόλει κατασκαφὰς
Θέντες, λαπάξειν ἄστυ Καδμείων βίᾳ,
Ἢ γῆν θανόντες τήνδε φυράσειν φόνῳ.

---

*) Constantii milites, apud AMM. MARCELLINVM *libro XXI.* gladiis *cervicibus suis admotis*, dicuntur in eius nomen iurasse. *l.* integrum citat LYDIVS *cap. IV.* §. XVII. qui et ex eodem observat Marcellino, Barbaros quosdam *eductis mucronibus* solitos iurare. Confer. *cit. capitis* §. XIII. *pag. 325.*

quos versus ita latine reddit THOMAS STANLEIVS:

Nam viri septem bellicosi duces,
Bovem mactantes super clypeum nigro (ferro) *revinctum,*
Et contingentes manibus taurinum cruorem,
Per Martem, Bellonam, et Pavorem sanguinis avidum
Sancte-iurarunt, se, aut civitati suffossiones.
Struentes, vi perdituros Cadmeorum urbem,
Aut hanc oppetentes terram maceraturos sanguine.

Finem huic capiti imponam, postquam observavero, *sanguinem humanum* bibisse, saltim degustasse inter veteres quosdam, quo magis iureiurando adstringerentur; quam in rem plura continet egregia IOH. B. HANSENII *de iureiur. vet. caput* III. Addo: inter Scythas, qui aeternam sibi iurarent amicitiam, solitos fuisse digitos sibi invicem incidere, sanguinemque in calicem instillatum degustare. LVCIANVS *in Toxari, pag. m.* 957. *Cum iam amicus quispiam delectus est, illico initur foedus, et maximum iusiurandum praestatur, nempe, et una victuros, et alterum, si fuerit necesse, pro altero mortem oppetiturum, atque ita facimus.* ἀφ' οὗ γὰρ ἐντεμόντες ἅπαξ τοὺς δακτύλους, ἐσσταλάξωμεν τὸ αἷμα εἰς κύλικα, καὶ τὰ ξίφη ἄκρα βάψαντες ἅμα ἀμφότεροι ἐπισχόμενοι, πίωμεν, οὐκ ἔστιν ὅ, τι τὸ μετὰ τοῦθ' ἡμᾶς διαλύσειεν ἄν. *etenim, simulac incisis digitis, sanguinem in calicem distillaverimus, summisque intinctis gladiis, ambo pariter admoventes, biberimus, non est quidquam, quod deinde nos queat dirimere.* Confer IAC. LYDIVM, *Syntagmate Sacro, de re militari, libr.* VI. *cap.* I. *pag.* 205. *sqq.*

CAPVT IV.

DE TACTIS IN IVRANDO ALIIS REBVS SACRIS.

Quinam praecipue de tactis in iurando aris egerint? Altare *olim* tetigerunt Hebraei *iurantes? iurarunt et* ad arcam foederis. Tangere aras *solenne fuit* Graecis. *Lux facta* LYCOPHRONI. Athenienses πρὸς τὸν βωμὸν, *seu* λίθον, ad aram, *iurarunt* Romanos *eundem observasse ritum;* dextras *item* in ara iunxisse, *ex nummis probatur.* Graeci *antiquiss.* inter iurandum libarunt, victimasque immolarunt. *In foederibus* per mactatorum animantium medium pertransibant. Christ. *aras tetigere.* Iudaei *iurarunt* libro legis in manus sumpto, tactis *quoque* Phylacteriis. Christ. tactis Evang. *aliisque rebus sacris.* Mohamm. tacto Alcorano. *Vett.* tacta lauro. *Laurus Apollini sacrata fuit.* Syracusii *iurarunt* tactis cereis ignitis. Frisii, in vestimento, *et* in pecunia. Saxones, manu armata. Manus *quare* periuris *antiquitus fuerit* amputata?

Veteres, quo maiorem solenni iuriiurando adstruerent religionem, tetigisse *aras*, res notissima, et idoneis comprobata testibus. Plurima hanc in rem collegere IOH. BAPT. HANSENIVS, *libro de iureiurando veterum; cap. II. Tom. V. Antiquit. Rom. col. 806. seq.* IACOBVS LYDIVS, *dissert. cit. cap. IV.* §. VII. TH. REGN. de BASSENN. *pag. 108. seqq.* GEORG. RITTERSHVSIVS, *tractat. de iure asylorum,* (adiect. *Tomo II. Bibl. Critic.*) *cap.* III. et, quem primum debuissem nominare, ADRIANVS TVRNEBVS, *Adversar. libr*

XIX cap. XII. ubi in ritus huius originem inquirit. Vid. etiam *lib.* XXVI. *cap.* II. aliique plures.

Post hos, more meo, spicas colligam. Hebraeos *altare* in iurando *tetigisse*, ex *l.* ab aliis adducto, 1 *Reg.* VIII, 31. verosimile arbitrer. Vid. ad *h. l.* HVG GROTIVM, in *notis*. Dicuntur etiam *Jud.* XXI, 1. Israelitae iurasse במצפה *in Mitzpa.* quare obsecro? forsan quoniam ibi altare domini domusque erat orationis; uti volunt DRVSIVS, VATABLVS, aliique ad *cap.* XX, 1.

Ad *arcam foederis* iurasse Israelitas, asserit ABARBENEL, quem adducit IOH. FRISCHMVTHVS, in *dissertat. de non speranda arcae foederis restitutione*, §. III. inserta dein *Thesauri Theolog. Philolog. Tom. I* ad *Jerem.* III, 14.

De Hannibale tactis altaribus iurante, praeter alios, lege APPIANVM ALEXANDRINVM *de bellis Hispan. pag.* 259. *edit.* MDXCII. *fol. et de bellis Hannibalis, pag.* 315. ad quem *l.* conf. HENR. STEPHANVM. Ad aram Saturni de vindicanda Helena iuraverunt Graeci. LYCOPHRON in *Alexandra*, *vs.* 202.

Οἱ δ' ἀμφὶ βωμὸν τοῦ προμάντιος *) Κρόνου,
Σὺν μητρὶ τέκνων νηπίων κρεανόμου,
Ὅρκων τὸ δευτεροῦχον ἄρσαντες ζυγὸν
Στεῤῥὰν ἐνοπλίσουσιν ὠλέναις πλάτην.

*) Πρόμαντιν, *vatem*, hic dici Saturnum, quod capiendae Troiae tempus Graecis per ostentum praedixerit, observat ad *h. l.* vir plane eruditus, GVIL. CANTERVS. Caeterum, Graeci hic ad aram Saturni dicuntur iurasse, cum alii, ad aram Iovis id iurandum praestitisse eos, asserant. At enim, (licet plerique cum Scholiaste Κρόνου ἀντὶ τοῦ Κρονίδου positum velint) Graecos quidem ad aram Saturni iurasse, verum Iovi id eatenus tantum adscribi, quatenus solum Iovem praecipue futura praedicere posse, existimarent creduli gentiles, forsan quis bariolari posset. Eodem modo, quo ipsi Apollinis quoque adscribebant oracula. SOPHOCLES, in *Oedipode Tyranna*, 151.

quae latine ita sonant:

Illi vero iuxta aram vatis Saturni,
Pullorum cum matre parvulorum carnivori,
Iurisiurandi secundum subeuntes iugum,
Robustis armabunt remis brachia.

Athenienses ad aram praestitisse iusiurandum, auctor est DEMOSTHENES, ab aliis iam in testimonium vocatus, *orat. contra Cononem: τῶν τε παρόντων ἡμῶν καθ' ἕνα οὑτωσὶ πρὸς τὸν βωμὸν ἄγοντες, καὶ ἐξορκίζοντες. et unumquemque nostrum, qui aderamus, ad aram duxerunt, et ad iurandum adegerunt.* Paulo aliter haec oratoris verba adfert SVIDAS in *Λίθος. τῶν τε παρόντων — πρὸς τὸν λίθον ἄγοντες καὶ ἐξορκοῦντες. ἐοίκασιν οὖν* (pergit) *Ἀθηναῖοι πρός τινι λίθῳ τοὺς ὅρκους ποιεῖσθαι, ὡς Ἀριστοτέλης καὶ Φιλόχορος ὑποδηλοῦσι. videntur igitur Athenienses ad lapidem quendam iurare soliti fuisse, ut ex Aristotele et Philochoro colligere licet.* Eadem reperies apud HARPOCRATIONEM *voce Λίθος.* ubi vide MAVSSACVM, et HENRICVM VALESIVM, in *notis.* Non nescio, MEVRSIVM, aliosque viros eruditione praestantissimos, ex auctoritate horum Grammaticorum, pro *βωμὸν* in textu DEMOSTHENIS *λίθον* scribendum, existimare. Sed

---

Ὦ Διὸς ἁδυεπὴς φάτι, τίς ποτε
Τᾶς πολυχρύσου Πυθῶνος
Ἀγλαὰς ἔβας Θήβας;
O dulce Iovis oraculum, quale tandem
Ab opulento Pythico templo
Ad celebrem venisti Thebarum urbem?

Scholiastes Vetus ita ad *h. l.* commentatur: Διὸς ἡδυεπῆ φάτιν τὴν μαντείαν φησίν. Ὁ γὰρ Ἀπόλλων ὑποφήτης δοκεῖ εἶναι τοῦ πατρὸς, καὶ παρ' ἐκείνου λαμβάνειν τὰς μαντείας, καὶ τοῖς ἀνθρώποις ἐκφέρειν.

nullam video rationem, cur a vulgata lectione recederemus, maxime, cum apud SVIDAM et HARPOCRATIONEM per λίθον aeque, ac per βωμὸν, *ara* possit intelligi; quod, ne alia addam, vel ex solius HESYCHII loco, a MEVRSIO citato, ubi λίθον per βωμὸν exponit, manifestum est. Atheniensium autem praecipue Thesmothetis ad aram quandam (ἐπὶ λίθου) in foro positam iurare solenne fuit. POLLVX *Onomast. lib.* VIII. *segm.* 86. ὤμνυον δὲ οὗτοι (θεσμοθέται *sc.*) πρὸς τῇ βασιλείῳ στοᾷ, ἢ ἐπὶ τοῦ λίθου, ἐφ᾽ ᾧτε συμφυλάξειν τοὺς νόμους, καὶ μὴ δωροδοκήσειν. *hi vero iurabant apud porticum regiam, vel ad aram, se leges observaturos, nec dona accepturos.* Caeterum confer de hoc Athen. iureiurando IAC. LYDII *dissert.* saepius cit. *cap.* V. §. *ult.* ubi, quae de hac re habet MEVRSIVS *lect. Atticarum lib.* I. *cap.* VI. invenies.

Romanos foedera, iureiurando ad aram praestito, reddidisse sanctiora, vel ex numismate quodam fit apertum, quod ex *Thesauro* MORELL. speciminis ergo profert scriptor libri Gall. cui titulus: *Bibliotheque raisonnée des ouvrages des savans de l'Europe Tom.* XII. *part.* II. *pag.* 289. Ab una eius parte caput Augusti nudum conspicitur, cum hisce verbis: IMP. CAES. AVGVS. TR. POT. VIII. ab altera togati duo, et sacrificantium instar cooperti, ad aram stantes, his additis verbis: C. ANTIST. VETVS. FOEDVS. P. R. QVM. GABINIS. Dextras in ara iungentes, Imperator togatus, et Tribunus militum loricatus, et paludatus; hic ab illa, ille ab altera arae stans parte, conspiciuntur in aversa parte nummi, cuius inscriptio est: CONCORDIA MILITVM. apud IAC. de STRADA in *imaginibus Imperatorum, pag. m.* 43. Adde *p.* 84. ubi in similis numismatis altero latere ara

exstat, in qua ignis conspicitur; Imperator aliusque arae adstantes, dextras iungunt, addita epigraphe: FIDES MILITVM.

Aras iurantes non solum tangebant, sed et, quod non ita in vulgus notum, in iis inter iurandum *libabant*, *victimasque immolabant* Graeci veteres. ARISTOPHANES *Acharnens. vers. 148.*

Ὁ δ' ὤμοσε σπένδων, βοηθήσειν – – – –
Iuravit is inter sacrificandum, sese opem laturum.

Vespis, *vers. 1041.*

Καί τοι σπένδων πόλλ' ἐπὶ πολλοῖσι ὄμνυσι τὸν Διόνυσον,
Μὴ πώποτ' ἀμείνον' ἔπη τούτων κωμῳδικὰ μηδέν' ἀκοῦσαι.

Vertit Q. SEPT. FLORENS:

Quamvis libatum iterans calpar, Dionysum vitisatorem
Sancte adiuret, comica nunquam meliora audita fuisse.

Adde HOMERVM *Odyss.* XI. *vs.* 331. Ὤμοσε — ἀποσπένδων. *iurabat – – – – libans. Iliad.* III. *vs.* 300. aliaque *Il.* quae exscribere longum esset.

Aegyptios iuraturos thus in ara solitos adolere, HELIODORI quidam locus indicio posset esse. Exstat is *Aethiopicor. lib.* IV. *pag. m.* 195, ubi Calisiris, (quem *lib.* III. *pag.* 145. et alibi Μεμφίτην Αἰγύπτιον, καὶ προφήτην τῆς Ἴσιδος, vocitaverat,) ad Cnemonem quendam: ἐμοῦ δὲ τὰ εἰρημένα θαυμάσαντος, καὶ οὕτω ποιητέον πάντως ἐπικρίναντος, τήν τε ἑστίαν ἐσχάραν εἰς βωμὸν ἀνάψαντος, καὶ λιβανωτὸν ἀποθύσαντος, ἐπώμνυεν ὁ Θεαγένης. κ. τ. λ. *cumque ego dicta demiratus, omnino ita faciendum esse, iudicassem, et domesticum in aram succendissem focum, thusque adolevissem, iurabat Theagenes. etc.* se sc.

quae vellet Chariclia, facturum. Ad hanc consuetudinem alludit quoque HELIODORVS *lib.* V. *pag.* 212. ἐπὶ τούτοις περιέβαλλον ἀλλήλους, καὶ αὖθις ἔκλαιον, ὥσπερ, οἶμαι, σπονδῶν τῶν δακρύων ἀπάρχοντες, καὶ ὅρκια τὰ φιλήματα ποιούμενοι. *Adhaec invicem sese amplectebantur,* (Theagenes sc. et Chariclia, tum temporis in antro quodam, prope pagum Aegypti Χέμμις.*)) *et rursus*

---

*) *Pagum*, inquam, sic enim Χέμμις ubique describit HELIODORVS, *Aethiop. lib.* II. *pag.* 93. 95. 96. *lib.* VI. *pag.* 263., et quidem εὐδαίμονά τε καὶ πολυάνθρωπον, καὶ ταῖς ὄχθαις τοῦ Νείλου πρὸς ἐπιτειχισμὸν τῶν βουκόλων ἐπὶ λόφου παρῳκισμένην. *pag.* 89. HERODOTO, *lib.* II. *cap.* XCI. *pag. m.* 121. Χέμμις *urbs ampla* audit, πόλις μεγάλη νομοῦ τοῦ Θηβαϊκοῦ, ἐγγὺς νέης πόλιος. Quae Herodoti verba postquam allegavit STEPH. BYZANTINVS, *hac voce:* Φησὶ δ' ὁ αὐτὸς, (addit) καὶ νῆσον εἶναι Χέμμιν ἐν αὐτῇ. (hanc enim lectionem, rectissime cum praecedentibus cohaerentem, servandam putem, secus ac arbitratur, qui eruditis hunc scriptorem illustravit observationibus, THOMAS de PINEDO.) Ἔστι καὶ Χέμβις νῆσος διὰ τοῦ β, ἐν Βούτοις, ὡς Ἑκαταῖος ἐν περιηγήσει Αἰγύπτου· Ἐν Βούτοις περὶ τὸ ἱερὸν τῆς Λητοῦς ἔστι νῆσος Χέμβις ὄνομα ἱρὴ τοῦ Ἀπόλλωνος. Ἔστι δὲ ἡ νῆσος μεταρσίη, καὶ περιπλεῖ ἐπὶ τοῦ ὕδατος, καὶ κινεῖται ἐπὶ τοῦ ὕδατος. Insula illa mobilis, et in aquis circumnatans, HECATAEO Χέμβις dicta, rectius fortasse ab HERODOTO, *lib. cit. cap.* CLVI. *p.* 151. Χέμμις vocatur, ut et a POMPONIO MELA, *de situ orbis*, *lib.* I. *cap.* IX. §. LV. *In quodam lacu,* Chemmis *insula*, *lucos silvasque, et Apollinis grande sustinens templum, natat, et quocunque venti agunt, pellitur.* Hecataeo autem facile fuit, posterius huius vocis M in B commutare, cum litteras illas maxime fuisse permutabiles, ex plurimis exemplis constet. Vid. BOCHARTI *Phaleg*, *lib.* IV. *cap.* IV, et alibi. Denique observo, totam fuisse Aegypti plagam Χεμμίτην nuncupatam. HERODOTVS *ib. cap.* CLXV. Caeterum, in Χέμμις Aegypti pago, urbe, seu insula, ut et in Χειμῶ κώμη, *vico Chimo,* quem inter urbes, ad litus maris Aegyptiaci sitas, recenset PTOLEMAEVS, *Geogr. lib. III. cap. V.* nec non in aliis quibusdam urbium Aegypt. nominibus, apud *Anonymum Ravennatem*, *Geograph. lib. III.* obviis; in omnibus hisce, inquam, veteris appellationis, qua Aegyptus ארץ

plorabant lachrymas, ut existimo, tamquam libationes fundere incipientes, et oscula iurisiurandi loco figentes.

Animantia mactasse iurantes, vel ex EVRIPIDE in *Supplicibus*, sub finem, liquet: ubi Minerva, postquam Theseo fuerat auctor, ut ab Adrasto iusiurandum acciperet, addit, *vs. 1196.*

Ἐν ῷ δὲ τέμνειν χρὴ σφάγιά σ', ἄκουέ μου.

In quo vero loco oporteat te hostias caedere, audi ex me.

Circa victimas quoque caesas iurarunt Samnites, teste LIVIO, apud I. B. HANSENIVM *de vett. iureiur. cap.* XXIV. Sacerdote victimas immolante, Alexandrum, et Mammaeam matrem, arae adstantes, FIDEM sibi iurasse PERPETVAM. numisma docet apud *citatum* I. de STRADA, *Imagin. Impp. pag. 112.* Adde *pag. 129. et 130.*

Victimas speciatim etiam humanas immolabant. LYCOPHON *Alexandra, vs. 329.*

Λύκοις τὸ πρωτόσφακτον ὅρκιον σχάσας.

Primum Lupis (i. e. Graecis) *sacrificiale iciens iusiurandum.*

Ad hunc *l.* G. CANTERVS legatur, iusiurandum hoc dici πρωτόσφακτον, quod in eo iciendo victima primum adhibita fuerit humana, observans.

IAC. LYDIVS *dictae dissert. cap.* IV. §. VIII.

חם, *terra Cham* (*Ps. CV, 23 et 27.*) fuit denominata, supersunt reliquiae. Legi merentur de hac Aegypti denominatione, BOCHARTVS, in *Phaleg. lib. I. cap. I. et lib. IV. cap. I.* EDMVNDVS DICKINSON, in *Delphis Phoenicizantibus, cap. IV.* MARSHAMVS, *canone Chronico, pag. 27.* et PERIZONIVS, *in Origin. Aegypt. cap. I.*

ex DEMOSTHENE locum profert, ubi dicit, illum, qui in Areopago homicidii quem accusaret reum, dicta confirmasse iurando, et quidem στάντα ἐπὶ τῶν τομίων κάπρου, καὶ κριοῦ, καὶ ταύρου; quod et a FRANC. ROVS in *archaeolog. Att.* adnotatum legi; qui et addit, iurantes saepius ex memoratis animalibus quoddam deo cuidam obtulisse, dictis fidem faciens ex ARISTOPH. *Lysistrata, pag. m. 834.* ubi praeter illa haec quoque leguntur:

ΛΥ. Τίς ἂν οὖν γένοιτ' ἂν ὅρκος; ΚΑ. Εἰ λευκόν ποθεν
Ἵππον λαβοῦσαι τόμιον ἐκτεμοίμεθα.

Q. SEPT. FLORENS ita reddit:

LY. *Quod ergo iusiurandum erit?* CA. *si forte equum*
Album exsecantes immolemus victimam.

In foederibus, solenniori sancitis modo, per animantium mactatorum medium pertransire, antiquissimis iam gentibus fuit in more positum. Quo de ritu cum satis egregie egerint LYDIVS *syntagm. sacro de re milit. lib.* VI. *cap.* I. *et dissert. de Iuram. pag. 321.* SIXTINVS AMAMA in *notis ad Ps. L, 5.* PETRVS GREG. THOLOSANVS *syntagmate iuris universi, atque legum pene omnium gentium, libr.* L. *cap.* VIII. *pag. 1097. b.* quem et de veterum iureiurando pluribus ibidem agentem reperies, cum inquam satis de hocce ritu dixerint, verbum non amplius addam, sed ad id, unde abii, regrediar.

A paganis, tangendi in iurando altaris, morem deinceps quoque accepere Christiani: quorum in scriptis nihil frequentius, quam *iurare in altari;*

positis manibus super altari; iurare super altare consecratum; - - - capite suo ad altare inclinato; una manu ad altare, altera ad iuramentum parata, etc. De quibus instar omnium legendus est CAR. du FRESNE *Gloss. ad scriptores med. et inf. latin. Tomo* II. *voce, Iuramentum.* Ne vero discedam ἀσύμβολος, iusiurandum in causa monasterii Caunensis, de vinea quadam, anno a C. n. DCCCXXI. praestitum, non pigebit exscribere ex IOH. MABILLONII *de re diplomatica libro* VI. *pag.* 513. ubi praeter alia haec leguntur: »Iurati - - dicimus, et iuramus, in primis per Deum patrem omnipotentem, et Ihesum filium eius, Sanctumque Spiritum, qui est in Trinitatem unus et verus Deus, et ex locum venerationis eglesiae sancti Iuliani, martyris Christi, cuius baselica sita fundata est infra muros civitate Narbonà, suber cuius sagrosancto altario adscondiciones manibus nostris continemus, vel iurando continginus: quia nos subra nominati testes iximus, et bene in veritate novis cognitum est, et praesentaliter fuimus ad ipsa ora, quando homo, nomine Adalaldus, fuit Maimon vogatus, iacebat in lectulo suo infra muros civitate Narbona ab egritudine reptemptus, unde et mortuus fuit, adhuc sua memoria in se habente,« et reliqua. Ex quibus, ut et antecedentibus, stupenda aevi elucescit barbaries. Hactenus de tactis altaribus.

Iudaei posteriorum saeculorum in iurando *librum legis* tangebant. MAIMON. *tract.* שבועות *cap.* XI. §. VIII. *) ושבועת הדיינין *et iusiurandum*

---

*) De variis iurisiurandi apud Iudaeos speciebus ex MAIMON. agere, foret in facili positum. At, cum de hisce iam

iudicam – – – ita se habet: הנשבע אוחז ספר תורה בזרועו והוא עומד ונשבע בשם או בכינוי vertit DITHMARVS: *is qui iurat, sumit librum legis in brachium suum, atque stans iurat in nomine aut cognomine.* Adeo autem iudici alios ad praestandum iusiurandum compellenti, librum legis in manum sumere, necesse arbitrabantur, ut, si secus fieret, iusiurandum οὐδὲν haberetur. vide eundem MAIMON. *ib.* §. XI. *pag.* 201. הדיינין שהשביעו בלא נקיטת חפץ בידו הרי אלו טועים *iudices, qui ad iurandum adigunt, absque re in manum suam sumpta, errant certe illi.* Legem autem in iurando tangentes, censebantur iurare per id, quod in ea scriptum: cit. MAIMONIDES *cap.* XII. §. IV. כמלה בידו ונשבע בה ח׳ ז׳ כמי שנשבע במה שכתוב בה. *Si eam in manus sumat, et per eam iuret, reputatur is, ac si iuraverit per id, quod scriptum est in ea.* vide *notas* DITHMARI, *pag.* 200.

Tangebant et in iurando *phylacteria*, תפילין, quae legis instar ab iis habebantur, teste saepius mihi citato MAIMONIDE, *ib cap. XI.* §. *XI.* אם אחז תפילין בידו והשביעוהו אינו חוזר ונשבע שהרי אחז תורה בידו וכמו ספר הן. *si manu apprehenderit phylacteria, ipsumque adiuraverint, ne iterum iuret, revera enim legem in manum sumsit, nam illa habentur instar legis;* quia nempe quasdem ex lege pericopas phylacteriis illis inscribere consueverant, notantibus illis, qui de phylacteriis egerunt, DITHMARO, ad cit. MAIM. *tract. pag.* 18—28. SCVLTETO, *exercitat. Evangel. lib.* 1. *cap.* XX. et commentat. ad *Matth.* XXIII, 5. aliisque.

---

dixerit SAM. PETITVS *variarum lect. cap. XVI*, mihi *Tomo ultimo Bibliorum Criticorum pag. 116. et sqq.* ad hunc, lectorem, harum rerum amantem, remittimus.

Hinc ad Christianos, *tactis Evangeliis* iurandi, devenit consuetudo. Exempla vid. apud DU FRESNE *l. c.* IOH. B. HANSENIVM de *I. V. cap.* XI. STEPH. TRELIERIVM, *libello de iureiurando, cap.* V. LYDIVM, *cap.* IV. §. VI. BASSENIVM, *pag.* 55. et 134. *seqq.* Quibus unicum addo ex MABILLONII *de re diplomatica l.* VI. »Isti et »alii omnia supradicti, similiter dixerunt, quod eam »velatam vidissent, et qualiter dixerunt, ad sancta »Dei Evangelia iuraverunt, quod veritatem dicerent.« Ritus, inter iurandum Evangelia tangendi, in usu remansit; posterioribus saeculis dixere Galli, *jurer aux saints Evangiles de Dieu.* *)

Consuevere praeterea Christiani, quo iuranda firmarent, manum imponere *cruci*, *sanctorum reliquiis*, *linteo*, *cui Christi imaginem impressam* perhibebant, et huiucemodi nugis plurimis; de quibus vid. THEOD. REGN. de BASSENN. *l. c. pag.* 152. *seq.* DU FRESNE *l.* item *cit.* quibus adde PETR. le BRVN, *Histoire Critique etc. l.* V. *cap.* XI. Iusiurandum tactis *sanctorum reliquiis*, **) *tactaque cruce* praestitum, suppeditavit mihi ISAACVS TOVSSAINCT: istud, ex *incerto annalium historiae Franc. scriptore*, PITHOEI beneficio in *annal. hist. Franc.* publicato, depromptum: *San-*

*) Vti legitur in litteris, quas ad Ludov. XI. facultas medica misit, ao. MCCCCLXXI. „*il nous a baillé caution en seureté de nous le rendre, ainsi que selon les statuts de notre faculté faire cedoit, lesquels nous avons tous iurez aux saints Evangiles de Dieu, garder et observer, ne autrement ne les pouvons avoir pour nos propres offaires.*" Exhibetur epistola, cuius citata verba partem faciunt, in *novis litterariis, Tom. X. part. I.*

**) Paganos in iurando quoque ossa cineresque defunctorum tetigisse putat de BASSENN; sed, an idonea possit afferre testimonia, dubitem.

ctus Emmerammus, caeterique sancti, in quorum reliquiis Hludovico Regii filiisque illius, fidem me servaturum esse iuravi: hoc, ex NITHARDI, Caroli M. nepotis, *histor. lib.* II. *ib. p.* 445. *Crucem, in quam iuraverant, et Karolum ut cognoverunt etc.*

Mohammedis sequaces hodiedum manu *Alcorano* imposita iurare, testes cito SANSON, *L'état present du Roiaume Perse, pag.* 212. et GVILELMVM IOS. GRELOTVM *itiner. Constantinop. Gall. ed.* IOH. COTOVICVS in *itinerario Hierosolym. et Syriaco*, de Mohamm. Iudaeis et Christ. agens, *si quis*, ait, *probare quid habeat, scripto vel testibus vel iuramento probat, iuratque hic super Evangelium, ille super Talmud, alter super Alcoranum.*

LYDIVS noster, dictae *diss. cap.* IV. §. X. et XI. quinque diversos, et a diversis gentibus observatos ritus paucis annotat. 1. Veteres *tacta lauro* iurasse per *Apollinem.* *) Ad hanc rem probandam, post SELDENVM, locum adfert ex ANTONINO LIBERALI; quem male cum aliis vocat ANTONIVM,**) quam in rem conf. THOMAM MVNCKERVM in notis ad ANTONINI huius LI-

*) Laurus Apollini fuit sacra. PHAEDRVS, *fab. XVII. lib. III.*

Olim, quas vellent esse in tutela sua,
Divi legerunt arbores. Quercus Iovi
Et Myrtus Veneri placuit, Phoebo Laurea.

v. HIERON. ALEXANDER, in *explicat. tabulae Heliacae*, in *Apolline.* A quo autem tempore Apollo caput laurea cinxit, τῆς μαντικῆς, *divinationis*, fuit symbolum. BVLENGERVS *de sortibus libr. I. cap. III.* cis finem.

**) Cave, Antonium hunece cum M. Antonio Liberali, latino Rhetore, confundas, quo de Achillis Statii *notam* sub finem libri SVETONII *de claris Rhetoribus* inspice.

BERALIS *Metam.* XXVIII. *pag. m.* 300. ANTONINI verba haec sunt: Ἑρμοχάρει δὲ αἰτησαμένῳ κατήνεσε τὸν γάμον ὁ πατὴρ ὁ τῆς Κτησύλλης, καὶ ὤμοσεν τὸν Ἀπόλλωνα, τῆς δάφνης ἁψάμενος. *Hermochari vero nuptias petenti annuit Alcidamas, laurumque tangens Apollinem iuravit.* Totam historiolam ANTONINVS ex NICANDRI ἑτεροιουμένων III. refert. Observat II. LYDIVS, Syracusanos *tactis cereis ignitis* iurasse, (HANSENIVM vid. *cap.* XXVIII. et de BASSENN *pag.* 116.) III. Islandos *contrectato annulo.* IV. Frisios olim *in vestimento* iurasse, ita sc. ut iurans oram vestis illius, cui se purgabat, apprehendens, solenne iuraret iusiurandum. Ex parte cum ritu hocce congruit is, quem apud DRVSIVM, in *annotat.* ad *Ruthae caput* IV. vs. 5. *Hodie in usu est* (inquit Elias ille) *ut contrahant per Sudar, is est pannus, quem tenent duo testes, in quorum praesentia verba exponuntur contractus: quibus expositis, uterque testis explicat oram vestis suae, quam deinde prehendunt partes contrahentes rei firmandae. Atque haec est quae dicitur emptio Sudar, sive linteata.* V. Frisios in pecunia iurasse, ut nempe prolato numo, in quo vultus Regis, aut crux repraesentaretur, ei manum imponerent, quasi Rege cruceque teste iurantes. Hisce potuissent addi VI. Saxones, *manu armata* iurantes: uti legitur in *legibus Saxonum, Tit. I.* §. VIII. *quicunque gladio stricto super alterum cucurrerit, - - - - vel in* manu *liti sui, vel sua* armata, *iuret.* Vnde liquet, non solum per arma iurasse Saxones, sed et ea, tanquam praesentia numina, manu iurantes tenuisse. Confer ad *h. l.* GAERTNERVM. Interim haec observatio coniecturam firmat celeberr. IAC. PERIZONII, *crediderim insuper,* (aientis

D

alibi) *qui per arma sua iurabant, ea manu sua in iurando tenuisse, quum certe commune id quoque fuerit per omnes pene gentes, ut iurantes aliquid manu sua tangerent, vel tenerent.* Ex his iam derivandum est, quod apud plurimas gentes, Longobardos, Francos, Frisiones, etc. periurii *) poena *manus* fuerit *amputatio;* ut eodem

---

*) Periurium, grande nefas, et morte piandum, statuerunt Aegyptii, uti ex DIODORO SICVLO aduotavit E. OTTO, *l. cit.* et ante ipsum A. TIRAQVELLVS, *comment. ad* ALEX. *ab* ALEX. *lib. VI. cap. X pag. 546.* IOH. NICOLAI, *de Synedrio Aegyptiorum, cap. VII.* §. I, aliique. Apud Hebraeos olim periurum aliquando morte puniendum fuisse, recte colligitur ex *1 Sam.* XIV, 39. coll. cum *vs. 44.* ubi Ionathanem, quem flocci fecisse insiurandum putabat, certissime moriturum pronuntiat Saul. מות תמות יונתן *morte morieris Ionathan.* De periurii poenis apud alias gentes, praeter citatos scriptores, consuli possunt, PETRVS GREG. THOLOSANVS, *d. lib. L. cap. IX. pag. 1200. sqq.* LYDIVS, *coroll. dissertationi addito.* BASSENNIVS *cap. VIII. etc.* Imo periuros, *μιαρωτάτους ἀνθρώπων,* condignis, et in hac, et in futura vita, affici poenis, sapientiores inter ipsos gentiles existimavere. Agesilaum periuros barbaros laudare solitum, narrat AELIANVS *in varia historia lib. XIV. cap. II.* ὅτι τοὺς θεοὺς ἐχθροὺς αὐτοῖς ποιησάμενοι ταῖς ἐπιορκίαις, αὐτῷ φίλους καὶ συμμάχους κατεπράξαντο. *eo quod peierando deos sibi ipsis infestos redderent, ipsi vero socios et auxiliares.* confer XENOPH. *de Agesilai laudibus, op. pag. m. 554. edit. Basil. MDXLV.* ubi Agesilaus idem nuntiari iubet foedifrago Tissapherni, quem meritas periurii luisse poenas auctor est idem XENOPHON, *rerum Graecarum lib. III. pag. m. 341* cis finem: γνοὺς καὶ αὐτὸς ὁ Περσῶν βασιλεὺς Τισσαφέρνην αἴτιον εἶναι τοῦ κακῶς φέρεσθαι τὰ αὐτοῦ, Τιθραύστην καταπέμψας, ἀποτέμνει αὐτοῦ τὴν κεφαλήν. *Igitur Persarum rex, cum Tissaphernem omnium malorum causam esse cognovisset, Tithrausten misit, qui eius detruncaret caput.* In futura vita horrendum in modum cruciari periuros inquit PINDARVS, ἀπροσόρατον ὀχέοντι πόνον, *Olymp. Ode II. pag. m. 55. ed. Salmur. MDCXX.* in tenebris et omnigenis illos versari miseriis, Comicus *Ranis Act. 1. sc. III.*

membro, quo Evangelia, altare, aliasque res sacras tetigerant, luxarentur. Vid. CAR. GVILELMVS GAERTNER *notis ad leges Saxonum, Tit.* II. §. 9. *pag.* 46. *sqq.* EVER. OTTO, *dissert. de periurio per Genium Principis, cap.* III. §. *ult. Dissert. publici iuris et privati. Part.* I. *pag.* 295. ANT. MATTHAEVS *manuduct. ad ius Canonicum, lib.* III. *Tit.* IX. *pag. m.* 321. Apud antiquiores gentes idem poenae genus violati iurisiurandi reis inflictum. *Apud Indos* saltem *de periurio convictus manuum pedumque digitis, et extremis membris decurtabatur:* narrante (ex STRABONIS *lib.* XV. TIRAQVELLO cit.) ALEX. ab ALEXANDRO, *Genialium dierum lib.* VI. *cap.* X. *Tom.* II. *pag.* 546. Inde fortasse est, quod saepissime transfugis, qui militare sacramentum, quo, *se fugae atque formidinis causa non abituros, neque ex ordine recessuros, nisi teli petendi feriendive hostis, aut civis servandi causa,* coniuraverant, (IVLIVS FRONTINVS, *Strategem. lib.* IV. *cap.* I. *ex.* IV.) violassent, manus legantur praecisae. FRONTINVS *Strategemat. lib.* III. *cap.* XVI. *pag.* 392. *ed. noviss. comprehensi ab Romanis transfugae, et* amputatis manibus *remissi sunt.* AVIDIVS CASSIVS *multis desertoribus manus excidit,* teste VVLCATIO GALLICANO *in eius*

BA. Quid isthic est? ΞΑ. *σκότος καὶ βόρβορος.*
ΔΙ. Κατεῖδες οὖν που τοὺς πατραλοίας αὐτόθι,
Καὶ τοὺς ἐπιόρκους, οὓς ἔλεγεν ἡμῖν; —
— — — XA. *tenebrae et coenum.*
BA. *Non prospicis alicubi parricidas,*
Et periuros, de quibus ad me locutus est —

Plura, quae de periurio collegeram, ab aliis occupata sunt.

vita, pag. m. 116. ut nunc alia exempla, brevitati studens, omittam. Conferri tamen meretur GERARDI SICHTERMANNI *Dissertat. Philolog. Iuridica, de poenis militaribus Romanorum, cap.* XI. *pag.* 94. *seqq.*

II.

LVDOV. CASPARI VALCKENAER

DISSERTATIO PHILOLOGICA

DE

RITIBVS IN IVRANDO

A VETERIBVS,

HEBRAEIS MAXIME ET GRAECIS,

OBSERVATIS.

PARS II.

PRAESIDE

EMONE LVCIO VRIEMOET

LING. ORIENT. PROF.

FRANEQVERAE MDCCXXXV.

CAPVT V.

DE LOCIS, IN QVIBVS VETERES IVREIVRARVNT, SACRIS.

In locis sacratis *iuravere* Graeci, templis *puta.* Circitores Ephebi, *Athenis ἐν Ἀγραύλου.* HESYCHII *locus de Aglauro a* SALMAS. *emendatus. Locum* POLLVCIS *pessime vertit interpres, reprehensus inde* SALMASIO. *Vndenam interpretis* POLLVCIS, ἐν Ἀγραύλου sub dio *reddentis, natus error?* POLLVX *illustratus. Legendumne sit* Ἀγραύλου, *an vero* Ἀγλαύρου? ARISTOPHANI *lux accensa. De formulis quibusdam iurandi,* ἴστορες θεοὶ, ἴστω, *vel* ἴττω Ζεὺς, *aliisque in transitu agitur. Iurarunt quoque in* aede Proserpinae. etc. *Quare ap.* LIBERAL. *Hermochares malum quoddam in fanum Dianae dicatur coniecisse?* Iudaei *an in* templo *iuraverint?* Rom. *Imperatt. aliosque iurasse in* Capitolio. *Horum iudices ad* Puteal Libonis. *In* sacellis domesticis Tyrios *iuranda concepisse.* Christianos *in templis, et* ad sepulcra martyrum *iurasse probatur. Ad* Delphini monumentum *a nautis iusiurandum accepit Rex Pyranthus.* Sub dio *iurarunt* Romani *per Herculem, Bacchum, et Dium Fidium.*

Eo dissertationis me deduxit series, ut, quibusnam in locis iuranda praestiterint veteres, hoc

capite disquirere necesse habeam; locum enim non promiscue quemcumque, *sed, quo maior religionis esset reverentia, certum aliquem et sacratum fuisse,* cum ERYCIO PVTEANO *Schediasmate de iureiurando antiquorum iudicum* arbitror. Id iam idoneis ut probem testibus, superest. Primo loco in templis solenniora iuranda praestiterunt. ACHILLES TATIVS, *Erotic. lib.* V. *pag.* 309. *Dimissus sum,* (inquit CLITOPHON) *at ea lege, ut postridie in Isidis conveniremus, ibique, teste dea, tota de re, inter nos quid futurum esset, constabiliremus; - - - - iuravimusque, ego quidem, perquam sancte me illam amaturum; illa vero,* (Melite) *me sibi coniugem adscituram, rerumque suarum dominum habituram.* Τῇ δὲ ὑστεραίᾳ συνέκειτο ἡμῖν εἰς τὸ τῆς Ἴσιδος ἱερὸν ἀπαντῆσαι, διαλεξομένοις τε ἀλλήλοις, καὶ πιστωσομένοις ἐπὶ μάρτυρι τῇ θεῷ - - - - ὀμνύομεν, ἐγὼ μὲν, ἀγαπήσειν ἀδόλως, ἡ δὲ, ἄνδρα ποιήσασθαι, καὶ πάντων ἀποφῆναι δεσπότην. *Alibi* Melite ad CLITOPHONTEM: ἅμα μνήσθητι τῆς Ἴσιδος, αἰδέσθητι τοὺς ὅρκους τοὺς ἐκεῖ. *Isiaci templi recordare, et iusiurandum inibi firmatum reverere.* μνήσθητι τῆς Ἴσιδος, pro μνήσθητι τοῦ τῆς Ἴσιδος ἱεροῦ. HELIODORVS *Aethiopic. lib.* II. *pag.* 114. Postquam Cnemoni cuidam dixerat Calasiris, olim se in Graeciam profectum, cum Apollinis Pythici Sacerdote Chariclе amicitiam iniisse, addit, varios vitae suae casus hunc sibi enarrasse Chariclem, inter quos et hic: versatum olim in Aegypto, die quodam per celebris urbis cuiusdam deambulantem plateas, obvium habuisse senem quendam, *) qui sibi in pro-

*) Cui nomen Sisimithris, *qui tunc temporis unus erat ex Gymnosophistarum collegio.* τότε μὲν εἷς τῶν πολλῶν Γυμνοσοφιστῶν. HELIOD. *lib.* X. *pag.* 471. Erant autem Aethiopes

ximum *templum* deducto, grandes opes offerret dono, et identidem (sic refert fabula) se illudi querítanti haecce responderet: *οὐ παίζω, ἀλλὰ καὶ σφόδρα σπουδάζω, καὶ ἐπόμνυμί γε τὸν ἱδρυμένον ἐνθάδε θεὸν, ἅπαντα δώσειν, εἰ πρὸς τούτοις ἕτερον δῶρον ὑποδέξασθαι βουληθείης. non ludo, sed rem quam maxime seriam molior; testis sit huius templi praeses deus, omnia haec tibi me daturum, si praeter haec et aliud donum suscipere volueris.* Paulo post: *πίστευε, εἶπε, ἀλλ' ἐπόμνυε καὶ αὐτός. crede, inquit, sed iura etiam ipse.*

Erat Athenis Aglauri templum, in quo iuvenes, militandi ergo patrias sedes relicturi, sacramentum dicebant. POLLVX *Onomast. lib.* VIII. *segm.* 105. *περίπολοι ἔφηβοι περιήεσαν τὴν χώραν φυλάττοντες, ‒ ‒ ‒ ‒ καὶ ὤμνυον ἐν 'Αγραύλου·*) ‒ ‒ ‒ ἵστορες θεοὶ, Ἄγραυλος, Ἐνυάλιος, Ἄρης, Ζεὺς, Θαλλὼ, Αὐξὼ, Ἡγεμόνη.* quae ita reddidit RVDOLPHVS GVALTHERVS: *circuitores ephebi, regionem custodientes circuibant, ‒ ‒ ‒ et sub dio iurabant: ‒ ‒ ‒ Dii ἵστορες cognitores, Agrauli, Enyalius, Mars, Iupiter, floreo, augesco, duci.* Ad hunc locum si contuleris eximios commentatores, GOTHOFREDVM IVNGERMANNVM, IOACHIMVM KÜHNIVM,

---

illi Γυμνοσοφισταὶ, *σοφοὶ sapientes, σύνεδροί τε καὶ σύμβουλοι τῶν πρακτέων τῷ βασιλεῖ γιγνόμενοι adsessores consiliariique regii. Ib. pag. 456.* quorum collegium θειότατον ibidem audit.

*) HESYCHIVS in *nota* IVNGERMANNI: Ἄγλαυρος θυγάτηρ Κέκροπος. περὶ δὲ 'Αττικοῖς καὶ ὀμνύουσιν κατ' αὐτῆς. ἦν δὲ ἱέρεια τῆς 'Αθηνᾶς. *Ib.* IVNGERM. *emenda*, inquit, παρὰ δὲ 'Αττ. *et respexit ille idem hoc ipsum iusiurandum, quod περιπόλους praestitisse noster ait.* Sed, si ad hocce respexerit iusiurandum HESYCHIVS, cur non potius, vir eruditissime, verbis hisce περὶ δὲ 'Αττικοῖς substituis περίπολοι δὲ 'Αττικῆς? uti legendum censet *vir magnus*, CLAVDIVS SALMASIVS, *loco iamiam citando*, quam lectionem genuinam esse quivis viderit.

et illustre illud nomen, TIBERIVM HEMSTERHVISIVM, hos, inquam, si contuleris, quòd amplius desideres, nihil erit. MAVSSACVS *in Harpocr. p.* 245. (inquit cl. HEMSTERHVISIVS) *ineptam interpretis ἐν Ἀγραύλου reddentis sub dio versionem castigat.* Eandem quoque ridet CLAVDIVS SALMASIVS, in *nota* ad *vs.* 29. *consecrationis templi in agro Herodis Attici Triop.* apud CRENIVM *Musaeo Philol. et histor. Tomo* II. *pag.* 114. Error interpretis ex eo natus, quod Ἄγραυλον per ὕπαιθρον exponentem HESYCHIVM forsan fuerit secutus. Ἄγραυλοι, οἱ ἐν ἀγρῷ νυκτερεύοντες. Idem. Vide et SVIDAM *hac voce.* In *Glossis*, a LABBEO collectis, haec leguntur: Ἀγραυλέω *ruro.* ἄγραυλος *rusticus.* ἀγραύλω *rusticor.* ἀγραυλῶ *nitor, vigilo.* Verbum ἀγραυλεῖν *sub dio agere* occurrit etiam in N. T. *Luc.* II, 8. ποιμένες ἦσαν ἐν τῇ χώρᾳ τῇ αὐτῇ ἀγραυλοῦντες, *erant in ea ditione pastores sub dio vigilantes.* Scribendumne sit Ἀγραύλου, num vero Ἀγλαύρου, prorsus incertum, et *utrumque scribendi modum obtinuisse* cum T. HEMSTERHVISIO praestat dicere, quam rem haud liquidam multis obscuriorem reddere. Caeterum, si quidem IVNGERMANNVS per Ἄγραυλον, in illo ARISTOPHANIS, quem in notis adducit, loco, Aglaurum, qua de heic apud POLLVCEM sermo est, censeat intelligendam, errat; aut, si mavis, ARISTOPHANIS interpres. En locum ARISTOPH. *Thesmophoriaz. pag. m.* 780. *ed. in* 12.

Οὔ τοι μὰ τὴν Ἄγραυλον, ὦ γυναῖκες, εὖ
φρονεῖτε.

Vertit ANDREAS DIVVS:

Non per agrestem et venatricem Dianam, o
mulieres, bene sapitis.

Si imi subsellii iudici deferretur lis, ARISTOPHANIS interpreti herbam porrigerem, commode id nominis indi potuisse Dianae, imo *montium virginem* vocari Ἄγραυλον a Comico, saepius similibus cognominibus deos suos denominante, non esse alienum, arbitratus.

POLLVCIS verba sequentia, Θαλλὼ, Αὐξὼ, Ἡγεμόνη, verte cum KÜHNIO: *Thallo, Auxo, Hegemone.* De prioribus adi eundem, et REINESIVM, in *syntagm. inscript. cl. 1. pag. 62.* De Hegemone, *notam* HEMSTERHVISII, id nominis Dianae ab Ambraciotis datum ex ANTONINO LIBER. docentis. De formula illa iurisiurandi, Ἴστορες θεοὶ, praeter *citatos commentt.* SALMASIVM lege *d. l.* ad verba

– – – – ΕΠΕΙ ΤΙΜΑΟΡΟΣ ΕΣΤΩΡ.

existimantem, male hic descriptum ἔστωρ pro εἴστωρ, quod loco ἴστωρ, ut infinita. Frequentissima autem fuit formula, Ἴστω Ζεύς. LVCIANVS *de amicitia*: Ἴστω τοίνυν ὁ Ζεὺς ὁ Φίλιος. EVRIPIDES, *Iphigen. Taur. vs.* 1077. Ἴστω μέγας Ζεύς. SOPHOCLES, *Antigone vs.* 190. Ἴστω Ζεὺς, ὁ πάνθ' ὁρῶν ἀεί. *Trachin. vs.* 403. Thebanis, pro ἴστω, ἴττω Ζεὺς in ore frequens fuit, quod exemplis confirmat PETRVS PETITVS, *observat. miscell. libro* III. *cap. ult.* Dicebant etiam Θεοὶ ξυνίστορες. SOPHOCLES *Philoct. vs.* 1338. EVRIPIDES *Supplicibus, vs.* 1174.

Ζεὺς δὲ ξυνίστωρ, οἵ τ' ἐν οὐρανῷ θεοί.
Testes sint Iupiter, reliquique dii coelestes.

Sed haec obiter dicta sint.

Iurarunt quoque in aede Proserpinae. CORNELIVS NEPOS *Dione, cap.* VIII. *mulieres nihilo secius Callicratem in aedem Proserpinae deducunt, ac iurare cogunt, nihil ab illo periculi fore Dioni;* ad quem locum videndi MAGIVS et LONGOLIVS.

Apud eosdem Graecos, (inquit ALEX. ab ALEXANDRO, *lib.* v. *Genialium dier. cap.* X. *pag.* 86.) *qui sanctam et inviolabilem praestant fidem, in Thesmophorae, hoc est legiferae Cereris descendere templum, et quibusdam exhibitis sacris deae, purpuram induere, incensisque facibus, velut praesentibus numinibus, per quicquid est deorum deierare solebant*, ubi TIRAQVELLI *notulam* inspicias. Armenios in templo Anaitidis deae iusiurandum praestare consuevisse, idem ex STRABONE annotat. *pag.* 89.

Ea cum essent opinione Veteres, iusiurandum, solenni modo in templis praestitum, sanctius, et nullo modo violandum, inde petenda ratio, quare Atheniensis ille Hermochares, Ctesyllae cuiusdam amore captus, malum, cui iusiurandum inscripserat, quo virgo per Dianam, se Hermochari nupturam, iuraret, in fanum Dianae abiecerit; ut scilicet puella, sublato malo, lectisque quae ei essent inscripta, ad illa praestanda sanctitate loci obligaretur. Verti fere verba ANTONINI LIBERAL. *metam.* 1. *Καὶ ἐπιγράψας μῆλον, ἔῤῥιψεν ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Ἀρτέμιδος. ἡ δὲ ἀνείλετο καὶ ἀνέγνω. ἐγέγραπτο δὲ ὅρκος κατὰ τῆς Ἀρτέμιδος, ἦ μὴν γαμηθήσεσθαι Ἑρμοχάρει Ἀθηναίῳ.*

Iudaei iuraverintne in templo, vix habeo dicere; posset tamen id quodammodo liquere ex Sacerdote Magno, quem, in conclave Abtines deductum, de adolendo suffimento, seniores Sacerdotes leguntur adiurasse, in *Ioma, cap.* 1. *misohna* V. משביעין אנו עליך במי ששכן את שמו בבית הזה שלא תשנה דבר מכל מה שאמרנו לך *adiuramus te per eum, cuius nomen habitat in hoc templo, quod nihil ex omnibus quae tibi diximus, sis mutaturus.* Erat autem בית אבטנס *domus Abtines* unum ex conclavibus illis, in atrio magno exstru-

ctis, prope conclave פרהדרין paredrin, quam vocem a Gr. πάρεδροι dimanasse, notarunt BVXTORFIVS, SHERINGHAMIVS, alii: fortasse rectius a Gr. voce πρόεδροι, (seu προεδρία, quo nomine praecipue vocabant Graeci ἐν τῷ δικαστηρίῳ τὴν πρώτην καθέδραν. POLLVX *Onom. lib.* VIII. *segm.* 133, et alibi) illam derivat DAVID COHEN de LARA in hhir David *hac voce. fol.* 72.

Romanos quod attinet, horum Imperatoribus in *Capitolio* iurare solenne fuit. M. ANTONINVS Philos. teste IVLIO CAPITOLINO, *in eius vita, pag. m.* 96. *Ante tempus sane mortis, priusquam ad bellum Marcomannicum rediret, in Capitolio iuravit, nullum Senatorem se sciente occisum.* Vetustissimum, et sanctissimum illud, per Iovem Lapidem iusiurandum in Capitolio quoque iurasse putat Romanos STEPHANVS TRELIERIVS *de iureiurando cap.* V. *) De Iudicum Romanorum iureiurando ad *Puteal Libonis* erudite disserunt et paucis ERYCIVS PVTEANVS *schediasmate de iureiurando antiquorum Iudicum*, et FAMIANVS NARDINVS in *Roma vetere lib.* V. *cap.* VII.

Tyrios in *sacellis* deierasse domesticis, colligi videtur posse ex aureo illo XENOPHONTIS Ephesii *Ephesiacorum* libello, *pag.* 24. ubi Tyria mulier, Manto dicta, ancillae cuidam, Abrocomam deperire se, indicatura, eiusque opem imploratura, Manto, inquam, Rhodam, (id nominis ancillae erat) ἄγει πρὸς τὰ πατρῷα ἐπὶ τῆς οἰκίας ἱερὰ, καὶ δεῖται μὴ κατειπεῖν αὐτῆς, καὶ ὅρκους λαμβάνει κ. τ. λ. *in domesticum patris ducit sacellum, ac-*

*) Praeter hunc pluribus de hoc iurando agentes adi HANSENIVM nostrum, *cap.* XXI. ERYCIVM PVTEANVM *schediasmate cit.* TIRAQVELLVM ad ALEX. ab ALEX. *l. cit. Tom. II. pag.* 20. et alios.

ceptoque iureiurando, ne sibi contradicat, obnixe petit.

A gentibus idololatrico cultui deditis rursus consuetudinem suam, iurandi in templis, et ad sanctorum martyrum sepulcra, plus nimis easdem imitati Christiani desumserunt: legi h. in rem potest liber utilissimus P. le BRVN, *Histoire Critique des pratiques superstitieuses, etc. Tom.* II. *lib.* V. *cap.* II. ubi in *notis* inter alios GREGORIVM adducit TVRONENSEM, alicubi sic loquentem: »Alius vero, »qui plerumque in furtis diversisque sceleribus »commixtus, peierare consueverat, cum aliquando »a quibusdam pro furto argueretur, ait: Ibo ad »Basilicam Sancti Martini, et sacramentis me exuens »innocens reddar. Quo ingrediente elapsa securi de »manu eius, ad ostium ruit, gravi cordis dolore »perculsus: confessusque est miser verbis propriis, »quae venerat excusare periuriis.« Sic et ad martyrum iurarunt *sepulcra*, quae ut loca religiosa coluere, prorsus eodem modo, quo gentiles sepulcra locos dixere religiosos. In consecratione templi in agro Herodis Att. vs. 21. legitur,

ΙΕΡΟΣ ΟΥΤΟΣ Ο ΧΩΡΟΣ - - - -

quem versiculum de monumento Herodis, in via Appia consecrato, explicat SALMASIVS, cuius eruditiss. notam lege sis. Ex multis unicum exemplum iurisiurandi ad martyris sepulcrum ex modo laudato scriptore exscribam. »Elegi aliquod medium, (verba sunt AVGVSTINI, *epist.* LXXVIII.) »ut certo placito se ambo constringerent, ad locum sanctum se perrecturos, ubi terribiliora opera »Dei non sanam cuiuscunque conscientiam multo »facilius aperirent, et ad confessionem, vel poena, »vel timore, compellerent. — Multis notissima est »sanctitas loci, ubi Beati Felicis Nolensis corpus »conditum est, quo volui ut pergerent.« Per manes

defunctorum iurasse eorumque sepulcra tetigisse barbaras quasdam gentes, observavit ALEX. ab ALEX. *l. c.* ubi omnino videndi scriptores TIRAQVELLO citati, HERODOTVS, MELA, aliique. Apud HYGINVM lego *fab.* CXCIV, voluisse Pyranthum, ut nautae ad Delphini iurarent monumentum.

LYDIVS *cap.* V. sub finem notat, veteres ad aquarum scaturiginem, ut et olim *sub dio* iurasse Romanos, per Herculem, et Bacchum. PLVTARCHVS, *quaest. Roman. quaest.* (non XVIII, quam citat LYDIVS) XXVIII. Διὰ τί τοὺς παῖδας, ὅταν ὀμνύωσιν τὸν Ἡρακλέα, κωλύουσιν ὑπὸ στέγῃ τοῦτο ποιεῖν, καὶ κελεύουσιν εἰς ὕπαιθρον προϊέναι; — οὐδὲ γὰρ τὸν Διόνυσον ὀμνύουσιν ὑπὸ στέγῃ. Versionem cit. LYDIVS exhibet. Caeterum quare Bacchi iusiurandum sub tecto non praestiterint, docet HIERON. ALEANDER, *explicat. tabulae Heliacae, col.* 715. *Tom.* V. *Antiquit. Roman.* Sub dio et per Iovem Fidium iurasse ait VARRO, apud LVDOV. AVRELIANENSEM, *novis cogitat. in* TACITI *Annales, pag.* 170.

C A P V T V I.

DE VARIIS PROBATIONIBVS, QVAS OLIM IVRATVRI SVBIERE.

Antiquitus ferrum candens *manu contrectabant* Graeci *inter iurandum.* Per ignem *transibant. Quid sit* μύδρος? *Cur* massas *illas* ferreas *in* mare *proiecerint? Hirpini per ignem ambularunt.* Probationum *apud Christianos frequentis usus a Graecis arcessenda origo.* Christiani, *postquam iureiurando dicta constabiliissent, varias subiere probationes, per* duellum, ferrum ignitum, aquam calidam, *cui,*

vel manum immittere, vel totos sese immergere, sueverunt. Purgatio per aquam ferventem *veteribus quoque Frisiis nota, ut et illa per* crucem. *Quomodo ea peragi solita? Probatio per* aquam frigidam, *ad explorandas sagas, adhuc saeculo* XVI. *fuit in usu. Similes fere superstitiones, apud veteres receptae, enumerantur. Harum pleraeque ex usu* aquarum Sotae, Num. V. *etc. originem videntur traxisse.*

Plurimos ritus, primis iam a Christo N. saeculis, in Ecclesiam a Gentilibus religionem Christianam amplexis fuisse importatos, et alibi memini me dicere, et, quae hoc capite sum dissertaturus, fidem faciunt. Scilicet iam olim in Graecia invaluerat consuetudo, solenniora iuranda singularibus ritibus et caerimoniis adhibitis constabilire. *Ferrum*, ad ignem candefactum, *in manus sumebant*, et, per aliquod temporis spatium circumgestatum, in mare deiiciebant; firma et stabilia, quae dixerant, usquedum ferrum illud aquis innataus rursus appareret, remansura iurantes: vel etiam *per ignem transire* solebant; certi, in hisce nihil detrimenti insontem passurum. Quae dixi, edoctus sum a SOPHOCLE eiusque COMMENTATORE. Loquentem ille facit nuntium queudam, Creonti, Polynicis corpus noctu ablatum esse, enarrantem, in *Antigone vs. 270.*

Ἦμεν δ' ἕτοιμοι καὶ μύδρους αἴρειν χεροῖν,
Καὶ πῦρ διέρπειν, καὶ θεοὺς ὁρκωμοτεῖν,
Τὸ μήτε δρᾶσαι, μήτε τῳ ξυνειδέναι
Τὸ πρᾶγμα βουλεύσαντι, μήτ' εἰργασμένῳ.
Eramus quoque parati, et ferrum ignitum levare manibus,
Et per ignem ire, iurareque deos,
Nos neque fecisse, nec cuiquam conscios esse
Facinus machinanti neve perpetranti.

Quae ad h. l. veteres dicant commentatores, utpote ea quae asserui, firmantia, hic loci adscribere iuvabit. Ἦμεν δ' ἕτοιμοι καὶ μύδρους] σίδηρον πεπυρακτωμένον· εἰώθασι γὰρ οἱ ὀμνύοντες ταῦτα ποιεῖν. μύδρους γὰρ αἴροντες ἐπαρῶνται μένειν τὰ ὅρκια, ἕως αὐτοὶ φανῶσι, καὶ ῥίπτουσιν αὐτοὺς εἰς θάλασσαν, ὅπως οὖν αἰώνια τὰ ὅρκια ὑπάρχῃ. ὡς καὶ Καλλίμαχος,

Φωκείων μέχρις κε μένῃ μέγας εἰν ἁλὶ μύδρος.

καὶ τὸ πῦρ δὲ διαπορευόμενοι ὤμνυον. Ἄλλως. ἕτοιμοι ἦμεν πάσας βασάνους ὑπομένειν πρὸς ἔλεγχον. εἰώθασι δὲ ὀμνύοντες καὶ πίστεις διδόντες μύδρους βαστάζειν, καὶ πῦρ ὑπερβαίνειν. τοὺς γὰρ μὴ ἐνόχους τῷ ἁμαρτήματι ᾤοντο καὶ ἐν τούτοις μὴ ἀλγεῖν. Ordinem verborum paullulum in initio invertas, et commodior erit sensus: εἰώθασι γὰρ οἱ ὀ. τ. ποιεῖν. ὅπως οὖν αἰώνια τὰ ὅρκια ὑπάρχῃ, μύδρους αἴροντες ῥίπτουσιν αὐτοὺς εἰς θάλασσαν, καὶ ἐπαρῶνται μένειν τὰ ὅρκια, ἕως αὐτοὶ φανῶσι. ὡς καὶ Κ. κ. τ. λ.

Ad hunc Scholiastae locum respicere putem ALOYSINVM NOVARINVM, *sacrorum electorum lib. VI. cap. XXXII.* ubi, *olim*, inquit, *iuraturi lapides in mare proiiciebant, quos μύδρους vocabant, uti annotat Sophoclis interpres*, apud LYDIVM *cit. l. p.* 326. At vero, hoc in loco, ad quem digitum intendis, mi NOVARINE, μύδρους vertit σίδηρον πεπυρακτωμένον, non λίθον: imo μύδρος plerumque eo, quo dixi, venit sensu. Apud AESCHYLVM, in *Prometheo vincto, vs.* 366. Vulcanus dicitur μυδροκτυπεῖν *laminas ignitas cudere.* Scholiastes: μυδροκτυπεῖ] χαλκεύει. μύδρος καλεῖται ὁ πεπυρακτωμένος σίδηρος. *mydrus ferrum ignitum notat.* Idem Vulcanus ἐνερείσας (uti loquitur ANTONIN. LIBERAL. *metam.* XXVIII.) τοὺς ἄκμονας αὐτοῦ τῷ τραχήλῳ, διάπυρον

ἐργάζεται μύδρον. *impositis in cervices eius* (Typhonis) *incudibus*, *ferreas cudit massas*, ubi doctam MVNCKERI *notam* inspice. In memoriam hoc mihi revocat ANAXAGORAM Philosophum, solem διάπυρον esse μύδρον dictitantem. SVIDAS in μύδρος· — Οὗτος ὁ Φιλόσοφος τὸν ἥλιον μύδρον ἔλεγεν εἶναι διάπυρον, — καὶ μείζω τῆς Πελοποννήσου. *Philosophus hicce solem dicebat esse massam ignitam*, *et Peloponneso maiorem*. Quae quamvis ita se habeant, non nego tamen, μύδρον praeter *ferrum ignitum* lapidem etiam aliquando denotare, quod vel patet ex HESYCHIO, μύδρον exponente per ἀργὸν σίδηρον et κραταιὸν λίθον.

Gentis cuiusdam, per medium ignem (inter iurandum procul dubio) inambulantis, meminisse SERVIVM ad VIRGILIVM, indicavit mihi vir iuvenis ad literas ornandas natus GEORGIVS D'ARNAVD. Exstat locus *Aeneid.* XI. *vs.* 784.

- - - - Superos Aruns sic voce precatur:
Summe Deum sancti custos Soractis Apollo,
Quem primi colimus, *cui pineus ardor acervo*
Pascitur, *et* medium *freti pietate* per ignem
Cultores multa premimus vestigia pruna.

Servius: *freti pietate.*] *Iste quidem hoc dixit: sed Varro ubique expugnator* (aut, si mavis, *expurgator*) *religionis ait, cum quoddam medicamentum describeret:* Eo uti solent Hirpini, cum ambulaturi per ignem, medicamento plantas ungunt. Porro confer, quae ad hunc VIRGILII locum docte congessit IOH. LVDOV. de la CERDA, *commentar. Tom.* III. *pag.* 646. *b.*

Atque hinc liquet, undenam illarum probationum per ferrum candens, ignem, aquam calidam etc. quibus apud scriptores Christianos, medii et

infimi aevi, nihil notius, sit arcessenda origo. Quaenam hae probationes fuerint, quo modo peragi solitae, dicam paucis post rev. PETRVM le BRVN, *Histoire critique etc. Tomo* II. cui soli pleraque, quae de hisce sum dicturus, debere me, lubens profiteor. *Primo* loco observo, purgationem *per duellum* usu fuisse receptissimam; si qua dirimi aliter non posset lis, duo singulari certamine dimicabant, certo arbitrati, insontem victorem discessurum. Narrat GREGORIVS TVRONENSIS, *Histor. Franc. lib.* VII. *pag.* LI. accusatam Gundebergam, ac si maritum suum Choroaldum veneno voluisset interficere; hanc scelus a se fuisse amolitam; convenisse dein, ut duo singulari certamine dimicarent, *quo* (inquit) *iudicio Dei, his duobus confligentibus, cognoscatur, utrum huius culpae reputationis Gundeberga sit innoxia, an fortasse culpabilis.*

Probatio *per ferrum candens*, quae per plura saecula post quartum inter Christianos viguit, hoc modo peragebatur: ferrum ignitum repetitis vicibus in manus sumebant, seque, huius illiusve criminis haud reos esse, deierabant. Mentionem eius iniiciens AGOBARDVS *Op. Tomo* 1. *pag.* 302. *ed. Baluzi: mitte unum de tuis* (ait) *qui congrediatur mecum singulari certamine, et probet, me reum tibi esse, si occiderit. Aut certe iube ferrum vel aquas calefieri, quas manibus inlaesus attractem.* Saepe etiam duodecim ferreis massis candentibus, certo ordine dispositis inambulabant. *Capitular. Franc. cap.* I. *Super duodecim vomeres ardentes se expurget.* Verum enimvero existimandum minime est, tum temporis, cum vel maxime obtinebant, omnium calculo superstitiosas has consuetudines fuisse comprobatas. Praeter alios, quem iamiam allegavi, AGOBARDVS publice eas impugnavit in

tractat. contra damnabilem opinionem putantium, divini iudicii veritatem igne, vel aquis, vel conflictu armorum patefieri.

Adhaec *per ignem transibant.* Praeter antiquorum temporum exempla, quae plura adducit laudatus scriptor, unum habet memoratu dignissimum ex LANDVLPHI Iunioris *historia Mediolanensi, cap.* X. *pag. 482. Tom.* V. *Scriptorum Italicorum.* ubi narrat Landulphus, anno MCIII. presbyterum quendam Luitprandum, Archiepiscopum Mediolanensem Grosulanum ut simoniacum traduxisse, sese paratum dicentem ad iudicium ignis subeundum, quo, Grosulanum sceleris reum esse, comprobaret; idem dein iureiurando confirmasse, imo per medium ignem, *ceu arenam calcaret*, pertransiisse. Ipsa LANDVLPHI verba apud BRVNIVM invenies, in *nota ad pag. 102. seq.* libri supra memorati.

Praeterea, quo rei antea iurando iam stabilitae indubia constaret fides, *ferventi aquae* manum immittere, interdum totos sese ei immergere solebant. Exemplum huius purgationis reperitur apud HINCMARVM *de divortio Lotharii, et Tetbergae pag. 302. ex edit. Cordes.* ubi horrendum crimen pernegante Tetberga, »probationisque auctore, testi»busque deficientibus, indicio Laicorum nobilium, »et consultu Episcoporum, atque ipsius Regis »consensu, vicarius eiusdem foeminae ad iudicium »aquae ferventis exiit, et postquam incoctus fuerat »ipse repertus, eadem foemina maritali thoro, ac »coniugio regio, decreto quo suspensa fuerat, est »etiam restituta.« Circa annum 828. idem ad probandam doctrinam suam subire iudicium paratum se dicebat Gottescalcus. »Vtinam (sic loquitur apud »VSSERIVM *Histor. Gottesc. p.* 233.) concede»retur mihi — ut isto, quo dicturi sumus, favente

» tua gratia, id approbarem, cernentibus cunctis, » examine. Vt videlicet quatuor doliis uno post » unum positis, atque ferventi sigillatim repletis » aqua, oleo pingui, et pice, et ad ultimum ac- » censo copiosissimo igne, liceret mihi invocato » gloriosissimo nomine tuo ad approbandam hanc » fidem meam, immo fidem Catholicam in singula » introire, et ita per singula transire« et reliqua.

Probationes hac, per *aquam ferventem*, apud antiquos Frisios usitatae, quo peragerentur modo, dilucide exponit SIBRANDVS SICCAMA, in *notis ad §. I. tit. XIV. antiquae Frisionum legis, pag. 69 et 70.* qui et (ut id obiter addam, etenim apud BRVNIVM non succurrit repperisse) observat, purgationem eosdem habuisse per crucem, qua utraque pars praestito iureiurando ad crucem iuberetur stare per XLII. noctes, ut, quae perstitisset, victrix, quae cessisset, victa haberetur. *Constitue cruces* (ita alibi legitur) *ad quas stans immobilis perseverem.* Interim cum illa purgatione per aquam ferventem ex parte congruit, quam apud Ceilanenses in usu esse narrat ROBERTVS KNOX *in itiner. Parte IV. cap.* IX. ut scilicet ad dirimendam, quae iam ad forum deducta esset, litem utraque pars priores dextrae manus digitos ferventi immitteret oleo, Deumque coeli et terrae testem invocaret; addit autem: reum semper laedi, dum nil detrimenti passos innocentes saepius ipsemet vidisset.

Erat et apud Christianos probatio *per aquam frigidam*, qua probandi pedibus manibusque ligabantur, et quidem laevo pedi manus dextra, sinistra manus pedi dextro quam arctissime colligabatur: tum in aquam deiiciebantur, *ut ita, si submersi fuerint, inculpabiles reputentur, si supernataverint rei iudicentur,* quod legitur in *Capitul. Franc. Tom.* II. *pag. 652. ed.* BALVZ. Illam autem pro-

bationem veteribus quoque Germanis usitatam, qua tenellos infantes in rapidissimo Rheni fluvio solerent immergere, torusne esset purus et immaculatus, exploraturi, colligunt viri docti ex illo CLAVDIANI:

Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus.

Ex eadem consuetudine nomen flumini inditum, a *rein*, purus, *ryn* Renus, et corrupte Rhenus, hariolatur GER. IOH. VOSSIVS *de vitiis sermonis etc. lib. I. cap. IX.* sub finem.

Caeterum probatio illa sub finem adhuc saeculi XVI. in quibusdam Germaniae oris ad explorandas sagas mulieresque maleficas fuit adhibita; quam in rem legi possunt *tractatus duo singulares, de examine sagarum, super aquam frigidam proiectarum (von der Wasserprob der Hexen) mihi edit Francof. et Lips. MDCLXXXVI.* Narrat G. ADOLPHVS SCRIBONIVS in *epistola* isti libello subiuncta, vidisse se anno MDLXXXIII. Lemgoviae sagas tales in aquam proiectas, *eique instar trunci lignei innatantes.* Si in rationes, quas stupendae huius rei SCRIBONIVS reddat, inquiras, a risu vix est quod temperes. Huc eae redeunt: *Daemonis* (inquit) *substantia spiritualis est et aetherea, aërea et levissima. Sagas* definit *homines essentiam diaboli, a quo obsidentur, participantes.* Cum iam sagae essentiae diaboli sint participes, levissima autem ferantur sursum, nil mirandum putat, istas mulieres aquae, qua leviores sunt, innatare. Sed apage istiusmodi nugas.

Vidimus iam plerasque illas Christianorum purgationes. Quasdam hisce fere similes, apud veteres Graecos aliasque gentes usu receptas, delibemus. Auctor est ACHILLES TATIVS, *de amor. Clitoph. et Leucippes, libro ult. pag. 515. edit.* SALMASII 1640. fuisse fontem quendam prope Ephesum, stupendo modo periuras explorantem: si qua

violatae pudicitiae rea iureiurando crimen a se amolita esset, in fontem, schedula, cui iurisiurandi verba inscripta essent, collo alligata, descendere compulsam; si falsum iurasset iusiurandum, undam, licet alias vix medias ingressae tibias attingentem, intumuisse, et ad collum usque elevatam, schedulam contexisse; sin secus verum praestitisset iurandum, aquam remansisse immotam. Verba ACHILLIS haec sunt: Καὶ διὰ τοῦτο, ὅταν τὶς αἰτίαν ἔχῃ Ἀφροδισίων, εἰς τὴν πηγὴν εἰσβᾶσα ἀπολούεται. ἡ δέ ἐστιν ὀλίγη, καὶ μέχρι κνήμης μέσης. ἡ δὲ κρίσις· ἐγγράψας τὸν ὅρκον γραμματείῳ, μηρίνθῳ δεδεμένον περιεθήκατο τῇ δέρῃ κᾂν μὲν ἀψευδῆ τὸν ὅρκον, μένει κατὰ χώραν ἡ πηγή· ἂν δὲ ψεύδηται, τὸ ὕδωρ ὀργίζεται, καὶ ἀναβαίνει μέχρι τῆς δέῤῥης, καὶ τὸ γραμματεῖον ἐκάλυψεν. Palicenos tabellae iurisiurandi formulam inscribere, eam in fontem quendam proiicere, atque ita, verumne an falsum esset iusiurandum, explorare solitos, tradit STEPHANVS BYZANT. in Παλική· — Ἔστι καὶ κρήνη τις ἐν Παλικοῖς τῆς Σικελίας, ὡς δεκάκλινος. Αὕτη δὲ ἀναῤῥίπτει ὕδωρ εἰς ὕψος ἒξ πήχεις, ὥστε ὑπὸ τῶν θεωρούντων νομίζειν κατακλυσθήσεσθαι τὸ πεδίον, καὶ πάλιν εἰς ἑαυτὸ καθίσταται. Ἔστι δὲ καὶ ὅρκος ἅγιος αὐτόθι. Ὅσα γὰρ ὀμνύει τις, εἰς πινάκιον γράψας, βάλλει αὐτὸ εἰς τὸ ὕδωρ. Ἐὰν μὲν οὖν εὐορκῇ, ἐπιπολάζει· ἐὰν δὲ μὴ εὐορκῇ, τὸ μὲν πινάκιον ἀφανίζεται, αὐτὸς δὲ πίμπραται. *Est etiam fons quidam in Palicis Siciliae, circiter* δεκάκλινος, i. e. *magnitudine, qui decem lectos aequaret. Ipse vero emittit aquam ad sex cubitorum altitudinem, ita ut ab inspicientibus campus inundandus iudicetur, at iterum intra se colligitur. Est et inibi iusiurandum sanctum. Quaecunque enim aliquis iurabat, in tabula scripta*

proiiciebat in aquam. Quod si vere iuraverat, innatabat. Sin minus, tabula evanescebat, ipse vero periurus comburebatur. Ad hunc locum confer scriptores THOMAE de PINEDO, eruditissimo viro, laudatos. Interim male hunc fontem in Sardiniam transtulit SOLINVS, merito inde reprehensus illustrissimo SALMASIO, *exercitat. Plinianarum in Solinum cap. IV. Tom. I. pag.* 73. De Fonte Arcadino mira narrat ARISTOTELES, apud HANSENIVM, *de veterum iureiurando cap.* XXVIII. Confer etiam de his, praeter eundem, *cap.* XVI. *col.* 842. LYDIVM, *cap.* IV. § 1. sed inprimis GVIL. SALDENVM, *otiorum Theolog. lib. I. exercitat. VI. pag.* 115, 116, 117 *et seqq.* et HVETIVM *ibid.* laudatum. Adde his omnibus PHILOSTRATVM *vita Apollonii lib.* III. *cap.* III. *pag.* 118. c. *edit. Morell. Paris.* MDCVIII. ubi putei probatorii, ad quem iurabant Indi, mentionem iniicit. et eundem *ib. lib.* I. *cap.* IV. quem locum, licet partim ab aliis iam adductum, hic iterum adscribam. Ἔστι δέ τι περὶ Τύανα ὕδωρ, ὅρκιος Διος, ὥς φασι· καλοῦσι δὲ αὐτὸ Ἀσβαμαῖον· οὗ πηγὴ ἀναδίδοται ψυχρά. παφλάζει δὲ, ὥσπερ ὁ θερμαινόμενος λέβης. τοῦτο εὐόρκοις μὲν ἵλεών τε καὶ ἡδὺ ὕδωρ, ἐπιόρκοις δὲ παρὰ πόδας ἡ δίκη. ἀποσκήπτει γὰρ καὶ ἐς ὀφθαλμοὺς, καὶ ἐς χεῖρας, καὶ ἐς πόδας, καὶ ὑδέροις ἁλίσκονται καὶ φθόαις, καὶ οὐδ' ἀπελθεῖν δυνατὸν, ἀλλ' αὐτόθι ἔχονται, καὶ ὀλοφύρονται πρὸς τῷ ὕδατι, ὁμολογοῦντες, ἃ ὠπιώρκησαν. *Est autem iuxta Tyana aqua, Iovi, ut aiunt, sacra, quam vocant Asbamaeum;* (ita enim verto cum MAVSSACO) *fons eius frigidus scaturit, ebullit autem non secus atque igne calefactus lebes. Aqua illa placida quidem aspectu et gustu dulcis iurisiurandi fidem servantibus. At periuris illico nocet; epota namque oculos, pedes, manus-*

que peierantis invadit, hydrope et tabe totum corpus inquinans. Neque illinc discedendi datur facultas, sed ibidem permanentes, coram aqua ipsa suam deplorant calamitatem, palam, quod peierarunt, confitentes. De aqua illa Asbamaea legi debet PHIL. IAC. MAVSSACVS, in *dissertatione critica Harpocrationis lexico subiuncta, pag.* 400. *ed. Lugd. Bat.* MDCLXXXIII. ubi ex AMMIANO MARCELL. Iovi, non aquae, illam denominationem tribuendam docet. Exstat locus AMM. MARCELL. *lib.* XXIII. *pag. m. 453. Part. IV. Historiae August. scriptor. etc. edit. Boxhorn. Apud Asbamei quoque Iovis templum in Cappadocia, ubi amplissimus ille philosophus Apollonius traditur natus, apud oppidum Tyana, stagno effluens fons cernitur, qui magnitudine aquarum inflatus, seseque resorbens, nunquam extra margines intumescit.*

Caeterum vix dubitem, quin omnium harum superstitionum origo sit repetenda ex *lege zelotypiarum*, תורת הקנאת, (conf. HVETII *demonstrat. Evangel. Propos.* IV. Cap. XI. §. II.) quae traditur *Numer.* V. ubi mulieri adulterii nomine suspectae, postquam ad sacerdotem deducta iureiurando crimen negasset, aquae amarae potandae leguntur datae; quibus, num sceleris rea esset, num pura, exploraretur. Si revera deprehenderetur adultera, post epotas aquas צבתה בטנה ונפלה ירכה *venter eius intumescebat, et considebat femur eius. vs.* 27. (morte enim miseram mulierem statim punitam fuisse, quod plerique volunt, ex textu nequit colligi.) Si vero innocens esset, נזרעה זרע *foecunda semen concipiebat vs.* 28. Ex eadem hac lege fabellam suam derivarunt RASCHI, ABEN EZRA aliique, qua eundem fere aquis illis, quibus cineres vituli aurei iam combusti insparsisse, quasque Israëlitis potandas praebuisse legitur Moses, adscripserunt ef-

fectum, quem aquae amarae in adultera dicuntur habiturae. Confer POLVM *Synops. Criticor.* ad *Exod.* XXXII. 20. Et Talmudicos, quos in *Gem. Habhodah zarah. 44. 1.* fusius de hac re agere, a viris doctis iam observatum est.

CAPVT VII.

DE TACTO INTER IVRANDVM IN FAMILIA PATRIARCHALI FEMORE. AD ILLVSTR. GEN. XXIV, 2 et 9. XLVII, 29.

Femur *alterius inter iurandum* tangere, *tantummodo* in familia Patriarchali *usitatum. Variae de ritu hoc sententiae. Quinam praecipue de illo egerint? Patrum opinio, qua* Messiam *per hunc ritum* indigitatum *censuerunt, contra* IOH. CLERICVM *aliosque modeste vindicatur. Duae hypotheses, quibus innititur illa sententia, stabiliuntur.* I. *Non absonam esse hanc sententiam.* 1. femur *in hoc* l. *de* fecunditate, *et de* posteris, *etiam* seris, *qui dicuntur* orti ex femore *alicuius, intelligi potest. Locus* Numer. v. 27, 28. *Phrasis* מבין רגליו. 2. *Apte* tacto femore *iuratum per* Messiam, *aeque ac apud ethnicos*, tactis corporis membris, *per* deos, *quibus illa sacra.* 3. *In familia Patriarchali commoda sic* fidei testificatio. 4. Nomen *etiam* יהוה *hic occurrens*, Filio Dei *satis* conveniens. II. *Maxime eam videri probabilem.* a. *Ex hac sola*, apta *huius* ritus, *eiusque finis et scopi reddi potest* ratio. b. *Ex hac quoque sententia recte explicari potest, cur Abraham et Iacob*, non Iosephus, *aliique* eum adhibuerint.

Aetate iam provectior Abraham, ne filius Isaacus uxorem duceret Canaanaeam, veritus, servum, quem

bonis suis praefecerat. Eliezerum, ad iurandum per Iehovam Deum coelorum et terrae, se Isaaco ex paterna domo collocaturum uxorem, spretis Cananaeorum filiabus, adigit: quod insiurandum, quo sanctius redderetur et solennius, singularem quendam a servo observari ritum desiderat, *pone*, inquiens, *pone, quaeso, manum tuam sub femore meo* שים נא ידך תחת ירכי *Genes.* XXIV. 2.

Nusquam nec in sacris nec in profanis scriptoribus hunc ritum a iurantibus*) adhibitum legimus; si ex familia Abrahami oriundum Iosephum excipiamus, quem, ne corpus suum in Aegypto mandaret terrae, sed in sepulchrum paternum curaret deportari, rogatum, his allocutus verbis legitur Iacob, *Genes.* XLVII. 29. *si, quod vellem, invenerim gratiam in oculis tuis, suppone, quaeso, manum tuam femori meo: ut* sc. *te adiurem per dominum*, uti recte explicat SYRVS interpres: ܘܐܘܡܝܟ ܒܡܪܝܐ

---

*) Dicuntur quidem hic illic femora sua percussisse nonnulli; verum ut summi luctus eo gestu indicium facerent. *Ierem. XXXI, 19. ubi me reduxeris, agam poenitentiam, ubi me mihimet ipsi ostenderis, percutiam femur.* ספקתי על ירך. adde *Ezech. XXI*, 12. Ab Hebraeis mos devenit ad gentes. HOMERVS *Iliade XII. 162.*

Δή ῥα τότ' ᾤμωξέν τε καὶ ὣ πεπλήγετο μηρὼ
Ἄσιος Ὑρτακίδης, καὶ ἀλαστήσας ἔπος ηὔδα.
Tum vero ingemuit, et femora sua percussit
Asius Hyrtacides, et indignatus ,ita loquutus est.

CICERO *Tuscul. quaest. lib. III. ex hac opinione sunt illa varia et detestabilia genera lugendi, paedores, muliebres lacerationes genarum, pectoris,* feminum, *capitisque* percussiones. Plura exempla collegere IOH. NICOLAI, *tract. de luctu Graecorum, cap. XI.* §. 5. et LVDOV. THOMASSINVS, *Glossario univers. Hebr. voce* ירך. *pag. 448.*

Quid iam per hunc ritum bini indigitaverint Patriarchae, per est obscurum, nec ullus, nisi coniecturis: hic datur locus; quas, ut in talibus fingendis feracia eruditorum sunt ingenia, varias viri docti protulerunt. Praecipuas, sed brevibus verbis circumscriptas, lectori heic sistam. I. Sunt, qui existimant, iurasse illos tacto femore, quod illic esset signum foederis, circumcisio nempe; quales sunt Iudaei quidam, R. SALOMON, R. ELIEZER, INTERPRES ARABS, PARAPHRASTES CHALDAEVS, aliique plures. II. ABEN EZRA arbitratur, ritum hunc ad superioris potestatem, promptumque inferioris obsequendi animum indicandum fuisse adhibitum, in quam sententiam pronus videtur HEIDEGGERVS. III. Patrum quorundam, HIERONYMI, AMBROSII, AVGVSTINI, THEODORETI, ISIDORI PELVSIOTAE, aliorumque est coniectura, qua, ponere manum ad femur, idem esse putant, ac iurare per Messiam, qui ex femore illo erat nasciturus. IV. Sunt alii, qui existimant, iurasse veteres illos manu femori i. e. genitali parti supposita, quod inde posteritas esset futura, atque ideo veluti res sacra haberetur. V. Peculiaris est HVGONI GROTIO opinio: servum posita ad heri femur manu quasi dixisse, ense tuo peream, quoniam ad femur locus ensis erat. VI. Haec PERIZONIO sedet sententia: illos qui inter iurandum alterius tangebant femur, *eo voluisse declarare et promittere fidem et necessitudinem, quae inter consanguineos seu inter fratres et cognatos, qui ex eodem exierunt femore, naturaliter esse solet et debet.* Leves aliorum hariolationes silentio praetereo, ut et illam HERM. von der HARDT, qui, peculiari *diatribe ad h. l. anno MDCCXI Helmstadii* edita, per ירך, non femur, sed *dextrae manus carpum,* intelligendum asseruit.

Si quis uberius hasce sententias expositas cupiat, legat is praeter commentatores ad *h. l.* MVNSTERVM, FAGIVM, DRVSIVM, in *notis maioribus*, GROTIVM, citatam HARDTII *Diatriben*, PERIZONII *epistolam*, quam MAIMONIDIS *tractatui*, a se verso, et notis illustrato, praefixit DITHMARVS, IOH. HENR. HEIDEGGERVM *historiae Patriarch. Tom. II. exercitat. III* §. LX. IAC. SAVRINVM *discours historiques, critiques, theolog. et moraux, etc. Tom. 1. discours* XXIII *pag.* 343 *sqq.* PETRVM ZORNIVM in *analectis ad Tom. I. opusculorum sacrorum spectantibus pag.* 779. et, quem allegat, DANIELEM FESSELIVM, *adversar. sacr. lib. II. cap. IV.* IAC. LYDIVM, *d. diss. cap. IV.* §. III. IOH. B. HANSENIVM *de I. V. cap. XIX. col.* 846. *sq.* IOH. SELDENVM *de synedriis veterum Ebraeorum, lib. I. cap. II. pag. m.* 13. *sq.* DITHMARVM ad MAIMON. *pag.* 207. *sq.* BASSENNIVM *pag.* 124. *sq.* MARTINIVM *Lexic. Philolog.* voce *femen*, aliosque.

Nolim autem quis putet, me doctorum virorum senteutiis operose refellendis nunc inhaesurum, aut, hactenus euumeratis solidiorem couiecturàm prolaturum me, existimare. Id tantum hoc capite agendum sumsi, ut veterem Patrum quorundam opinionem, quam ut absurdam traducit IOH. CLERICVS, piam quidem, sed subtilem, et minus solidam censent alii, vindicarem. Statuunt nimirum Patres illi, viros sanctos, et prophetico saepe spiritu actos, in ritu hocce ad Messiam, quem diviuis promissis nixi ex posteris suis certo sciebaut orituram, respexisse; immo Abrahamum, priori in dicto, per יהוה ארהי חשמים ואלהי הארץ *Iehovam Deum coelorum, et Deum terrae,* ipsissimum Christum, coelorum terraeque, vi creationis, dominum, intellexisse. Clare praeter alios sententiam

hanc expressit ISIDORVS PELVSIOTA *epistolarum lib.* I. *epist.* XLIII. Ἀπόθες τὴν χεῖρά σου ὑπὸ τὸν μηρόν μου, καὶ ἐξορκιῶ σε τὸν Θεὸν τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς, ἐνετείλατο τελευτῶν ὁ Ἀβραὰμ τῷ οἰκέτῃ, τὸν ἐκ τῶν μηρῶν αὐτοῦ μέλλοντα σαρκοῦσθαι Θεὸν τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς, τὸν κύριον ἡμῶν, καὶ δεσπότην Χριστὸν καθαρότητι διανοίας ὁρῶν μέλλοντα τοῦ σπέρματος Ἀβραὰμ ἐπιλαμβάνεσθαι ὡς προφήτης, καὶ βλέπων τὰ ἔμπροσθεν. Vertit IACOBVS BIBLIVS PRVNAEVS: *Pone manum tuam subter femur meum, et adiurabo te per dominum Deum coeli et terrae, imperavit servo suo Abraham morti propinquus. Nimirum eum, qui ex ipsius femore carnem assumpturus erat, Deum coeli et terrae, dominum nostrum et herum Iesum Christum, Abrahae semen apprehensurum, pro animi sui puritate cernens, ut Propheta, et ea, quae a fronte erant, conspiciens.* Sic et EVCHERIVS, *Commentariorum in Genesin lib.* II. *pag.* 103. *edit. Basil. MDXXXI. nos autem dicimus, iurasse* servum *in semine Abrahae, hoc est in Christo, qui ex illo nasciturus erat iuxta Evangelistam Matthaeum loquentem, liber generationis Iesu Christi, filii David, filii Abraham.* Cum vero nemo ad hanc sententiam stabiliendam argumenta, quantum mihi innotuit, dixisset, inde est, quod dispexerim, si qua possent adduci, unde, non adeo opinionem illam absurdam esse, constare posset: et scopum videor assecutus.

Priusquam autem me ad rem ipsam accingam, ut certum et a Theologis evictum pono, Patriarchas in Messiam, ex posteris suis oriturum, credidisse; qua de re diserta S. testimonia dubios nos esse non sinunt. *Credidit Abraham Iehovae,* semen sibi promittenti, *Gen.* XV, 4. *et* 5. Quod-

nam illud semen? Christus Iesus; uti auctor est Apostolus *ad Galatas* III, 16. ubi vide, quae congessit POLVS, in *synopsi criticorum.* Conf. HEIDEGGERI *exercitat.* memoratam §. XXXIII.

Dein, et hoc tuto supponimus, Eliezerum, quem iureiurando adstringebat Abraham, verum fuisse fidelem, utpote foederis et gratiae divinae participem, credidisse etiam in Messiam, ex heri femore, (quod, quo sanctius redderetur iusiurandum, tangere fuerat compulsus) post longa tempora tandem nasciturum. Fuisse talem hunc virum, neminem, qui debita attentione historiam legerit Mosaicam, infitias ire arbitror. Quantas enim, ne periurus fiat, cautelas adhibet? Preces, quas hoc ipso capite Geneseos ad Deum allegat, quam sanctae sunt, quam pio viro dignissimae? Quam firmam ubique in Deo spem collocat? Quantum denique heroe se probasse oportuit, qui hunc, si ἄτεκνος fuisset mortuus, bonorum (possidebat autem ingentia) haeredem scripserat? Quae omnia cum plana sint et perspicua, rem ipsam aggredimur.

I. Illustre quoddam germen, ex Patriarcharum familia oriturum, hoc ritu fuisse indigitatum, non adeo male videtur posse concipi. 1) *Primo* enim *femur* hic sponte nos ducit ad cogitandum de fecunditate, et de posteris, etiam seris, aut aliquo saltem eorum, ex Abrahami et Iacobi femore prodituro. Ad *femur* enim fecunditatem hominum et posterorum progeniem vulgo referunt Sacrae litterae. Id sane innuere videtur poena mulieri adulterii suspectae, si in culpa esset, denunciata, *Numer.* V. *27. 28.* uti recte vir quidam doctus ex promisso ei facto, si insons deprehenderetur, colligit. vs. 29. Clarius vero idem indicat phrasis, qua liberi et seri quoque nepotes in Sacris dicuntur

prodiisse *ex femore parentum* *). *Exod. I. 5. Iudic.* VIII. 30. et praeprimis *Gen.* XLVI, 26. inter LXV, qui illic loci ex Iacobi femore dicuntur egressi יוצאי ירכו, non tantum filii, nepotes, sed et pronepotes Iacobi reperiuntur. Vid. *d. cap. comma* 12. ubi duorum Iudae ex Pheretz nepotum, Chetzron et Chamul fit mentio. Phrasis eiusdem significatus, ac est illa *egredi ex femore alicuius*, bis in S. tantum obvia, est illa, *egredi* מבין רגלים *ex inter pedes* alicuius. *Deuteron.* XXVIII, 57. *et in teneram prolem suam saeviet, quae egreditur* מבין רגליה *ex inter pedes eius.* Ex quo *l.* rectissime partem vexatissimi loci *Gen.* XLIX, 10. illustrandam censuere viri eruditi, לא יסור מחקק מבין רגליו *non recedet legislator ex medio populi eius*, aut si mavis cum Targumista מבני בנוהי *a filiis filiorum*, id est, ex posteris *eius*. Confer SALOM. GLASSIVM *Philolog. S. lib. I. tractat. III. sect. VIII. pag.* 137. *a.* Cum iam fecunditatem denotet in sacris femur, cum posteri ex alicuius femore dicantur prognati, nil video, cur eundem hoc in loco obtinere significatum, tangentesque femur Messiam ex eo nasciturum in oculis habuisse, tantopere negaremus.

Inprimis cum, II.) tacto inter iurandum femore, eodem fere modo exspectatum ex lumbis Abrahami Messiam animo proponere sibi potuerint, quo et aliae gentes, corporis humani membra aliasque res inter iurandum tangentes, proprie per deum,

*) Hinc, observantibus viris doctis, fabulam de Baccho, qui, ut ait EVRIPIDES *Bacchis vs.* 243.

— — ἐν μηρῷ ποτ᾽ ἐῤῥάφη Διός.

— — *quondam in Iovis femore fuit insutus.*

et dein, perfractis claustris, inde egressus, procuderunt Graeci. Conf. IOS. MEDVS *discurs. VIII.* in *Gen. XLIX. 10.* apud POLVM *Synops. Criticorum* ad *Gen. XLVI. 26.*

cui sacratae essent, iuraverunt. Caput tangentes alterius, per Iovem, cui illud sacraverant, iurarunt, uti c. III. (p. 27. s.) observavi. Idem de reliquis membris, deo cuidam sacris, dictum sit: oculos tangentes, per Cupidinem; dextram, per fidem iuravere. Aras tangere, et per deum, deamve, cuius esset ara, iurare consueverant, uti ex notissimo illo PLAVTI colligo:

— GR. *tange aram hanc Veneris.* LA. *tango.*
GR. *Per Venerem hanc iurandum 'st tibi* —

Tacta lauro per Apollinem iurarunt. ὤμοσε τὸν Ἀπόλλωνα τῆς δάφνης ἁψάμενος, ut ait Nicander apud Mythographum. conf. *notam supra* (p. 48). Sic quoque militiae duces, πολεμικοὶ στρατηγοί, contacto taurino cruore, per deos militiae praesides, coniurasse leguntur apud Tragicum, loco c. III. *ad fin.* (p. 35.) a me allegato.

Accedit III.) quod multo sit probabilissimum, Patriarchas in hoc ritu ad Messiam respexisse, ut ita illustre fidei suae darent specimen, quod Moses, ad posteros transmittendum, et brevissimo historiarum veteris aevi compendio semel et iterum inserendum duxerit. Narraverat sacer historiographus, *Gen.* XV, 6. Iehovae, grandaevo semen sibi promittenti, illico credidisse Abrahamum; nostro in loco *Gen.* XXIV, 2. omni ope in id incumbens, quo Isaaco suo ex paterna domo dicaretur uxor, servum, pium Eliezerum excitat ad curandam familiae suae propagationem ad Messiam ex ea proditurùm; *suppone,* inquiens, *femori meo manum,* locum generationis, ex quo natus Isaacus, ex quo secundum carnem nasciturus Christus, manu commonstres, et per eundem Messiam, iussa te exsequuturum, deieres. Eadem Iacobi in Messiam fides iuriiurando, ad quod filium suum Iosephum, iamiam in meliorem civitatem transcribendus, compu-

lisse legitur, procul omni dubio originem dedit. Minime enim arbitrer, insito cunctis hominibus, in patria sepeliri, desiderio tantummodo actum, adeo studiose cavisse Iacobum, ne in Aegypto humo mandaretur; potius ego crediderim, virum sanctum eo ipso fidem suam testificatum, de Messia, in terra Canaanis expectando, et quidem ex femore suo, quod inter iurandum tangeret Ioseph, orituro.

Adde IV.) quod non male nomen יהוה, per quod priori in dicto iuratum, de Filio intelligi possit. Nomen sane soli Deo proprium Iehova, Christo saepissime in sacris nostris Pandectis tribui, iam dudum fuit demonstratum; et si quid hic ogganniant Sociniani, nugas agunt. Titulus *Dei coeli et terrae* Christo, per quem *πάντα ἐγένετο*, et absque quo *ἐγένετο οὐδὲ ἕν, ὃ γέγονεν*, qua *omnium rerum creatori*, singulari iure competit. Nec nihili est quod per 'ה Messiam hoc in loco, fortasse ex antiquiorum gentis Iudaicae doctorum mente, intelligendum censuerit CHALDAEVS PARAPHRASTES, ita *comma 3. d. cap.* XXIV. reddens ואקים עלך במימרא דיי׳ אלהא דשמיא ואלהא דארעא *et adiurabo te per* verbum domini *Dei coeli et Dei terrae.* Ne quis autem, in hoc probando, Paraphrastas, ubi 'ה per מימרא דיי׳ exponunt, secundam Trinitatis personam intellexisse, inhaerere necesse habeat, BVXTORFII, HOORNBEEKII, aliorumque fecit diligentia, et praecipue IOH. STEPH. RITTANGELII, qui, in *notis ad commentarium* R. ABRAHAM, in *semitam* XII. *sepher Ietsirah, pag. m. 82–122.* data opera, et perquam felici successu contra Iudaeos evicit, veterrimos ipsorum doctores, et dein Paraphrastas Chaldaeos, tres in Deo personaliter subsistendi modos, in una et eadem divina essentia, agnovisse, eosque, non, uti scriptores sacri, uno vocabulo usos, sed tribus di-

stinctis nominibus actus et proprietates eorum distinctos descripsisse, primum sub nomine יהוה, secundum sub מימרא דיי *verbum domini*, tertium sub voce שכינתא *divinae praesentiae*. Possemus inde quaedam delibare, quaedam de nostro addere, ni pergendum nobis foret.

II. Quae sententiam hanc, de Messia per hunc ritum indigitato, maxime probabilem reddant, duae supersunt rationes. Cum enim a) ritus fuerit iurisiurandi, omnino attendendum censeo ad finem et scopum, in quem hae caerimoniae fuerint observatae. Nimirum antiquissimo iam tempore manum ad coelum elevarunt, ut Deum sibi praesentem sisterent, manuque ad exaudiendum iusiurandum provocarent; gentes aliae res sacras, tanquam praesentia numina, aut diis saltem dicatas, manu contingere, et, ut a periurio absterrerentur, metusque numinis animis hominum incuteretur, in locis sacratissimis, quod *cap. V.* abunde probavimus, iuranda praestare fuerunt solitae. Hinc Iovem, qui, ut cum EVRIPIDE loquar, *ὅρκων θνατοῖς ταμίας νενόμισται*, fulmen manu tenentem, vultuque horrorem incutere apto effinxerunt Graeci. etc. Cum iam ex aliorum sententiis apta non possit reddi huius ritus ratio, nec secundum illas viri sancti scopum, in quem hi ritus collineaverint, videantur assecuti, illa, quam propugnamus, reliquis longe videtur anteferenda, qua per hunc gestum Filium Dei veri testem invocatum statuimus; ut adeo gestus iste, hoc modo consideratus, mentem, licet alias ad violandam fidem pronam, facile a periurio deterrere potuerit, cum alias contactum femur nullum quidem adeo perterrefacere valuisse videatur. Denique

b) omnino singularem, et quidem illam, quam diximus, huius ritus fuisse rationem, recte ex eo

videtur posse colligi, quod nunquam ab aliis, sed in sola familia Patriarchali, ad res gravioris momenti stabiliendas legatur adhibitus. Cum autem Iacobus, Iosephum, ossa sua in paternum sepulchrum deportanda *) curaret, obnixe rogans, iureiurando id sibi promissuro, ritum hunc observandum proposuerit, per accidit mirum, ipsum Iosephum, ubi fratres iureiurando adstrinxisse dicitur *Gen.* L. 25. quo corpus suum ex Aegypto abituri secum sumerent, paternam et avitam non secutum consuetudinem, nec ritum hunc, quem simili in casu ipsemet iurans observarat, fratribus ibidem observandum iniunxisse. At, si rem introspexerimus, statim, egregie hinc nostram confirmari sententiam, deprehendemus. Scilicet non integrum fuit Iosepho, fratres ad observationem huius ritus inter iurandum compellere, quippe qui probe noverat, non ex suo femore, sed ex Iuda, illustre illud germen, quo de vaticinatus fuerat Iacob, oriturum.

Haec de tacto in familia Patriarchali inter iurandum femore.

---

*) Studiose admodum a Patriarchis, ne in aliena terra sepelirentur, cautum legimus. LVCIANVS, *patriae encomio pag. mihi 1447. edit. Basil. MDXLVI.* in terra natalitia mori, seni maxime esse in votis, ait, ἵν᾽ ὅθεν ἤρξατο βιοῦν, ἐνταῦθα πάλιν καὶ τὸ σῶμα παρακατάθηται τῇ τρεψαμένῃ γῇ καὶ τῶν πατρῴων κοινωνήσῃ τάφων. δεινὸν γὰρ ἑκάστῳ δοκεῖ ξενίας ἁλίσκεσθαι, καὶ μετὰ θάνατον ἐν ἀλλοτρίᾳ κειμένῳ γῇ. *ut, ubi vitam fuerit auspicatus, ibi etiam corpus terrae altrici humandum reponatur, patriaeque sepulturae particeps fiat. Grave enim unicuique videtur, peregre agentem se deprehendi, et post mortem in aliena terra cinescere.*

CAPVT VIII.

DE DIIS, PER QVOS ANTIQVITVS IVRARVNT, SPICILEGIVM.

Hebraei *per* nomen Dei *iurarunt. Iusiurandum perfectum. Per nullam rem creatam iurandum est. locus* Sophon. I. *5. illustratur. Quid inter se differant phrases* iurare 'חי *et* 'בה*? Quid sit per* timorem patris *iurare* Gen. XXXI. *53. Iusiurandum Christ. per τρόμον τοῦ Καϊν. Iurantium quaedam formulae ex Vet. et N. T. Deus in S. iurat per* se ipsum. *In versione Syriaca* ܢܦܫܗ *pronominibus ἑαυτοῦ etc. additur.* Nutus deorum *gentilium fuit* iusiurandum. Assyri *iurarunt per* Semiramim. Persae *per* Mithram. Aegyptii *per* Osirin. Aethiopes *per* Solem. Scythae *per ἄνεμον et ἀκινάκην. Quid sit ἀκινάκης? Iurarunt praecipue olim per* urbium *suarum* praesides. Athenienses *per* Palladem *Atticam.* Ephesii *per μεγάλην* 'Εφεσίων "Αρτεμιν. Tyrii *per* Herculem *Tyrium.* Sacerdotes *per* deos *quorum* templis praeerant. Vestales *virgines per* Vestam. Medici *per* deos medicinae praesides. *Aesculapius et Salus saepius iunguntur. Hercules* 'Αλεξίκακος. *Minerva, Medica fuit dicta.*

Per Iehovam, Deum coelorum et terrae, per quem Abrahami servum superiori capite iurantem vidimus, per solum, inquam, Israelis Deum, qui et unicus veri testis, et violati iurisiurandi poterat esse vindex, Hebraeis olim dicta sua constabilire fuit licitum *Iehovam Deum tuum verearis, ipsi servias,* ובשמו תשבע *et per nomen eius iures. Deut. VI, 13.* ut alia loca ubivis obvia silentio

praetercam. Cum his consentit praecipuus Iudaeorum doctor MAIMONIDES, *Hilcoth Schebuoth cap. XI. §. I. praeceptum est, ut, qui ad iurandum in domo iudicii adigatur, iuret* בשם *per nomen Dei, uti dictum est,* בשמו תשבע *per nomen eius iurabis;* illud autem iurandum, per nomen aut cognomen Dei, solum *perfectum,* שבועה גמורה *cap.* II. §. 2. dixerat. אחד הנשבע או כהשביעו אחר בשם המיוחד או באחר מן הכנויין כגון שנשבע במי ששמו חנון ובמי ששמו רחום ובמי ששמו ארך אפים וכיוצא בהן בכל לשון הרי זו שבועה גמורה *sive quis iuret, sive alius eum adiuret per nomen Dei proprium, aut per aliud ex cognominibus, veluti qui iurat per eum, qui vocatur benignus, aut per eum, cuius nomen est misericors, aut per eum, cuius nomen est tardus ad iram, etc. hoc profecto in omni lingua iusiurandum est perfectum.* Frequenter iusiurandum illud בשם *per nomen,* aut בכנויין *per cognomina,* in Iudaeorum scriptis occurrere, adnotarunt DITHMARVS, in *notis ad cit.* MAIMON. *tractat. pag.* 195. SELDENVS *de Synedriis veterum Ebraeorum, lib. II. cap.* XI. §. II. et PAVL. FAGIVS, ad *Deuter.* VI, 13. Adde exemplis ibidem allatis *Ioma, cap. I. mischna 5. Taanith, cap.* III. *m. 8.* נשבע אני בשמך הגדול *iuro ergo per nomen tuum magnum, me hinc prius non recessurum, quam misericordiam filiis tuis praestiteris.* Et *Sepher toledoth Ieschuah hannozari, fol. 25.* ubi nequam libelli consarcinator, Miriam, ad R. AKIBAM (qui ipsam antea ad iurandum בה' אלהי השמים adegerat) dicentem introducit, השבע נא לי בשם ה' *iura quaeso mihi per nomen domini.* Alias autem res, quae inter iurandum nomini Dei iungantur, indignas pronuntiat MAIMONIDES rationem addens ואסור להשבע בדבר אחר עם שמו וכל המשתף דבר אחר עם שם הקדוש ברוך הוא בשבועה נעקר

מן העולם שאין שם מי שראוי לחלוק לו כבוד שנשבעין בשמו אלא האחד ברוך הוא *Prohibitum quoque est iurare per rem aliam una cum nomine Dei sancti benedicti, tolletur is ex mundo, quia nullum nomen est, quod meretur particeps fieri honoris iurantium in nomine eius, nisi unicum benedictum illud. cap. XI. §. II.* Respicit forsan MAIMONIDES ad *Exod.* XXIII. 13. ubi ullam nominis deorum exterorum mentionem faciendam negat legislator: שם אלהים אחרים לא תזכירו (coll. cum *Iosuae* XXIII. 7.) Nulla enim Deo cum idolis est communio. Hinc adeo Iudaeis apud prophetam irascitur, *Sophon.* I, 6. הנשבעים ליהוה והנשבעים במלכם qui, licet *Iehovae* fidelitatis *dixissent sacramentum*, tamen *per* מלכם *Malcom*, per idola sua, *iurant.* Hic enim verus loci huius est sensus, quem plures haud sunt assecuti, phrases illas, iurare ליהוה, et iurare ביהוה, probe distinguendas, inter se confundentes; quarum illa significat *iurare Iehovae*, seu interposito iureiurando pietati et religioni nomen dare; (uti occurrit *1. Chron.* XV. 14. וישבעו ליהוה בקול גדול *et iurarunt Iehovae voce sonora*, seu Deo in fide se mansuros iureiurarverunt) haec, *iurare per Iehovam*, id est, Deum testem invocare. Confer omnino ad locum *Sophoniae* IOH. DRVSIVM in *adnotatis*, ut et in *observationibus, lib.* IX. *cap.* X. *Gen.* XXXI. 53. ubi Laban et Iacob inter sese pangentes foedus, ille per idola sua, *per deos Nachoris*, hic per verum deum iurat. וישבע יעקב בפחד אביו *iuravit Iacob per timorem patris sui.* Timor pro Deo, qui timetur, uti alibi in Scriptura spes pro Deo, in quo spes collocatur, amor pro Deo omni amore dignissimo. vid. SAL. GLASSIVM, *Philol. sacrae lib.* V. *tractat.* I. *cap.* IV. §. V. *pag.* 701. Quod autem GROTIVS ad *Gen.* cit. *cap. vs.* 42. observat, Iacobum Deum non vocare

Deum Isaaci, quoniam Isaac adhuc in vivis erat; nec unquam Deum a quoquam mortalium, adhuc vitam agente, cognominari, semper sane non procedit, imo contrarium liquet ex *Gen.* XXIV, 12. etc. Eodem modo, quo iusiurandum Iacobi, *per pavorem Isaaci*, exponendum diximus, forsan intelligendum est iusiurandum Christianorum, per τρόμον τοῦ Καῖν, *tremorem Caini*, quod legitur in *Novella 8. tit. 3.* apud TOB. GVTBERLETHVM, sub finem *coniectan. in monumentum Heriae Thisbes etc.* At! fallor: per tremorem enim Caini iurantes signum illud, quod Deus Caino dedisse legitur *Gen.* IV. si fallerent, sibi impecrati sunt; quodnam illud signum? tremor capitis, scilicet! uti in hoc disticho sententia est PETRI de RIGA, medii aevi poetastri:

Dat Deus ergo Chain signum, cito ne perimatur,
Et motus capitis, *et* tremor *illud erat.*

apud POLYCARPVM LEYSERVM, *historia poetarum et poematum medii aevi, pag. m. 728.* Sed ne aberremus.

Certas quasdam iurantium formulas usu apud Hebraeos fuisse tritissimas, sacrae nos docent paginae; in quibus nihil frequentius occurrit, quam חי יהוה *vivit Iehova*, cui interdum quaedam addebantur. Vid. *1. Reg.* I, *29.* II, *24.* XVII, *1. et* XVIII, *15.* David iurans dixisse legitur *1. Sam.* XX. 3. חי יהוה וחי נפשך *vivit Iehova, et vivit anima tua* (conf. 2. *Reg.* II, 4. et IV, 30.) quam formulam tantundem valere putem, ac illam, qua utitur Sedekias *Ierem.* XXXVIII. 16. וישבע המלך — לאמר חי יהוה את אשר עשה לנו את הנפש הזאת *et iuravit Rex - - - dicendo: vivit Iehova, qui nobis hanc creavit animam.* Ita quoque expono locum, quo de pluribus disputarunt docti, *Gen.* XLII, 15. חי פרעה

vivit Pharao, i. e. vivit Deus, vitae Pharaonis dator et conservator. Vulgatissima fuit Servatoris nostri in Evangelio formula ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, *vere vere dico vobis*. Fueritne tamen illa iurantis, dubium videtur. Affirmant SAM. PETITVS *variar. lection. cap.* XVII, I. C. DITHMARVS, *ad Maimon. pag. 53.* Contrarium defendunt NIC. FVLLERVS, in egregio *miscellaneorum S.* opere *lib.* I. *cap.* II. ANG. CANINIVS *disquisit. in locos aliquot N. T. obscuriores, cap.* V. Peculiarem de hac formula sententiam fovet ven. meus proavus IAC. GAILLARDVS, *specimine quaestionum in novum instrum. De Filio hominis, qu.* XI. *pag.* 231. *sqq.* Vt ut de hac sit formula, plures aliae in N. T. occurrunt: *Rom.* I. 9. μάρτυς γάρ μου ἐστὶν ὁ Θεὸς — ὡς ἀδιαλείπτως μνείαν ὑμῶν ποιοῦμαι. *Deus mihi testis sit, quod indesinenter vestrum mentionem faciam.* Simili fere locutione usus est Iobus, *cap.* XVI, 19. גם עתה הנה בשמים עדי ושהדי במרומים *quinimo ecce in coelis testis meus, testis, inquam, meus in excelsis.* Ex quo loco, manu ad coelum elata, aut simili gestu Altissimi, quem testem ciebat, commonstrasse sedem, forsan quis colligeret. Aliam iurandi formulam adhibet Apostolus *Gal.* I. 20. ἰδοὺ ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, ὅτι οὐ ψεύδομαι, *ecce coram Deo, non mentior. Rom.* IX, 1. Ἀλήθειαν λέγω ἐν Χριστῷ, etc. *veritatem dico per Christum.*

Ἄνθρωποι κατὰ τοῦ μείζονος ὀμνύουσι, inquit Paulus, *Hebr.* VI. 16. At Deus, ἐπεὶ κατ᾽ οὐδενὸς εἶχε μείζονος ὀμόσαι, ὤμοσε καθ᾽ ἑαυτοῦ. *Ib. vs.* 19. digitum heic intendens, uti adnotant interpp., ad *Gen.* XXII, 16. בי נשבעתי נאם יהוה *per me ipsum iuravi, dicit Iehova.* Eodem modo semper in scriptis V. T. iurasse legitur Deus, *Esai. XLV, 23. Ierem. XXII, 5.* et alibi. *Amosi VI, 9. iuravit Deus per animam suam* בנפשו,

quem versum ALEXANDRINI, observante VORSTIO, vertunt, *ὤμοσε κύριος καθ' ἑαυτοῦ, per semet ipsum.* Recte sane! Eo enim sensu vox נפש saepissime in V. T. obvia. *Ps.* III, 2. *multi dicant* לנפשי *animae meae etc.* Tritissimum BEN-SIRAE est adagium שתין מליכין יהון לך ומליכית נפשך לא תשבוק *licet sexaginta tibi sint consiliarii, consilium tamen animae tuae ne deseras.* Sic, ubi in textu N. T. pronomina σεαυτοῦ, ἑαυτοῦ etc. occurrunt, ibi SYRVS plerumque addit ܢܦܫܐ *anima.* Ita ad *Rom.* II, 19. in textu legitur πέποιθάς τε σεαυτὸν ὁδηγὸν εἶναι τυφλῶν. SYRVS vertit: ܘܐܬܬܟܠܬ ܥܠ ܢܦܫܟ ܕܡܕܒܪܢܐ ܐܢܬ ܠܣܡܝܐ *et confisus es de* anima *tua, quod sis ductor coecorum. Ib. vs.* 21. ὁ οὖν διδάσκων ἕτερον, σεαυτὸν οὐ διδάσκεις, in Syriaco est: *tu, qui doces alium, non doces* ܠܢܦܫܟ *animam tuam.* Duo his similia exempla ex versione Syriaca enotavit IOH. VORSTIVS, in egregio opere *de Hebraismis* N. T. *cap.* IV. *Part.* I. *pag.* 98. quem *ibid.* de hac τοῦ נפש significatione consulas. *Amos.* IV. 2. Deus iurat בקדשו *per sanctitatem suam,* ad quem l. vide DRVSIVM *observationum lib.* XIV. *cap.* XV. Sic et *Ps.* LXXXIX, 36. et aliis ll. ad h. l. a GEIERO allegatis. *Esai.* LXII, 8. iurasse dicitur בימינו ובזרוע עזו *per dextram suam, et brachium fortitudinis suae.* Ex quo loco, Deum T. O. M. gestare Phylacteria, nugacissimi hominum colligunt in *Berachot, fol.* 6. apud DITHMARVM, in *notis ad* MAIMON. *hilcoth schebuoth, pag.* 19.
א"ר אבין בר רב אדא א"ר יצחק מנין שהקב"ה
מניח תפלין שנאמר נשבע י"י בימינו ובזרוע עזו
בימינו זו תורה שנא' מימינו אש דת למו ובזרוע
עוזו אלו תפלין שנאמר י"י עוז לעמו יתן ומנין

שהתפלין עוז הם לישראל דכתיב וראו כל עמי הארץ כי שם י״י נקרא עליך ויראו ממך *Dixit R. Aben filius Rab Adae, R. Isaacum dixisse; unde* constat, *sanctum et benedictum induere phylacteria? quia dicitur:* iuravit dominus per dextram suam, et per brachium fortitudinis suae. *Per dextram suam lex intelligenda, dicitur enim:* a dextra eius ignis legis illius. *Per brachium roboris eius phylacteria intellige, quoniam dicitur:* Dominus populo suo dabit robur. *At unde* (constat) *phylacteria esse robur Israelis? quia scriptum est:* et videbunt omnes gentes terrae, nomen Domini invocari super te, et timebunt te. Sed hoc obiter dictum sit. *Ierem.* XLIV, 21. Deus dicitur iurasse בשמו גדול *per magnum nomen suum.*

In eo sane Israelis Deus totus diversus a fictitiis gentium diis, quos per nescio quas nugas, e Stygis aquam,

— — — — ἔνθα Τερμιεὺς
Ὁρκωμότους ἔτευξεν ἀφθίτοις ἕδρας,
Μέλλων Γίγαντας, κἀπὶ Τιτῆνας περᾶν.
— — — — *ubi Terminalis*
Iurisiurandi constituit diis sedes,
Contra Gigantes atque Titanes transiturus.

poetae iurantes, imo interdum et peierantes faciunt. Possent de deorum iurando plura congeri, sed cui non dicta Stygis aqua? Originem istius iurisiurandi fusius describit IOH. TZETZES, ad citatos obscurissimi LYCOPHRONIS *versus* in *Alexandra*, *vs.* 706 *sqq.* commentator, cui iunge eruditiss. IOH. MEVRSIVM *in comment. pag.* 80. *edit. Oxon.* 1702. *fol.* Deorum praeterea *nutum* gravissimi instar iurisiurandi, et non magis ac illud per Styga violandi, fuisse habitum, ex *hymno in Mercurium* licet colligere, ubi *vs.* 515. Apollo ad Mercurium:

Ἀλλ' εἴ μοι τλαίης γε θεῶν μέγαν ὅρκον ὀμόσσαι,
Ἦ κεφαλῇ νεύσας, ἢ ἐπὶ Στυγὸς ὄμβριμον ὕδωρ,
Πάντ' ἂν ἐμῷ θυμῷ κεχαρισμένα καὶ φίλα ἔρδοις.
Sed si volueris magnum deorum iurandum iurare,
Seu capite annuens, seu validam illam per Stygis aquam,
Per sane mihi gratum feceris, et iucundum.

Iupiter, apud HOMERVM *Iliad. A. vs.* 524:
- - - ἄγε, τοι κεφαλῇ κατανεύσομαι, ὄφρα πεποίθῃς.
Τοῦτο γὰρ ἐξ ἐμέθεν γε μετ' ἀθανάτοισι μέγιστον
Τέκμωρ. - - - - - - - - -
Ἦ, καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων.
- - - *age, capite tibi annuam, ut fidem habeas.*
Hoc enim a me inter immortales certissimum
Signum. - - - - - - -
Dixit, et nigris superciliis annuit Saturnius.

Iovem, proximo vere se perditurum impios, nutu significantem et quasi iureiurando confirmantem facit deorum contemtor ille LVCIANVS *in Icaromenippo:* κακοὶ κακῶς ἀπολοῦνται τῷ σμερδαλέῳ κεραυνῷ·
Ἦ, καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων.
Solebant etiam saepius reliqui dii per Iovem iurare. Minerva ap. LVCIANVM: νὴ τὸν πατέρα. Mercurius per caput Iovis, *hymno in Mercur. vs.* 272.
Εἰ δὲ θέλεις, πατρὸς κεφαλὴν μέγαν ὅρκον ὀμοῦμαι.
Idem, *ib. vs.* 383. *per immortalium domos* iurat:
Οὐ μὰ τάδ' ἀθανάτων εὐκόσμητα προθύραια.

Nunc ad homines descendamus, per quos deos iuraverint, visuri. Quaevis gens per *deos patrios*, θεοὺς πατρίους et ἐγχωρίους, iurabat. Assyrios iurasse per *Semiramin* ex veteri *Glossario* M. S. colligit HANSENIVS *lib. cit. cap.* XXVIII. ubi legebatur: *Semiramis* ὅρκος. Hinc dictam Semiramin putat Atossabe, quasi Atossa sabe i. e. *Semiramis iuramenti*, uti Betsabe *filia iuramenti*, quae ulteriori indigereut examine.

Observat ibidem HANSEN. Persas per *Mithram* deierare solitos. Adde XENOPHONTEM in Oecon. *pag. m.* 524. ipsi et aliis citato, AELIANVM in *varia historia, lib. I. cap.* XXXIII. ubi ARTAXERXES mali Puuici sibi oblati magnitudinem demiratus, ἐπεῖπε, νὴ τὸν Μίθραν, ἀνὴρ οὗτος ἐκ τῆς ἐπιμελείας ταύτης δυνήσεται καὶ πόλιν, κατά γε τὴν ἐμὴν κρίσιν, ἐκ μικρᾶς μεγάλην ποιῆσαι. *Per Solem, addit, vir iste, si tantam adhibeat curam, meo quidem iudicio, ex arcta amplam reddere poterit civitatem.* Per Mithram autem Solem intelligendum docent veterum scriptorum ll. apud HANSENIVM; docent inscriptiones, in quibus frequenter obvium S. I. M. SOLI. INVICTO. MITHRAE. apud GRVTERVM, in *Thesauro inscription. pag.* XXXIII. SPONIVM, *miscellan. eruditae antiquitatis pag.* IV. et alibi, BEGERVM, *spicileg. antiquitat. pag. 96.* REINESIVM, *syntagmate inscriptionum, classe* I. *num.* CCXCI. hanc exhibet:

ΗΛΙΩ ΜΙΘΡΑ
Α С Τ Ρ Α Π Τ Ο Ν Τ Ι
ΔΑΙΜΟΝΙ
Ν Α Β Α Ρ Δ Η
ΕΥΤΥΧΟΣ ΔΩΡΟΝ.

Maximum fuit Aegyptiorum iusiurandum per *Osirin.* LYCOPHRONIS Scholiastes, apud IOH.

NICOLAI *de Synedrio Aegypt. cap.* VII. ὁ μέγας ὅρκος τοῖς Αἰγυπτίοις ἐτύγχανε μὰ τὸν Ὄσιριν. Sub Osiridis nomine Solem coluisse Aegyptios, certissimum est vel ex sola mensa Isiaca, erudito commentario a LAVR. PIGNORIO, viro in re antiquaria excellenti, illustrata: in qua *num.* L. pone Osiridem gryps conspicitur, Soli, id est, Osiridi sacer. Conf. *pag.* 29. (*m. nitidiss. ed Amstel. MDCLXIX.*) *Num. DD. Osiridis scabello ignitae naturae animal*, atque ita *caloris et ignis auctori maxime conveniens, Leo insculptus est pag.* 45. adde *pag.* 68 et 69. *Num. RR.* accipitris caput gestans imago Osiridem manu commonstrat: erat autem accipiter Soli sacer, *pag.* 61. 62 et 72. Per Osiridem, seu *per Solem, praecipuum Aegyptiorum deum, iurat* Aegyptius Amphinomus, apud XENOPH. *Ephesiacorum lib. V. se pudicam illam et nuptiis castam servaturum, donec ipsa libens aliquando assentiatur.* Τὸν ἥλιον ἐπόμνυσι, τοὺς ἐν Αἰγύπτῳ θεοὺς, (mallem τὸν ἐν A. θεὸν) σεμνὴν τηρήσειν γάμων ἁγνὴν, μέχρι ἂν καὶ αὐτὴ ποτὲ πεισθεῖσα θελήσῃ συγκαταθέσθαι.

Aethiopes per Solem iurantes introducit HELIODORVS, (quem in Aethiopicis eorum, quos loquentes facit, mores secutum oportet,) *Aethiop. lib.* IV. *pag.* 175. Persinae Aethiopum Reginae iusiurandum, quod fasciae, quacum filiam suam exposuerat, inscribi curaverat, ita se habet: Ὡς μὲν οὐδὲν ἀδικοῦσα, παιδίον, ὅτε σε γενομένην ἐξεθέμην, οὐδὲ πατέρα τὸν σὸν Ὑδάσπην τὴν σὴν θέαν ἀπεκρυψάμην, ἐπικεκλήσθω μάρτυς ὁ γενάρχης ἡμῶν Ἥλιος. *Quod nullius sceleris rea, filiola, te natam exposui, et patrem tuum Hydaspem tui conspectum celavi, testis mihi sit Sol, auctor generis nostri. Ib. pag.* 183. ταῦτα ἐκείνη μὲν ἔλεγε καὶ ποιεῖν ἱκέτευεν, ἐπισκήπτουσά μοι πολλὰ τὸν

Ἥλιον ὅρκον, ὃν οὐδενὶ σοφῶν ὑπερβῆναι θεμιτόν. *haec illa* (Persina Aethiops) *dicebat, et, ut facerem, obsecrabat, saepius me per iusiurandum Solis obtestans, quod violare nemini sapientum fas est.* Caeterum Solem praecipuum fuisse deorum Aethiopum, ex litteris patet, quas ad uxorem dedit Hydaspes, *lib.* X. *pag.* 457. εἰς τὴν ἀφιερωμένην τοῖς πατρίοις ἡμῶν θεοῖς, Ἡλίῳ τε καὶ Σελήνῃ καὶ Διονύσῳ, πρὸ τοῦ ἄστεος ὀργάδα σύσπευδε. *in consecratum diis nostris* patriis, Soli, *Lunae et Baccho ante urbem campum una cum illis propera.*

Scythas, *acinacem* pro deo colentes, (Σκύθαι μὲν, ἀκινάκῃ θύοντες, καὶ Θρᾷκες, Ζαμόλξιδι, inquit Epicureus Damis apud LVCIANVM, *Ione Tragoedo, pag. m.* 1080.) per eundem iurasse, adnotatum iam ab aliis est. LVCIAN. *de amicitia pag. m.* 598. μᾶλλον δὲ πρότερον ὀμοῦμαί σοι τὸν ἡμέτερον ὅρκον, (inquit Scytha) ἐπεὶ καὶ τοῦτο ἐν ἀρχῇ διωμολογησάμην, οὐ μὰ τὸν ἄνεμον καὶ τὸν ἀκινάκην, οὐδὲν πρὸς σὲ, ὦ Μνήσιππε, ψεῦδος ἐρῶ περὶ τῶν φίλων τῶν Σκυθικῶν. *Priusquam vero ulterius pergam, nostrum tibi iurabo iusiurandum, quoniam hoc in initio stipulatus sum. Nihil, per ventum iuro et acinacem, nil, inquam, falsi huic meae de amicis Scythicis narrationi immiscebo.* Alibi ANACHARSIS: πρὸς ἀκινάκου καὶ Ζαμόλξιδος πατρῴων ἡμῖν θεῶν, *per acinacem et Zamolxidem, patrios nostros deos.* Cur autem iurent per ventum et acinacem, addit priori in loco Toxaris: per ventum, inquiens, vitae causam, per acinacem mortis auctorem sese intelligere. ὁπόταν οὖν τὸν ἄνεμον καὶ τὸν ἀκινάκην ὀμνύωμεν, ταῦτα ὀμνύομεν, (nempe ζωὴν καὶ θάνατον, quae antea memoraverat) ὡς τὸν μὲν ἄνεμον, ζωῆς αἴτιον ὄντα, τὸν ἀκινάκην δὲ, ὅτι ἀποθνήσκειν ποιεῖ. Eodem fere

sensu Regius Psaltes *arcum et sagittas* alibi כלי מות σκεύη θανάτου, nuncupat. Interim ἀκινάκην, *acinacem, breviorem esse hastam Persicam,* μικρὸν δόρυ Περσικὸν, docent HESYCHIVS et SVIDAS. POLLVX *lib. I. segm. 138.* ἀκινάκης, Περσικὸν ξιφίδιόν τι, τῷ μηρῷ προσηρτημένον. *acinaces, Persicus gladiolus quidam femori adaptatus.* ubi IVNGERMANNI *notam* confer. Inter munera, quibus Persarum Reges exteros legatos donabant, et acinacem enumerat AELIANVS *var. histor. lib. I. cap.* XXII. A Persis vocem illam aliae gentes desumserunt. *Si quis me contumelia affecerit,* inquit Anacharsis Scytha apud LVCIANVM περὶ γυμνασίων *pag.* 1224. εἴσεται, ὡς οὐ μάτην διεζώσμεθα τὸν ἀκινάκην, *haud frustra me acinace cinctum experietur.* Solon *ib.* τὸ μέντοι ὁπλοφορεῖν ἀεὶ, καὶ ἀκινάκην περιεζῶσθαι, περιττὸν ἐν εἰρήνῃ οἰόμεθα εἶναι. *semper armatum incedere, et acinace cinctum, in pace supervacaneum esse existimamus.* Fit etiam acinacis mentio in historia *Iudithae, cap.* XIII, 6. ubi Iudith abstulisse dicitur τὸν ἀκινάκην Ὀλοφέρνου, *acinacem Holophernis,* quo ipsius caput amputavit, *cap.* XVI, 9. διῆλθεν ὁ ἀκινάκης τὸν τράχηλον αὐτοῦ.

Alias gentes olim per deos, quos plurimos colebant, promiscue iurasse, minime crediderim. Cum enim cognitissimum sit, nil fere apud gentiles fuisse, quin deum habuerit praesidem, nullam saltem urbem paulo fuisse nobiliorem, quin, quod et hodiedum apud Pontificios obtinet, tutelari Genio fuerit consecrata; per utique videtur probabile, cuiusvis urbis incolas praecipue per illos deos deierare consuevisse. Longa id exemplorum serie evincere possemus, sed pauca adducere nunc contenti fuerimus. Athenae ἄστυ erant καὶ πόλισμα Παλλάδος. EVRIPID. *in Medea vs. 771.* Huc venit Orestes, ait

Minerva apud eundem, *Iphigen. Taur. vs. 1441. statuam sacram in meum laturus agrum.*

"Αγαλμά θ' ἱερὸν εἰς ἐμὴν ἄξων χθόνα.

Fas ergo erat, ut per Palladem Atticam, quo titulo audit in inscriptione apud GRVTERVM *Thes. ins. pag. 81. num. 2.* iurarent Athenienses. Apud LVCIAN. in *Iove Tragoedo, pag. m. 1075.* Timocles Atheniensis: ἀλλὰ, μὰ τὴν Ἀθηνᾶν, οὐκ ἂν ἀποκριναίμην σοι πρότερον. *haud, per Minervam, primus tibi respondebo.* Alibi: μὰ τὴν ἀναίσχυντον Ἀθηνᾶν. Creüsa, Erechthei Atheniensium Regis filia, per deam suam iurat, in *Ione* EVRIPIDIS, *vs.* 870.

Ἀλλ' οὐ τὸ Διὸς πολύαστρον ἕδος,
Καὶ τὴν ἐπ' ἐμοῖς σκοπέλοισι θεὰν,
– – – – – –
Οὐκέτι κρύψω λέχος – – –

Sed non, per stelliferam Iovis sedem, et supra meos scopulos habitantem deam, non amplius occultabo concubitum. Comes hic Minerva Iovi iungitur, uti frequentissime alias. Menander, apud AGELLIVM, *noctium Attic. lib.* II. *cap.* XXIII.

– – – – Δία τὸν Ὀλύμπιον
Καὶ Ἀθηνᾶν. – – – – – – – –

Cur autem Iovi Athenienses iunxerint Minervam, rationem reddit GEORG. D'ARNAVD in eleganti *de diis* Παρέδροις *commentario, cap.* XXIII. *pag.* 154. confer etiam *pag.* 19, 57, 119 *sq.* Observanda adhuc venit in exemplis allatis verbi ὄμνυμι, aut certe particularum νὴ vel μὰ ellipsis, in iureiurando frequentissima. Vid. SOPHOCLEM *Electra vs.* 1252.

Ἀλλ' οὐ τὰν Ἄρτεμιν — *At non per Dianam*
Τὰν αἰὲν ἀδμήταν. — *Semper indomitam.*

Eundem in *Oedip. vs.* 1107. *Antigone vs.* 769. et alibi. ANACREON, *Ode* XXXI. *vs.* 1.

Ἄφες με, τοὺς θεούς σοι,
Πιεῖν πιεῖν ἀμυστί.

Per deos sine me largius bibere. ubi vide TANAQ. FABR. in *notis* et GEORG. D'ARNAVD, *animadversionum critic. cap.* V. *pag.* 26.

Nobilissima urbium Asiaticarum Ephesus Dianae fuit sacra. Licet enim *tanta Dianae fuerit claritas, nominisque magnitudo, ut gens fere nulla natioque posset reperiri, quae eam non religiosissime veneraretur: tamen vix alibi maiorem sanctitatis divinitatisque opinionem habuisse, quam apud Ephesios, proditum in annalibus, et scriptum est.* ut I. NICOLAI SCHVLINI (*dissertat. de Diana Ephesia ad Act.* XIX. *34.* inserta *Thesauro Theol. Philol. Tom.* II. *pag.* 498.) verba mea faciam. Hinc Leucippe, apud ACHILLEM TATIVM, *lib.* VI. *pag.* 407. Ephesum Dianae urbem nuncupat, οὐδὲ τὴν Ἄρτεμιν, inquiens ad Thersandrum Ephesium, εἰπέ μοι, τὴν σὴν φοβῇ; ἀλλὰ βιάζῃ παρθένον ἐν πόλει παρθένου; *an ergo Dianam tuam non revereris, virginem in virginis civitate vitiare conatus?* Iam vero per Dianam Ephesios iuranda concepisse, uno alterove exemplo probabo. Apud XENOPH. *Ephes. lib.* I. *pag.* 15. Ephesia puella Anthia: ὡς ὀμνύω τε τὴν πάτριον ἡμῖν θεὸν, τὴν ΜΕΓΑΛΗΝ ἘΦΕΣΙΩΝ ἌΡΤΕΜΙΝ, καὶ ταύτην, ἣν διανύομεν θάλατταν, καὶ τὸν ἐπ' ἀλλήλους ἡμᾶς καλῶς ἐκμήναντα θεὸν, ὡς ἐγὼ καὶ βραχύ τι ἀποσπασθεῖσά σου οὔτε ζήσομαι οὔτε τὸν ἥλιον ὄψομαι. *testor patriam nostram deam, magnam Ephesiorum Dianam, et hoc, quod pertransimus mare, ac in utrumque nostrum vires suas exercentem deum, me vel exiguo tempore a te abreptam, nec victuram esse neque solem adspecturam.* uti vertit COCCHIVS. Eadem Anthia *lib.* III. *pag.* 44. Ephesinum medicum Eudoxum *per patriam deam*

Dianam adiurat, ὀρκίζει τὴν πάτριον Θεὰν Ἄρτεμιν. Interim observandum est, priori in dicto Dianam eodem titulo ornari, quo *Actor. XIX, 28 et 34.* ubi plebs Ephesina inclamitasse legitur: ΜΕΓΑΛΗ Ἡ ἌΡΤΕΜΙΣ ἘΦΕΣΙΩΝ. Per templa ναοὺς ἀργυροῦς Ἀρτέμιδος *ibid. vs. 24.* memorata commodissime intelligi putem numismata figuram templi Ephesini repraesentantia, qualia exhibet PETRVS PETITVS in egregia *de Amazonibus dissertat. cap. XXX. pag. 255.*

Tyrii per *Herculem* iurarunt. Apud HELIODORVM, *lib.* IV. *pag.* 190. Tyrius occurrit mercator, τὸν πάτριον Θεὸν ἐπομνύμενος *per patrium deum iurans;* cui pro parta victoria Φοίνικες hi Τύριοι agebant gratias. Sic et Clitophon, cui Φοινίκη γένος, Τύρος ἡ πατρὶς, apud ACHILLEM TATIVM, *lib. V. pag.* 329. οὐκ ἔγημα, μὰ τὸν Ἡρακλέα, Σάτυρε, καὶ τὴν παροῦσαν τύχην. *nondum uxorem duxi, Satyre, Herculem et praesentem meam fortunam testor.* Erat autem Tyrus Herculi sacra. CVRTIVS *lib.* IV. *cap.* II. Alexander, *benigne legatos alloquutus, Herculi, quem praecipue Tyrii colerent, sacrificare velle se, dixit.* Eadem ipsum dicentem facit ARRIANVS, *de expedit. Alex. lib. II. pag. m. 125. edit. Blanc.* ὅτι ἐθέλοι παρελθὼν ἐς τὴν πόλιν θῦσαι τῷ Ἡρακλεῖ. Ἔστι γὰρ, addit Arrianus, ἐν Τύρῳ ἱερὸν Ἡρακλέους παλαιότατον, ὧν μνήμη ἀνθρωπίνη διασώζεται, *velle se urbem intrare, Herculi sacrificaturum. Est enim in ea urbe templum Herculis, omnium, quorum conservatur memoria, vetustissimum;* ita enim, si Vulcanii coniecturam, quam secutus sum, probaveris, vertendum est. Narrat CVRTIVS *ib. cap.* III. §. XXII. Tyrios obsidione pressos, Apollinis *simulacrum aurea catena* devinxisse, *araeque Herculis, cuius numini urbem dicaverant,* inseruisse *vinculum,*

quasi illo deo Apollinem retenturos. Haec de diis urbium praesidibus, per quos iurarunt incolae.

Sacerdotes olim per deos, quorum templis praeerant, iurasse, ex quibusdam locis recte mihi videor posse colligere. Clitophon a Dianae sacerdote Ephesi hospitio exceptus, per Dianam iurat, apud TATIVM *lib. ult. pag.* 471. EVRIPIDES *Iphigen. Taur.*

OREST. *Quemnam deorum iuras iurisiurandi tui vindicem?*

ΙΦΙΓ. Ἄρτεμιν, ἐν ἧσπερ δώμασιν τιμὰς ἔχω.
ΠΥΛ. Ἐγὼ δ' ἄνακτα γ' οὐρανοῦ, σεμνὸν Δία.

IPHIG. *Dianam, in cuius templo* sacerdotii *honore fruor.*

PYL. *Ego vero Regem coeli Iovem venerandum.*

Charicles Apollinis Pythici sacerdos Calasirin adiurans, *per Apollinem ipsum,* ait, *et patrios tuos deos.* πρὸς Ἀπόλλωνος αὐτοῦ καὶ τῶν ἐγχωρίων σοι θεῶν. HELIODORVS *lib.* II. *pag.* 121. Idem Charicles *ib. lib.* IV. *pag.* 173. οὐ, μὰ τὸν Ἀπόλλω, ἔφη. *non, per Apollinem, inquit. Ib. lib.* III. *pag.* 145. Calasiris προφήτης τῆς Ἴσιδος *antistes Isidis, per Isidem* iurat, νὴ τὴν Ἴσιν *vs.* 15. Vestales virgines apud Romanos per Vestam iurarunt. *Sacerdos* (inquit SENECA *controv.* apud HANSENIVM *cap.* XXX.) *raro iuret, nec unquam nisi Vestam suam.* Vnde liquet, male, nunquam eas iurasse, colligi ex edicto praetoris perpetuo, apud A. GELLIVM *noct. Attic. lib.* X. *cap.* XV. SACERDOTEM. VESTALEM. —— IN. OMNI. MEA. IVRISDICTIONE. IVRARE. NON. COGAM. *Testes adhibitas liquet: sed ex edicti verbis, non iuratas dixisse, nisi vellent. Nam est in edicto,* NON COGAM. *Religionis igitur honore voluerunt vel iniuratis credi.* verba sunt LIPSII *syntagm. de Vesta et Vestalibus,* c. XI.

Quisque praeterea per artis, quam profitebatur, praesides iurabat et inventores. *Medici* per *Apollinem, Aesculapium et Salutem.* Ita sane egregiae artis princeps HIPPOCRATES: Ὄμνυμι τὸν Ἀπόλλωνα ἰητρὸν, καὶ Ἀσκληπιὸν, καὶ Ὑγείαν, καὶ θεοὺς πάντας καὶ πάσας ἵστορας ποιεύμενος. Aesculapium et Hygeiam saepius in inscriptionibus reperias: praecipue apud REINESIVM *syntagm. inscript. cl.* I. *pag.* 155. *sq. et* GRVTERVM *Thesauro inscript. pag.* LXVIII. *num.* 6. *et pag.* MLXXIII. *num.* 5. ubi haec reperitur:

ΑΣΚΛΗΠΙΩ
ΠΕΡΓΑΜΗΝΩ
ΥΓΕΙΑ
ΤΕΛΕΣΦΟΡΙΩΝΙ
ΘΕΟΙΣ
ΣΩΤΗΡΣΙ
ΠΟΛΙΣ

De Aesculapio Pergameno heic memorato consulas M. ROSSALLI *observat. ad loca Apocul.* II. 13 *et* 17. *et* THEOD. HASAEI *dissertat. de Throno Satanae apud Pergamenos. Biblioth. Brem. cl.* 1. *fasc.* 1. Per θεοὺς πάντας καὶ πάσας, quos porro testes invocat HIPPOCRATES, reliquos deos medicinae Praesides intelligo, quales fuere Hercules ἀλεξίκακος, Minerva Medica etc. De priori conf. HIERON. ALEANDER, *explicat. tab. Heliacae, Tom.* V. *Antiq. Rom. col.* 716 *et* 729: et vetus marmor Herculem et Silvanum repraesentans, apud GRVTERVM, *pag.* XLII. *num.* 12. in cuius basi legitur:

ΘΕΩΙ ΑΛΕΞΙΚΑΚΩΙ
ΓΛΥΚΩΝ.

Minerva *medica et medicinae praeses* dicitur in vett. lapidibus apud BOXHORNIVM in *quaest. Roman. qu.* 1. *Tom.* V. *Antiq. Rom. Thes. col.* 917, et IOH. GEORG. GRAEVIVM, *in prolegom. ad h.*

Tomum. Caeterum idem illud HIPPOCRATIS iusiurandum paulo aliter refert GREG. ABVLPHARAI *in historia dynastiarum, dynast.* I. *pag. m. 11.* ex versione POCOCKII *Solebat Hippocrates, cum discipulos suos iureiurando adigeret, dicere: Adiuro vos,* الله باري الموت و الحياة و ابي و اباكم اسقليبيانيس *per deum creatorem mortis et vitae, et patrem meum patremque vestrum Asclepiadem.* Εἴρηκα μὲν νῦν ταῦτα. De diis, per quos certis in circumstantiis iuraverint veteres, ut et de diis inter iurandum coniunctis, et si quae alia huc spectantia in collectanea coniecerim, addidissem. Sed veritus, ne iam dudum Academicae dissertationis limites egressus videar, heic pedem sisto; forsan alias telam, quam exorsus sum, pertexturus.

III.

LVDOVICI CASPARI VALCKENAER

DISSERTATIO

DE

BYRSA, PHOENICIO ARCIS CARTHAGINIENSIVM NOMINE.

CAPVT I.

CONDITAE BYRSAE HISTORIA etc.

Argumentum dissert. Brevis conditae arcis historia veterum testimoniis firmatur. Eam fabulis adscribunt pleriqre omnes. Tales multas confinxerunt Graeci, Moses our Alpha fuerit dictus? Tangitur fabula de Orione. Caput V. incredibilium Palaephato abiudicatur. In fabulae originem inquiritur. Ex funibus mensoriis, quos Phoenices aeque ac alii in urbibus condendis adhibuerunt, eadem arcessitur. Vnde nomen Byrsa arci fuerit inditum? Petavii opinio a vero abhorret.

Quum ex Abbatis Pinartii dissertatione, *de nomine Byrsae arci Carthaginis a Didone exstructae dato*, in *historia Academiae Regiae inscript. etc. tom.* I. *p.* 191—194. *ed. Hag.* excerpta *) legerem, nominis *Byrsae* originatio, Pinartio, aliisque viris eruditis probata, paulo mihi videbatur alienior, ac digna materies, quam data opera aliquando evolverem. Nactus occasionem, num, quod minus a vero abhorreat, in medium proferri possit, hac dissertatione discipiam. Ne vero longius extra limites evager, hisce terminis eandem concludam. *Primum* conditae *Byrsae* historiam attingam; *tum,* fueritne arcis *Byrsae* nomen ex Phoenicio *Bozra* deflexum, cernam; aliam *denique* de vocis origine coniecturam proponam, et uberius deinceps adstruam.

*) Haec latine versa exstant in *observat. miscell. in auctores vett. et recentt. vol. I. tom. III. p.* 306. *sqq.*

Carthaginis origo, sicuti in remotae antiquitatis rebus fieri consuevit, tanta caligine involuta iacet, ut inter eruditos lites pepererit; dum hi urbem illam a Didone conditam adfirmant, alii eius primam originem in remotiora tempora reiiciunt, sed eandem a Didone fuisse instauratam, ac munimentis ornatam statuunt. Haec dissidia meum non est componere, cui suffecerit, in eo omnes iure merito consentire, Carthaginis acropolin, *Byrsam*, Didonis auspiciis fuisse constructam. Quae de huius arcis origine a veteribus relata sunt, huc fere redeunt: Mulierem inquiunt Tyriam, variis nominibus, sed et illo Didonis inclytam, quum coniugis sui Sichaei interfectorem, crudelem Pygmalionem fugeret, ad Libycas oras navi cum suis vectam, appulisse, ac ibi novae urbis condendae cepisse impetum; quum autem ab indigenis pelleretur, callidam mulierem, dolo usam, tantum coemisse soli, quantum *corio taurino* posset circumdare, voto facile potitam, corio in tenuissimas corrigias secto tam grande inclusisse spatium, ut amplissimae Carthaginis suffecerit arci, cui ab isto facinore *Byrsae* (quae vox Graece *corium* dicit) impositum nomen constanter adfirmant. Qui de narrationis fide dubitaverit, evolvat is ad Virgilii locum, ubi hanc tangit historiam *Aen.* 1, 371. *sqq.*

Devenere locos, ubi nunc ingentia cernes
Moenia, surgentemque novae Carthaginis arcem,
Mercatique solum, facti de nomine Byrsam,
Taurino quantum possent circumdare tergo.

Servium, et quos porro adducunt Pinartius, Ioh. Lud. de la Cerda, et alii. Illis addi potest scriptor *expositionis totius mundi*, inter *Geographica antiqua* a Gronovio vulgatus, *pag.* 268. ubi, *Africa*, inquit, *multas et differentes civitates possidens,*

unam praecipuam et admirabilem nimium habet, quae sic vocatur Kartago: quam condidit mulier Tyria, nomine Dido: quae cum Libiam venisset, locum emit, quantum corium bubulum circumtenere potuit, ut Virgilius ait, cognomine Byrsa, *quae dispositione valde gloriosissima constat*, etc.

Dionysium quoque testem advocabo, qui ad eandem de corio bubulo historiam respicit, ubi in *periegesi, vers.* 197. *sqq.* canit:

Τοῖς δ' ἐπὶ Καρχηδὼν πολυήρατον ἀμπέχει ὅρμον,
Καρχηδὼν, Λιβύων μὲν, ἀτὰρ πρότερον Φοινίκων,
Καρχηδὼν, ἣν μῦθος ὑπαὶ βοΐ μετρηθῆναι.

Vertunt:

Post hos autem Carthago expetitum continet portum,
Carthago, nunc quidem Afrorum, prius vero Phoenicum,
Carthago, quam sub bove dimensam fuisse referunt.

Partem totius nomine insignivit Dionysius, ὑπὸ βοΐ inquiens, pro ὑπὸ βύρσῃ. Ita alibi draconis in Apollinis templo suspensam pellem ὁλκὸν nominat. *Ib. vers.* 443.

Ὁλκὸς ἀπειρεσίῃσιν ἐπιφρίσσων φολίδεσσι.
Spira infinitis inhorrescens squammis.

Ὁλκὸν δὲ ἔφη, inquit ad *h. l.* Eustathius, τὴν δορὰν τοῦ δράκοντος, τῷ ὀνόματι τοῦ ὅλου ὀνομάσας τὸ μέρος, ὡς καὶ ἡ βύρσα βοῦς λέγεται, καὶ ἐλέφας τὸ ὀστοῦν τοῦ ἐλέφαντος.

Caeterum qui, ad priorem illum Dionysii locum, eundem consuluerit commentatorem, is veterum de Carthaginis origine sententias cognitas habuerit et exploratas. Ex pluribus ea demum, quibus illa, quae superius adserui, firmamentum accipere

queant, decerpere iuvabit. Ἡ δὲ, inquit, περὶ τῆς ῥηθείσης βοὸς ἱστορία τοιαύτη ἐστίν· Διδὼ ἡ τοῦ Πυγμαλίωνος ἀδελφὴ, Ἀγήνορος θυγάτηρ, ἢ Βήλου βασιλέως Τυρίων, ἡ καὶ Ἔλισσα καλουμένη, καὶ Ἄνα *) Σιχαίῳ γενομένη γυνὴ, ἀνδρὶ Φοίνικι, Τύρον ᾤκει· τοῦτον δὴ τὸν ἄνδρα ὁ Πυγμαλίων σὺν αὐτῷ ἀποδημοῦντά που δολοφονεῖ ἔρωτι χρημάτων, ὃ δὲ δι' ὀνείρων σημάνας τὸ πάθος τῇ γυναικὶ, κελεύει φεύγειν, οὐκέτι γὰρ εἶναι πιστὰ τῷ Πυγμαλίωνι, ἐν δευτέρῳ χρημάτων τὰ φυσικὰ τιθεμένῳ θεσμά· ἡ δὲ προσλαβομένη τινὰς τῶν Τυρίων, συναραμένη δὲ καὶ τὰ χρήματα ἔρχεται ἐπὶ Λιβύην. Τοῦ δὲ Νομάδων καὶ Μαζίκων βασιλέως Ἰάρβαντος ἐκβάλλοντος αὐτὴν, ἠξίου ἡ γυνὴ χῶρον αὐτῇ τιμῆς ἀποδόσθαι, ὅσον ἂν ῥινὸς, ἤγουν βύρσα ἐπιλάβοι βοός. Τυχοῦσα δὲ τοῦ ἀξιώματος, διὰ τὸ δόξαι μικρὰ αἰτῆσαι, λαμβάνει βύρσαν, καὶ κατατεμοῦσα εἰς λεπτὰ, καὶ τὸν λεπτοτμηθέντα ἱμάντα ἐπεκτείνασα, ἔσχε τὴν κύκλῳ ἐμπεριληφθεῖσαν γῆν τῷ ἱμάντι, εἰς μῆκός τε καὶ εἰς πλάτος πολὺν ὅσον τῇ πόλει τῷ τοιούτῳ σοφίσματι περιγράψασα. Paucis tum

*) Pro illo Ἀνὰ reponendum coniectaveram Ἄσα, quod ipsissimum, ut rebar, Phoenicium Ἔλισσα *Elisa*, אשה אלישא fuerit, dempto articulo אל Ἴσα vel Ἄσα enuntiatum. Verum profecto certiora sunt, quae vir eruditus me monuit, Didonem videlicet, et Annam sororem a veteribus non raro pro una eademque habitas; ubi rei iudicio esse posset Varronis locus, apud Servium, ad Virg. *Aen.* IV. *vers.* 682. ubi *Varro ait, non Didonem, sed Annam amore Aeneae impulsam se supra rogum interemisse.* Id. Servius ad *Aen.* V. *vers.* 4. *sane sciendum* inquit, *Varronem dicere Aeneam ab Anna amatum.* Hinc igitur Dido Eustathio forsan nuncupata fuit Ἀνα seu Ἄννα. Quod nomen utique Phoenicium est, matri quippe Samuelis impositum, ac חנה scriptum, a Graecis Ἄννα pronunciatum, quo eodem nomine pia illa foemina *Luc.* 11. *vers.* 36. celebratur.

interiectis arcem inde Byrsae traxisse nomen adfirmat: ἡ δὲ τῆς πόλεως ἀκρόπολις διὰ τὴν ῥηθεῖσαν ἱστορίαν τῆς βοὸς, βύρσα ἐκλήθη τὸ παλαιόν. Hisce comitem adiungam Themistium, qui ab aliis paulo diversam nominis rationem reddit in *oratione* XXI. *pag.* 261. *ed. Hard.* καθάπερ δή ποτε λέγεται Καρχηδονίους χωρίον ἰσομέτρητον βύρσῃ παρὰ Λιβύων αἰτησαμένους, εἰς λεπτὸν ἱμάντα κατατεμόντας τὴν βύρσαν, πολυπλασιάσαι τὴν δωρεάν· καὶ νῦν ἔτι, addit, Καρχηδόνιοι Βύρσαν τὸν τόπον ἐπονομάζουσιν εἰρωνευόμενοι τῇ σμικρότητι τοῦ ὀνόματος πρὸς τὸ μέγεθος τοῦ χωρίου. *Quemadmodum olim ferunt Carthaginienses, cum tantundem spatii, quantum bubulo corio occupari posset, ab Afris impetrassent, praesecto in exiguum lorum corio multiplicatam donationem usurpasse. Et hodie dum Carthaginienses Byrsam (corium) illum locum appellant, ex exiguitate nominis ad loci amplitudinem alludentes.* Merito loci amplitudinem memorat orator, qua de vide Servium supra citatum. Imo oportet, arx ista mirae fuerit molis ac structurae; quippe quum in eius vertice tantae magnitudinis templum fuerit constructum, ut in eo aliquando quinquaginta hominum millia potuerint delitescere. vid. Bochartum, *Chanaan*, *lib.* I. *cap.* XXIV. Stupendae quoque altitudinis extitit olim Beli templum Babylone, huic etenim septem turres fuerunt impositae, in quarum summo vertice sacellum eduxerant, sicuti tradit Herodotus *lib.* I. *cap.* CLXXXI. Adeo quoque lapsu temporis munimentis firmata fuit arx Carthaginiensium, ut capta iam urbe, tertio bello Punico, *Byrsa, quod* (Flori verba sunt, *lib.* II. *cap.* XV.) *nomen arci fuit, quasi altera civitas resistebat.*

Quaecunque de corio bubulo, ac inde arci

imposito nomine a veteribus tradita retulimus, omnia plane viri eruditissimi, si forte unum exceperis Petavium, in fabulam retulerunt; cuius secundum ipsos ex vero arcis nomine, quod non longe ab illo Byrsae recesserit, origo sit repetenda. Et fatendum sane est, ne in vocabulo sibi incognito haererent Graeci, miras, sed saepissime elegantius concinnatas fabulas confinxisse. Id ab aliis, et a Bocharto, abunde fuit ostensum. Vnicum hic proferam exemplum. Ptolemaeus Hephaestionis, περὶ τῆς εἰς πολυμαθίαν καινῆς ἱστορίας, *lib.* V. *pag. m.* 529. *ed.* Th. Gale, ubi de litterarum quarundam nominibus agit, quae hominibus imposita fuisse docet, Mosen, Hebraeorum legislatorem, ob vitiliginem, qua laboraret, *Alpha* nominatum scribit, Μωσῆς, inquiens, ὁ τῶν Ἑβραίων νομοθέτης Ἄλφα ἐκαλεῖτο, διὰ τὸ ἀλφοὺς ἔχειν ἐπὶ τοῦ σώματος. Vix dubitem, quin fabula ex voce אלוף qua procul dubio *ducem* ac *doctorem* suum Mosen designabant Iudaei, traxerit originem, quod Huetio, *demonstr. evang. propos.* IV. *cap.* II. §. 50., non observatum, miror. Quid? Ipsa vox Βύρσα et alias coniectoribus fabulandi ansam praebuit. Nota est de Orione fabula, quem, ut reliqua praeteream, ex Diis immolati bovis corio (βύρσῃ) decimum post mensem prodiisse referunt et alii et Palaephatus *) περὶ ἀπίστων, *cap.* V. Quid hic sub Byrsae velamine censuerit reconditum, ipsius iudicio destituti ignoramus. Non

*) Nisi tamen istud caput reliquorum auctori (sive is Palaephatus fuerit, seu alius) non sit adiudicandum, sed ex vetere quodam mythographo huic libello fuerit insertum, quod ut credam varia me impellunt. Eandem fabulam ex Euphorione in Scholia sua retulit vetus Homeri commentator ad *Iliada* Σ. *vers.* 486. Quae ibi leguntur, adeo adcurate cum Palaephato conveniunt, ut unicum tantum vocabulum diverso modo scriptum reperiatur, pro φιλοφροσύνην ὑποδεξάμενοι in *Schol.* editum ἀποδεξάμενοι.

absurde Βύρσαν mulieris cuiusdam nomen fuisse proprium cum Brunnero in notis ad *h. l. p.* 107. quis dixerit: licet etiam alia sub *Byrsa* delitescere censeri possent.

Sed, quo propius ad Carthaginis acropolin accedo, eo minus, ex quo demum fonte illa de corio bubulo fabula originem suam traxerit, cerno. Coniecerit aliquis, apud Phoenices in urbibus condendis tales fuisse ritus solemnes, quales, primam fabulae suppeditare materiam, aptae fuerint; sed coniectura adeo fuerit incerta, ut nullo plane superstructa foret fundamento, nisi levi illo, quod apud alias gentes, sed a Phoenicibus longius remotas urbium conditores tales fere adhibuerint caerimonias. Vide Varronem, *de L. L. lib.* IV. *col. m.* 24. et Dionys. Gothofred. ad istum locum, Virgil. *Aen.* I. 429. III. 109. et Catonem, apud Isidorum *origin. lib.* XV. *cap.* 11.

Sed his suo loco relictis, pace virorum eruditorum, in illis, quae de corio bubulo ac condita arce referuntur a veteribus, non nisi quae plane a vero abhorreant, falsa crediderim, haec ab illis facili opere seponi ac separari posse arbitratus. Quidni enim, quaeso, in *tenues partes secto corio*, spatium illud, quod condendae arci, seu urbi, seposuerat Dido, quidni inquam illud *fune mensorio dimetiri* potuerit? Aeque certe ac alibi, in illis terris, ex quibus recens excesserat Dido, in urbibus condendis *funibus* usi fuerunt, ad quos ceu regulam iusto et concinno ordine aedificia disponi possent ac fabricari. Loca, quibus id in Chananaea fuisse in usu confirmem, adsunt plauissima. Hierosolyma restauranda pollicetur Deus *Zach.* 1. *funiculus* inquiens *v.* 16. *extendetur super Hierosolyma.* קוה ינטה על ירושלם μέτρον ἐκταθήσεται ἐπὶ Ἱερουσαλήμ. Vbi eadem urbs latius divini numinis bene-

ficio praedicitur dilatanda, *Ierem.* XXXI. *vs.* 29. *ducetur,* inquit Dei nomine vates, *funis mensorius* קוה המדה *ante ipsam ad collem Gareb, inde Gohatham versus reducendus.* Qui eandem urbem metiretur *Zach.* II. *vs.* 1. in manu sua gerebat *funem mensorium* חבל מדה. σχοινίον γεωμετρικὸν reddiderunt Graeci. (vid. *Ezech.* XL. *vs.* 3. ubi פתיל פשתים memoratur, iidem σπαρτίον οἰκοδόμων posuerunt.) Vocabulum quoque חבל, postremo Zachariae loco obvium, proprio quidem significatu *funem* denotat, sed et ab hac consuetudine defluxit, ut funibus definitam ac separatam terrae portionem diceret. Quin imo urbem ac regionem regni Basan, *Deut.* III. 4. חבל ארגוב *funem Argob* nuncupata, apud Bochartum, in *Chanaan lib.* 1. *cap.* XXVIII. repereris. Idem illud vocabulum Phoenicibus quoque fuit usurpatum; modo certa sit verosimillima eiusdem viri eruditissimi coniectura, qua חבל, Phoenicibus *Hybla* pronuntiatum, ex appellativo, tandem tribus Siciliae oppidis, quae a scriptoribus Graecis Ὕβλαι nominantur, proprium factum fuisse hariolatur. Potuit igitur Dido, quod ab indigenis mercata fuerat solum, revera taurino corio circumdare, neque tamen propterea iisdem scriptoribus fidem adhibuerim, qui ab isto facinore arcem *Byrsa* nuncupatam fuisse adseverant.

Vnde igitur illa suam hauserit denominationem? Fuerunt, qui eam a *pecunia ex corio facta,* qua soli pretium solverit Dido, censuerint deducendam. Coriacei vero numi licet antiquo tempore in usu fuerint, docente alibi Otthone Sperlingio, in pulcerrima illa *de nummis non cusis dissert.* recte nihilominus illorum opinionem perstringit Pinartius, sed, ut huius sententiae auctorem, immerito Donatum producit. Is enim his aliisque praemissis, *sed omnia haec fabulosa sunt magis quam vera* sub-

licit, paucis interiectis addens, *appellatio* (Byrsa) *in lingua Graeca, unde Dido fuit, et Punica hoc est ipsius regionis, in qua res gesta ferebatur, significabat corium, βύρσα quippe Graeca appellatione corium est, et Bursals Punica elocutione corium significatur.* Grammatici nugis refutandis non inhaerebimus. Eruditi Petavii opinionem memorasse praestiterit, facillime a muliere Tyria arci nomen Graecum βύρσαν potuisse imponi, per frequentissima commercia e Graecia ad Tyrios ac Carthaginienses derivatum, iudicantis in *notis ad Themistium pag.* 510. Verum enimvero adeo a vero illius abhorret sententia, ut, tametsi contrarium confidenter satis a Scaligero sancitum fuerat, perspicere tamen nequeam, qui in illam opinionem delabi potuerit Petavius: sicuti enim extra controversiae aleam positum est, longe plurima vocabula aevo recentiore e Graecia in Orientem fuisse illata, imo ipsam vocem βυρσεὺς a Syro versore ܒܘܪܣܝܐ *Act.* IX. *vers. ult.* exprimi, ac Chaldaeis pro coriario בורסי nonnunquam usurpari, sicuti ostendit David Cohen de Lara in *hhir David*, hac voce; non minus certo constat, nondum veterrimo illo aevo, quo arcem molita fuit Dido, Graecas voces in Phoenicen importatas, e quibus illam eligeret Phoenissa, quam arci a se condendae imponeret.

Sin vero nihilominus quis sibi persuaserit, nihil Phoenicii in arcis nomine delitescere, minus absurde statueret, nomen fortasse ob similitudinem, quae arci cum corio taurino extenso intercesserit, a Graecis lapsu temporis Carthaginem advenientibus, fuisse inditum, quod ut ab indigenis usurpatum scriptores nobis tradiderint, τόποι sane πολλοὶ διαφόρως εἰκάζονται πρός τινας ὁμοιότητας, inquit Eustathius, ubi longum urbium regionumque cum

aliis rebus comparatarum texit catalogum, ad Dionys. *perieg. vers.* 157. De Iberia corio taurino assimilata scribit Dionysius, *ib. vers.* 287.

Ἤπειρον κείνην ἰκέλην ἐνέπουσι βοείῃ.

Eustathius ad *h. l.* ἱστορεῖ δὲ καὶ, inquit, τὴν ἐκεῖ που Ἰβηρικὴν ἤπειρον ὁμοίαν εἶναι βύρσῃ, οὐ τῷ χρώματι, οὐδὲ τῇ λειότητι, ἀλλὰ τῷ σχήματι· βύρσῃ γὰρ τεταμένῃ ἔοικεν ἡ Ἰβηρία. Sed haec omnia sponte sua corruere, ex iis, quae sequenti capite disseremus, clarissimum in modum patefiet.

C A P V T II.

DE PHOENICIA VOCE BYRSA, EIVSQVE ORIGINE.

Arx certissime a Phoenicibus nomine Hebr. fuit insignita. Vrbis nomen Carthago Hebraeum est. In eo omnes consentiunt, arcis nomen Byrsa a Phoenicibus בצרה pronunciatum. Sitne illud certum? Rationes dubitandi. Nullo exemplo litterarum illarum transposito evincitur. Vrbes בצרה vocatae a Graecis Βόστρα dicuntur. Hebraei arcem quamcunque non vocarunt בצרה. Regiones sive urbes ita dictae, quod vini essent feraces. V. בצר genuina notio indagatur. Hebr. בירה Phoenicibus Byrta, a Graecis Βύρσα pronunciari potuit.

Veteres illos Phoenices Carthaginis arci Graecum imposuisse nomen, nullo modo dici potest, sicuti ab aliis observatum rectissime adseruit Pinartius. Quum enim patria ipsis lingua fuerit Hebraea, ad eam saltim tam prope accedens, ut diversa censeri nequeat, quin ex illa lingua, quo arcem suam nuncuparent, depromserint nomen, dubitari non debet. Adeo etiam istud certum arbitratur vir illustris Io-

sephus Scaliger, ut »qui id negabit« inquiat in *animadvers. ad Euseb.* §. DCCCIV. *pag.* 51. »neque ullum gustum harum rerum habet, fruatur »sua δοκησισοφίᾳ, et per me insaniat aut ringatur »licet. Ego huiusmodi capitibus non invideo, ut »sua sine rivali ament. Nos scimus vera nos di»xisse et valde imperitum, ἄμουσον καὶ ἀμαθῆ esse, »ad quem harum rerum sensus non pervenerit.«

Vrbi, cuius partem constituebat *Byrsa*, unanimi *) eruditorum consensu nomen fuit Phoenicium. *Carthada.* קרתא חרתא *nova civitas.* Vnde Graecis χ et ϑ inter se permutatis Καρχηδὼν, Latinis dicta fuerit Carthago, qua voce, aiente Servio, ad Virg. *Aen.* I. 730. *lingua Poenorum nova civitas* designabatur; si idem Servius ad *Aen.* IV. 670. tantum scripsisset, sepositis nugis: *Carthago a Cartha, oppido, unde fuit Dido*, veniam mereretur. Alia eiusdem urbis nomina, Καδμεία, Κακκάβη, mere sunt Phoenicia., sicuti et illa, quibus tres, in quas divisa Carthago, denotabant partes, Κώθων, Μέγαρα, Βύρσα. De quibus data opera egit Bochartus, *Chanaan, lib.* I. *cap.* XXIV. Consuli praeterea possunt ill. Scaliger, *in notis ad fragmenta Gr. pag.* 31. *sq. animadvers. ad Euseb. l. c.* (ubi tamen minus probabilem de nomine Καρχηδὼν adfert coniecturam.) Drusius, *observat. lib.* VII. *cap.* VIII. Salmasius, *exercitat. Plinian. pag.* 228. *nov. ed.* et hic illic Reinesius, in *dissertatione de Lingua Punica.*

Hi licet in quibusdam a se invicem recedant, raro tamen exemplo in eo eruditiores quique convenerunt, Carthaginis acropoli verum nomen fuisse

*) Excipiendus est Petrus Nannius, qui super etymo Carthaginis prorsus aliena prodidit, *miscellan. lib.* VII. *p. m.* 196.

Βύσρα, *Bozra*, בצרה, quod *arcem* dixerit, et ad evitandam pronuntiandi scabritiem necessario a Graecis, quorum lingua non patitur, ut S et R continuentur, Βύρσα efferri debuerit: quibus autem *arcis* significatum voci בצרה adserant, arcem Moabitarum, *Ierem.* XLVIII. 24. et Idumaeorum, *Ies.* XXXIV. 6. *Amos.* I. 12. hoc nomine dictas producunt. Primus, nisi fallor, hanc coniecturam, sed ut certam et indubitatae veritatis proposuit ill. Scaliger, *ll. cc.* Eam deinceps, a Bocharto summo opere probatam, quotquot arcis huius iniecerunt mentionem, avide arripuerunt. Quinimo, qui eandem sententiam defendit, Pinartius, Hebraeos nomen *Bozra* omnibus arcibus dedisse, confidenter adfirmare non dubitavit. Ecce quoque Virgilii commentatorem, I. L. de la Cerda, qui ad illum, quem praecedenti capite attigimus, locum, Poetam linguae Phoeniciae non ignarum, forsan ibidem *Bysram* scripsisse, inepte profecto coniectat.

Illa equidem de nomine *Byrsa* ex בצרה deflexo coniectura, sicuti eam proposuimus auctoritate summorum virorum, quorum vel sola divini Scaligeri unumquemque frangeret, munitam, adeo summa sese commendat verisimilitudine, ut, si id negaverim, quovis me dignum deputarem. Verumtamen ultra veri speciem nihil eleganti coniecturae conciliari posse, modeste, sed ingenua usus libertate, et cuivis in hisce rebus concessa, pace virorum eruditorum adseruerim, et est, cur id adseram.

Primum enim, licet ad emolliendum sonum ex *Bozra*, בצרה, a Graecis *Byrsa* fuisse efformatum facili opere concipi possit, vellem omnino isti literarum S et R transpositioni fidem a viris doctis fuisse adstructam: nullum saltim huiuscemodi exemplum ex magna illa vocabulorum sylva, quae Phoenicia declaravit Bochartus, productum reperio.

Quin et Graeci interpretes, ut littera Σ τῷ P praeponeretur, facile concesserunt, uti in nominibus propriis, in quibus צ sequente ר occurrit, observare licet. 1 *Chron.* XXV. *vs.* 11. יצרי scribunt Ἰεσρὶ, unicum הצרן suffecerit, quod diversimode quidem variis in locis scripserunt Alexandrini, servata tamen semper eadem litterarum ΣP positura. *Gen.* XLVI. 9. Ἀσρὼν. *vs.* 12. Ἐσρὼν. 1 *Chron.* II. 9, 18. Ἐσρὼμ. *Ib.* V. *vs.* 3. Ἀσρὼμ. Verum, si בצרה genuinum fuerit arcis Carthaginensium nomen, quod a Graecis necessario Βύρσα debuerit pronuntiari, sequeretur utique, in voce בצרה exprimenda, semper voce *Byrsae* fuisse usos, quod si fecerint, firmo hactenus pede illa innititur sententia; sin minus, vacillante saltim. Certissimis autem indiciis constat, vocem בצרה, urbis cuiusdam nomen, nunquam Βύρσαν, sed plerumque semper Βόστρα a Graecis fuisse enuntiatum. Vid. quae Relandus in *Palaest. tom.* II. ad vocem *Bostra* notavit, quibus adde Stephanum Byzant. cui Βόστρα πόλις Ἀραβίας audit. *Bostra* eadem vocatur in *notitia dignit. Imp. Rom.* apud eundem Reland. *ibid. tom.* 1. *pag.* 232. Hanc Arabiae urbem, a Severo Imperatore munitam, cum veteri illa Moabitarum metropoli, בצרה *Mich.* II. 12. nuncupata, eandem fuisse statuit Scaliger, *animadvers. ad Euseb. num.* MMCCLXIII. *pag.* 235. *Bostra*, urbs Arabiae, non quidem antiqua, quippe quae a Severo demum Imperatore in civitatem fuerit redacta, vetustum tamen munimentum fuisse, dicitur apud Photium, *Biblioth. cod.* CCXLII. *pag.* 567. τὰ Βόστρα τῆς Ἀραβίας, πόλιν μὲν οὐκ ἀρχαίαν (ἀπὸ γὰρ Σεβήρου τοῦ βασιλέως πολίζεται) Φρούριον δὲ παλαιὸν fuisse, scribentem. Apud Hubertum quoque Goltzium, *thesauro rei antiquariae, col.* 211. BOCTPA legas, in nummo Antonini Pii; et in altero Iuliae Piae,

Severi uxoris: ΒΟϹΤΡΗϹ ϹΤΡΑ... quae Βόστρης τῆς στρατηγίδος *l. c.* interpretatur Scaliger. Paululum discedente scriptura, urbs Βόστρις memoratur Nilo Doxopatrio, in *Var. Sacr.* St. le Moine, *tom.* I. *pag.* 219. *Bostris* anonymo Ravennati, *cosmogr. lib.* V. *cap.* VII. vocata, ubi tamen rectius Phoenices oppidum maritimum per *Bostris* intelligi posset, cuius nihilominus nomen ex Phoenicio *Bozra* fuerit depravatum. Sive nunc urbem illam Arabiae, quam Βόστρα nominaverunt Graeci, veterum Moabitarum Principem illam *Bozra* fuisse, cum Scaligero credideris, seu aliam, eodem plane res recidet, siquidem, unde Graeci Βόστρα finxerunt, ab indigenis *Botsra*, בצרה, debuerit dici, sicuti etiam, ipso fatente Relando, *l. c.* Arabibus بصرى eadem vocatur, qua de urbe ubi agit magnus ille litterarum Orientalium stator cl. Schultensius, *est*, inquit, *veterum Bostra, molliore flexu ortum, ut videtur, ex Botsra*, in *indice Geogr.*, quem Saladino suffixit, ad vocem *Bosra:* quin imo ipse, quod merito mireris, Bochartus, ubi de quarundam litterarum, in vocibus barbaris facta a Graecis transpositione scribit, TS in ST mutata observat, ac praeter *Mestrem* ex *Mitsraim*, hoc ipsum quoque *Bostra* ex *Botsra* deflexum adducit, *Chanaan, lib.* I. *cap.* XIV. in fine.

Verum, ut ut haec fuerint, modo certa sit viri docti observatio, Hebraeos nomen *Bozra* omnibus arcibus dedisse, vernacule a Phoenicibus acropolin suam Carthagine *Bozra* fuisse dictam, vero admodum fit simile. Licet etiam saepissime aliae gentes arces suas simplici *acropolis arcis*ve voce designaverint, parcius tamen a Pinartio oportuisset adsertum, raro apud auctores, si Capitolium exceperis, arcium nomina propria reperiri; viro docto, quum

illa scriberet, non succurrebant, quae procul dubio apud veteres lectitaverat. *Pergama* sane Troiae dicebatur acropolis; Babylonis, *Ptera;* Thebis Boeoticis, arx nominabatur *Cadmea*; Argivorum, *Larissa*; Corinthiorum, *Acrocorinthus*, sive *Epope*, tradente Steph. Byzant. in v. sed, ut alia praeteream, arcem in genere quamcunque *Bozra* Hebraeis fuisse dictam, nondum observavi. Nomine בצרה, non raro in sacris paginis obvio, certa semper sive *regio*, seu *urbs* indicatur, sicuti loca, in quibus occurrit, evolventi non obscure patefiet. בצרה memoratur *Ier.* XLIX. 13. ubi Raschi, היה עיר מלוכה באדום *urbem Idumaeorum principem fuisse*, existimat. Potius tamen regionem Idumaeae a Propheta designari credamus, minatur enim *ibidem* Deus, se *Bozra* vastaturum, et *omnes urbes eius* כל עריה ad nihilum se redacturum. Eodem alias *Bozrae* nomine *Idumaeorum* saepius audit *metropolis*; *Ies.* XXXIV. 6. LXIII. 1. quam amplissimam fuisse, ex *Amos.* I. 12. colligi potest, ubi deus, *ignem se immissurum*, inquit, *in Teman*, ואכלה ארמנות בצרה *qui arces Bozrae combureret.* Sed et inter urbes Moabitidis *Bozra* enumeratur, *Ierem.* XLVIII. 24. variis enim istius regionis locis recensitis, additur: *et super Kirioth, et super* בצרה, *Bozra, et super omnes urbes terrae Moab.* ועל כל ערי ארץ מואב. Adde *Mich.* II. 12. Alii hanc Moabitidis cum illa in Idumaeorum finibus posita eandem faciunt; quidquid de eo fuerit, illud certum putem et exploratum, sacros scriptores nunquam arcis significatu vocem Bozra usurpavisse, eo sensu vocabulis, מצודה, טירה, ארמון, et similibus semper usos. Haec licet ita fuerint, potuisse tamen vocem *Bozra* munitissimae Carthaginiensium arci applicari, *locum* quippe *munitum* ex origine sua dicentem, inquient viri eruditi; hanc etiam ob rationem id nominis muni-

tissimis Moabitarum et Idumaeorum oppidis impositum; quin ad hoc etymon Bozrae respexisse Davidem *Ps.* LX. 9. censet Ed. Simsonius, in *Chron. ad an. M.* 3132. ubi, *quis me deducet*, inquit Psaltes, עיר מצור *in urbem munitam?* מי נחני עד אדום *quis me in Idumaeam deducet?* Sed, cur non quamcunque demum urbem munitam, sive Idumaeae, seu Moabitidis, sive Ammonitarum illa fuerit, a Psalte hic *l.* innui crederemus, nulla nos cogit ratio, et si vel de certa quadam urbe cogitaverit David, munitissimam procul dubio Ammonitarum *Rabba* respexit, qua potitus legitur, cuius in Psalmi titulo memoria, Ioab 2 *Sam.* XII. 26., quin istam de Ammonitis reportatam victoriam, in haec verba erumpendi, ansam Davidi suppeditasse, iudicat Hammondus.

Vnde igitur τοῦ בצרה arcessemus etymon? a tali certe vocabulo, cui *rubedinis* adhaeret notio. Ecce diserta *Iesaiae* verba *cap.* LXIII. 1. *quis iste est, qui venit* מאדום *ex Idumaea,* חמוץ בגדים מבצרה *rubris vestimentis ex Bozra?* Certissime ad *rubedinem*, voci *Bozra* ex origine adhaerentem, respexisse prophetam censuerunt, qui locum ita sunt interpretati: *quis ille qui venit*, quasi *ex Idumaea*, *rubicundus vestibus,* quasi *ex Bozra;* urbe videlicet vindemiatrice, ubi quam facillime ex uvarum calcatione rubor vestimentis adspergi poterat. *Commate* itidem *seq. Eccur*, inquit vates, *vestimento tuo rubor adhaeret? Eccur* rubra *vestimenta tua, quasi in torculari calcaveris?* כדורך בגת Gr. Διατί σου ἐρυθρὰ τὰ ἱμάτια, καὶ τὰ ἐνδύματά σου ὡς ἀπὸ πατητοῦ ληνοῦ; Conferri potest, qui haud ita pridem in Iesaiae quaedam *ll.* observationes conscripsit, Hoheiselius, *obs. pag.* 329. Eruditus Iacobus Hasaeus, *regionis* ac *urbis Idumaeae,* vini proventu celebratae, nomen *Bozra*

בצרה, a voce בסר *uvam nondum quidem maturam, sed iam rubescentem,* ὄμφακα dicente, sibilantibus inter se permutatis, demanasse existimat, ubi ex eodem illo Iesaiae loco, rubedinis notionem nomini Bozra inesse, eleganter demonstrat, in *observat. de inquinatis Sardiensium vestimentis* §. XI. *insert. bibl. Brem. class.* III. *fasc.* 2. Verum minus illa se mihi probat originatio, qui genuinum vocis בֹּסֶר significatum in apricum poni posse arbitrer, modo quis, ad eum indagandum, tempestive admodum verbum Arabicum بسر *intempestive, et ante tempus quid fecit,* heic in subsidium vocare voluerit; unde *immatura* quaevis, *fructus ante tempus decerpti,* et in specie, بُسْر *dactyli immaturi,* et ὄμφακες, τοῦ בסר acceperint denominationem. Nihil igitur in genuina vocis בסר origine latitat rubedinis.

Ast *vindemiandi* notio quin ipsi radici בצר tribui debeat, nemo dubitat; licet illam praecipuam istius verbi ac principem esse potestatem neutiquam adfirmaverim. Varii significatus, quique a se invicem longius videntur discedere, hoc modo alter ex altero defluxisse censeri possent, ut prima et antiquissima v. בצר significatio fuerit illa, *demendi, praecidendi, detrahendi,* (Syr. ܒܨܰܪ *diminutus, infirmatus fuit,* ac ܒܨܝܪ *parvus, humilis,* et hinc *Psyrae* nomen, ignobili cuidam insulae, secundum Bochartum imposuissent Phoenices) unde *vindemiandi* notio eandem ob rationem fluxerit, ob quam Varro, *vindemiam, quasi vini demiam,* et *vindemiatorem quod de vite demat,* dicta censuit, *lib.* IV. *de L. L. col.* 7. *et* 17. Quum vero vineae contra praedones sepirentur, quin etiam turribus extructis,

(vid. *Ps.* LXXX. 14. et *Matth.* XXI. 33.) quibus fructus servandi gratia custodes imponerentur, fuerint munitae, de vitibus primum, dein, de quibusvis aliis rebus muniendis, verbum istud apud Hebraeos usurpatum fuisse coniicio. Recte tamen fecerimus, si a vindemiandi significatu, qui verbo בצר adhaesit, *regionem* ac *urbem Idumaeae*, quidni etiam, uti ex *Jerem.* XLVIII. 13. colligi potest, vini feracis *Moabitidis*, nomen בצרה accepisse statuerimus.

Ex iis igitur, quae huc usque dissertavimus, abunde, ni fallor, patet, nunquam *arces* voce בצרה designavisse Hebraeos, quin etiam regiones urbesve illo nomine insignitas, non a *muniendi*, sed a *rubedinis* notione, *Bozrae* traxisse nomen, ut adeo, quominus genuinum Carthaginiensium acropolis nomen τὸ בצרה fuisse credamus, plurima nos impediant; id saltim, quod nemo aequior denegaverit, mihi concedi postulo, longe minus a vero abhorrere, Phoenices arcem a se conditam tali nuncupavisse vocabulo, quod unice *arcem* apud populares denotaverit, quale quum non fuerit Bozra, inquiri debet, num tale apud ipsos in usu fuerit, unde commode illud *Byrsae* efformare potuerint Graeci. Et opportuno sese nobis illico obtulit Hebraicum בירה, quod quantumvis primo intuitu longius ab illo *Byrsae* videatur recedere, significatu tamen prae primis arci Carthaginiensium applicari potuit. Levem fateor, nec nisi novi specie se commendantem primum hariolationem illam autumabam, sed, simulac celeberrimi nominis viro Hermanno Venema, (a cuius docentis ore quod hactenus pependerim, id demum est, quod in maxima felicitatis meae parte reputem,) eandem probari animadverterem, si non certa foret, ad veritatem nihilo-

minus eam prope accedere, facile mihi persuaderi patiebar.

Nec sane est, cur quem a בירה *bira* paulum discedens *Byrsae* moretur scriptura; quum notum sit, et luculenter a Bocharto monstratum, linguas Hebraeam et Phoeniciam, arctissimo cognationis vinculo sociatas, non ita tamen easdem fuisse, ut nunquam a se invicem abire potuerint; quum constanter, in illis vocabulis, ubi ex analogia linguae Hebr. I debuisset legi, a Graecis Υ fuisse positum, reperire liceat, inde probabiliter cogi posset, Phoenices fortasse hanc vocem, בורה, *Byra*, enuntiavisse? Sin vero ad Chaldaicam Syriacamve dialectum propius accessisse credideris Phoeniciam, vocem Hebraicam, בירתא, *Birta*, sive *Byrta*, cum Chaldaeis Syrisve extulisse mecum credideris, quam vocem utique in *Byrsa* deflectere proclive fuit Graecis: cum enim corio Didonem emetitam accipērent solum, cui arx, isto nomine vocata, fuerat imposita, succurrebat ipsis suum βύρσα, *corium* denotans, quod verum arcis nomen arbitrati, Byrsam varie ornatam, memoriae prodiderunt. Plurima certe Phoenicia vocabula *Graeci ad suae linguae typum sic effinxerunt, ut viderentur apud se nata,* inquit alibi Bochartus, ex cuius libris grandem huiuscemodi exemplorum syllogen huc comportare haud foret difficile. Sed unum alterumve modo vocabulum, cui ipsa littera S a Graecis fuerit inserta, in medium proferam. Vocabulum sane in sacris Bacchicis notissimum, Θύσθλα, Bochartus ex voce Phoenicia, apud Syros superstite, ܬܘܣܠܐ, defluxisse censuit. Nisi tamen rectius statui posset a θύω, θύθλον, θύσθλον esse derivanda, quod maluit vir quidam peritissimus. Vrbs Boeotiae solo Hesiodo nobilitata, quum in sterili et infoecundo

solo fuerit posita, עקרה *Akra* a Phoenicibus, sed a Graecis inserto Σ Ἄσκρα nominata fuit. Alibi quoque Bochartus, amnis Cypri nomen Σέστραχος, ab אשתרה dimanasse coniicit. Nominibus quoque Hebraicis C nonnunquam inseruerunt interpretes Alexandrini, 1 *Chron.* IV. v. 7. exempli gratia pro אתנן Ἐσθανὰμ scribentes, quinimo Marci XI. v. 1. vetustissimi codd. habent Βησφαγή, pro בית פגי. et *Matth.* XXI. 1. ita quoque in *glossario* legitur, quem edidit vener. Alberti. Alia nunc praetermitto, id potius agam, ut ex origine et usu, vocem בירה, בירתא, talem, qualis fuit illa Carthagine, *arcem* unice denotare, clare evincam.

C A P V T III.

DE GENVINO VOCIS בירה ETYMO.

Vocis originem ex Ling. Hebr. petere licet. Sunt, qui a בור deducant. Loca a situ ad fontes nomen acceperunt. Opinio cl. de Dieu. Bocharti sententia ab אביר derivantis adseritur. Vocabuli אביר significatus. Arces apud Hebr. talibus insigniuntur vocabulis, quae altitudinis potestatem habent. *A* initiale saepe vocibus additum, vel ablatum. A טור, טירה, mons Taurus, Dyris. Arces montibus imponebantur. Eius rei rationes. Cur mons Armeniae Βᾶρις fuerit dictus.

Agedum itaque in proprios vocabuli בירה natales curatius paulo inquiramus; ubi tamen illi quaeri debeant, forsan quis dubitaverit, quum, Scaligero iudice, Chaldaicum potius sit vocabulum, sive Persicum, quam quidem Hebraicum; quae opinio vel inde probabilis videri posset, quod vox ista non nisi ab illis usurpetur scriptoribus, qui post captivitatem demum Babylonicam libros suos scripto

mandare coeperunt, quales sunt auctores librorum Estherae, Danielis, Nehemiae, ac Chronicorum. Neque tamen illos errare crediderim, qui, si detur commoda, Hebraicam vocabulo huic radicem adsignant. De dialectis Orientalibus iure merito dixeris, quae de linguis Sabina et Romana scribit Varro, *lib.* IV. *de L. L. col.* 14. *nonnulla nomina in utraque lingua habent radices, ut arbores, quae in confinio natae in utroque agro serpunt.* Sed, an non antiquissimo tempore vocabulum istud inter Hebraeos usitatum, postea ex usu ceciderit, ac denuo Estherae et Danielis aetate fuerit renatum, non adeo quidem exploratum fuit.

Reperias, qui vocabulum בירה a ביר *puteum* dicente, derivent, quod scilicet *palatia fontibus apprime fabrefactis ornarentur.* Est tamen, qui dubitet, num quidem ביר *puteum* designet. Immerito. בִּירָה pro *puteo*, Chaldaeis esse usitatissimum monstrat in *Lexic. Talm.* Buxtorf. Arabice etiam البير et البيرة *foveam* ac *puteum* significant, apud Giggeium, *Thes. Ling. Arab. vol.* I. *p.* 187. unde verbo بار *puteum effodiendi* adhaesit significatus. Nec absona plane haec censeri debet originatio, cum dubitari non possit, quin loca saepissime ab amoeno ad fontes puteosve situ nomen traxerint. Locus quidam *Beer* dictus באר *Iud.* IX. 21. memoratur, qui nunc quidem in urbem excrevit, ad amoenissimum fontem sitam, teste Maundrello, apud Relandum, in *Palaest. pag.* 617. Vrbs *Beeroth*, בארות *Ios.* XVIII. 25. Hieronymo, *lib. de nomin. Hebr. p.* 25. *Beroth, putei.* et *p.* 27. *Beram, puteus altitudinis.* Vt iam *Bersebam* באר שבע, Βηρσάν, ac alias, praeteream. Ipsa *Berytus* Phoenices urbs non ignobilis, Βηρυτὸς, iudice Stephano Byzant. ἐκλήθη διὰ τὸ εὔϋδρον, βὴρ γὰρ, inquit, τὸ φρέαρ

παρ' αὐτοῖς. Vid. Vossium *ad Scylacis Periplum pag. m.* 100. Quod ad nominis *Beryti* originem, Stephano adsentitur in *Chronico* Ed. Simsonius, *ad A. M.* 2950. Terram Beryti *amoenam* celebrat Dionys. *perieg.* v. 911.— Βηρυτοῦ τ' αἶαν ἐραννήν.

Propius ad veram accessit originem, quo vel inprimis sibi gratulantur Orientales Musae, Ludov. de Dieu, qui in *Critica Sacra pag.* 199. Syriacum ܒܪܝܬܐ in *glossario Syro-Arab.* non tantum *palatium*, *arcem*, verum etiam *terram incultam*, *sterilem*, ac *serendis frugibus ineptam* exponi monuit, unde arces in locis desertis plerumque semper extrui solitas voce בירה denominatas coniectat. Non lubet heic adscribere, quae facili opere quis inibi repererit. Addo, Syriacum ܒܪܐ *incultum*, ac *sylvestre* denotare, hinc μέλι ἄγριον *Matth.* III. 4. Syrus reddit: ܕܒܫܐ ܕܒܪܐ *mel sylvestre*. Qui quoque non plane in etymologiis pro lubitu effingendis nugantur, in geminato illo בר vocabuli βάρβαρος quaerunt originem, ac si hominem diceret *incultum*, ac *impolite loquentem*. Conf. Theod. Hasaei *analecta*, *ad* elegantem *Relandi de barbaris et Scythis ad Col.* III. v. 11. *dissert.* insertam *Biblioth. Brem. class.* V. *fasc.* 2. Imo favet cl. de Dieu locus 2 *Chron.* XXVII. 4. ubi Iotham, בחרשים *in sylvis* locisve desertis, construxisse narratur בירניות ומגדלים *arces, ac turres;* quasi *arces turritas* dixeris. Graeci: ἐν τοῖς δρυμοῖς καὶ οἰκήσεις καὶ πύργους vertunt: incertus interpres בירניות recte βάρεις reddit.

Verum tamen mihi quidem rem acu tetigisse videtur Bochartus, qui, cum in *Chanaan*, *lib.* II. *cap.* XII. Βηροὺτ (quod apud Phoenices *robur*, ἰσχὺν notare, observat, apud Stephanum, in v.

Βηρυτὸς, Histiaeus) Hebraicum esse בירות pro אבירות ab אביר *validus* monuerat, *ex eodem* אביר, addit, *excidente* א *arx Hebraeis dicitur* בירה. In hac originatione nihil est, quod quis iure desiderare poterit, qui verum vocis אביר ac genuinum consideraverit significatum. Descendit a verbo אבר ac *validum* dicit *robustum*. proprie *illum*; monente alibi *in notis ad V. S.* Stephano le Moine, *qui est lateribus firmis et bene compactis*; quod de *tauro*, qui frequenter אביר in scriptura dicitur, iure adfirmari potest: in genere *robustum* quid designat; hinc *ala*, avium robur, אבר appellatur. Fortasse etiam *arcem*, *monimentum*, *Iesai.* X. 13. אביר dici adfirmari posset, ubi hunc ferme in modum loquens in scenam producitur Assyrius: Propriis viribus illud egi, proprio consilio, *prudentia praeditus populorum limites amovi, eorum pretiosissima diripui:* ואוריד כאביר יושבים, quae forsan reddi possent: *et incolas disieci sicut munimentum*, robur videlicet, quo se ab omni vi hostili tutos fore crediderant. Coniici etiam posset, radici אבר *altitudinis* adhaerere significatum. Homines *superbi* ac *elati animi* אבירי לב appellantur. *Ps.* LXXVI. 6. Symmacho: ὑπερήφανοι τὴν καρδίαν. *Turres* etiam in altum exstructae Chaldaeis אברורין nuncupantur. Licet Bochartus, *Chanaan*, *lib.* II. *cap.* IX. *Abila*, sive *Abyla*, quod montis in Africa nomen ex lingua Punica *montem altum* exponunt veteres, ex אב עילאה deflexum existimet, mihi tamen facilius ex nostro אביר, *Abyra* et lapsu temporis Ἀβύλη nasci potuisse videtur, quum, frequenter admodum litteras ר et ל inter se permutari, dubitare nos non sinant, quae huiusce generis permulta collegit Bochartus, *ib. lib.* I. *cap.* XXXIII. cis finem.

Vocis igitur אביר significatus arci, quam so-

Iam nostro בירה inesse notionem dein probabimus, prae primis convenit: aliae quippe voces, quibus *arces* ac *palatia* denotantur, ab eiusdem plane significatus verbis descendunt. ארמון ex gr., quod quidam a Chaldaico אלם *fortem*, *robustum esse*, deducunt, ut *aedes* dicat *potentes* ac *magnificas*, recte derivatur ab Hebraico רום sive רמם *altum esse ac eminens*. Certa quoque lege היכל, *palatium*, a יכל *potentem esse*, descendit. Nec est, cur quis א vocis אביר et quidem radicale abiectum miretur; postquam illud in linguis Orientalibus solemne esse, a cl. Vriemoetio, quem doctorem meum veneror, *in libello de Schiloh*, *cap.* I. data opera demonstratum fuerit. Idem et in aliis linguis usu obtinuit, praecipue in nominibus propriis, ex. gr. apud Stephanum legas: Ἀπαισὸς πόλις κατὰ τὴν Τρωάδα, καὶ δίχα τοῦ α Παισός. Festus in v. *Stura*, *flumen in agro Laurenti est*, *quod quidam Asturam vocant.* *Astura* memoratur anonymo Ravennati, *Cosmogr. lib.* V. *cap.* 11. Sed et in aliis vocibus saepissime obtinuit, ut *A* nunc additum fuerit, nunc ablatum. Ex multis pauca proferam, in quibus id ipsum observarunt Grammatici. Hes. ἄνηστις, ἀντὶ τοῦ νῆστις, προσκειμένου τοῦ ἀ, ὡς ἀσταφίς. Ita Attici dicebant, pro σταφὶς, monente Thoma Mag. Eodem auctore: Ἀσπαίρω, οἱ Ἀττικοί· οἱ δὲ ἄλλοι σπαίρω. Spica στάχυς dicebatur, et ἄσταχυς. Iactator ἀλαζὼν et λάζων. Cervix σφάραγος, Homero *Iliad.* X. *vers.* 328. ἀσφάραγος. Conf. Hes. Id. Χερωῖς, εἶδος δρυός. Homerus ἀχερωῖς pronunciat, *Il.* N. 389. Latinis *catus* et *acutus* idem dicebant. vid. Varronem *de L. L. lib.* VI. *Id. lib.* V. latinorum *mulgere* ex Gr. ἀμέλγειν deducit. Sed et ἀμολγὸς Aristophani apud Hesych. in *voce p.* 646. dicitur μολγός.

Eiusdem formae est ac significatus cum בירה

vocabulum טירה, Hebraeis vetusto iam tempore tritissimum, nec Phoenicibus incognitum. Vrbs enim Syriae, quam Graeci dicebant Ἀμφίπολιν, Stephano in v. Ἀμφίπολις auctore, *καλεῖται ὑπὸ τῶν Σύρων Τούρμεδα*, monente nonnemine טירה מדה *arx tributi.* Quid si etiam vox טירה lateat in Δοῦρα urbis Mesopotamiae nomine apud eundem Steph.? Arx autem procul dubio טירה, quasi *alta*, a טור, quod Chaldaeis ac Syris *montem* dicit, fuit nuncupata. Ab illo טור celeberrimo Orientis monti Tauri adhaesit nomen, sicuti observat Fullerus, *Miscell. S. lib.* II. *cap.* I. Caeterum, ubi Dionysius in *periegesi vs.* 828. *βαθυκρήμνοιο-οὔρεα Ταύρου alta habentis praecipitia Tauri montes* memorat, quaecunque *μεγάλα* essent ac *βίαια*, veteribus *ταύρους* nuncupata scribit Eustathius: *οἱ δὲ καὶ διὰ τὸ μέγεθος Ταῦρον φασὶν αὐτὸν λέγεσθαι. ταῦροι γὰρ παρὰ τοῖς παλαιοῖς πάντα τὰ μεγάλα καὶ βίαια. Id.* ad *vs.* 66. Atlantem *Dyris* indigenis appellatum adnotaverat. *ὁ Ἄτλας, ὁ κατὰ βαρβάρους Δύρις, ὄρος μέγιστον περὶ τὰ τῆς Λιβύης πρὸς δύσιν ἔσχατα.* Siquidem mons ipse a Poenis *Δύρις* fuerit vocatus, certissime illud ipsum paululum emollitum Phoenicum טור fuerit. Vitruvius *Dyrin*, ex Atlante monte profluentem fluvium, memorat *de archit. vett. lib.* VIII. *cap.* 2. *ex Atlante,* inquiens, *Dyris, qui ortus ex septentrionali regione progreditur per Occidentem, ad lacum Heptabolum, etc.* Sed MS. Biblioth. Franeq. codex legit: *ex monte Athlante Dryis, q. o. e. s. r. p. p. O. ad lacum eptagonum, etc.*

Ad בירה potius revertor, quae vox ex illa, quam ipsi adsignavimus, origine *locum* dicet *validum,* ac *munitum, arcem. Arx* quippe, docente Varrone, *ab arcendo fuit dicta:* quo cum consentit

Horatii commentator Cruquianus, ad illa *carm.* IV. *od.* XIV. *vers.* 11.

— — — — — — arces
Alpibus impositas tremendis
Deiecit acer. — — — — — —

Quas Horatius, *lib.* II. *epist.* I. *vers.* 252. *arces montibus impositas*, Virgil. *montana castella* dixit, *Aen.* V. *vers.* 440.

— — velut celsam oppugnat qui molibus urbem,
Aut montana sedet circum castella sub armis.

Seneca, *Thyeste vers.* 185.

— — — — non sylvae tegant
Hostem, nec altis montium structae iugis
Arces. — — — —

Altas Carthaginis arces respicit Propert. *lib.* II. *eleg.* I. *vers.* 23.

Non ego Titanas canerem, — — — — — —
Regnave prima Remi, aut animos Carthaginis altae.

Loca etenim excelsa, et recentiori aevo, et olim, idonea crediderunt, quibus arces imponerent, sive ad vim hostilem facilius repellendam, seu, ut haberent, quo possent confugere, quum terrae loca depressiora aquis inundarentur. Opportuna sunt, quae ad Homeri *Iliad.* Δ. *vers.* 508. commentatur Scholiasta, *ἰστέον δὲ*, inquiens, *ὅτι οἱ παλαιοὶ οἱ κτίζοντες τὰς πόλεις, ἐν τοῖς ὑψηλοτέροις τόποις ἀκροπόλεις ἐποίουν, διὰ τὸ ἐκεῖσε προσφεύγειν ἀπὸ τῶν κοιλοτέρων τόπων τοὺς ἐνοικοῦντας ἐν τοῖς κατακλυσμοῖς.* Hinc etiam arcessi debet ratio, ob quam arces Orientalibus a verbis, altitudinis significatu pollentibus, fuerint denominatae: apud illos enim, sicuti apud alias gentes, in locis editis ac montibus extruebantur. Ipsam Davidis *arcem* Regiam in monte Zionis fuisse

positam, non raro docent sacri historici. Quinimo ad illam consuetudinem respiciunt, qui, Deum afflictis ac depressis *locum editum* fore, quo confugiant, nomine Dei pollicentur.

Apud alias gentes singulae urbes, saltim nobiliores, suam habebant ἀκρόπολιν, quae, ut eo melius ad civium securitatem libertatemque tuendam, πρὸς ἀσφάλειαν (verbis utor Damascii apud Suidam, in v. ἀκρόπολις) τῶν πολεμίων, ἐν οἷς ἂν ὦσι, καὶ πρὸς τὴν τῆς ἐλευθερίας φυλακὴν, conducerent, in locis eminentioribus, plerumque semper extruebantur. Vt *Capitolini montis arcem*, Athenarum *Cecropiam* aliasque praeteream, Troiae acropolis Pergama adeo quidem altissimo situ fuit inclyta, ut inde eximie *arces omnes Pergama* dicerentur, observante Servio ad Virg. *Aen.* II. *vers.* 356. Ad *Aen.* I. *vers.* 99. *Pergama*, dixerat, *altissima fuerunt, ex quibus omnia alta aedificia Pergama vocantur, sicut Aeschylus dicit.* Suidas, Πέργαμον, inquit, τὴν πόλιν Ἴωνες λέγουσιν, οἱ δὲ, πάντα τὰ ὑψηλά. Scholiastes Homeri, *l. c.* Ὅμηρος μόνην τὴν Ἴλιον (L. Ἰλίου) ἀκρόπολιν Πέργαμον καλεῖ, οἱ δὲ νεώτεροι πάσας τὰς ἀκροπόλεις. Quae sequuntur, paulo ante protuli. Ad nomen *Pergama* adludere nostratium *Berg* coniicit Bochartus, in epist. ad Segraisium, qua, *num Aeneas unquam fuerit in Italia*, disquirit, *pag. m.* 1165. *nov. edit.* Thebanorum ἀκρόπολις, *Cadmea*, Argivorum, *Larissa*, in locis altissimis fuerunt constructae; Lacedaemonii vero, quibus nulla erat ἀκρόπολις, unum ex eminentioribus urbis collibus ἀκρόπολιν nominabant. Hisce adstruendis suffecerit Pausanias in *Laconicis lib.* III. *cap.* XVII. *pag. m.* 250. qui locus Iohannem Meursium non praeteriit, *Miscell. Lacon. lib.* IV. *cap.* X. *p.* 285. Λακεδαιμονίοις δὲ, inquit Pausanias, ἡ ἀκρόπολις

μὲν ἐς ὕψος περιφανὲς ἐξίσχουσα οὐκ ἔστι, καθά δὴ Θηβαίοις τε ἡ Καδμεία, καὶ ἡ Λάρισσα Ἀργείοις, ὄντων δὲ ἐν τῇ πόλει λόφων καὶ ἄλλων, τὸ μάλιστα ἐς μετέωρον ἀνῆκον ὀνομάζουσιν ἀκρόπολιν. Validam Corinthi arcem, *quam Acrocorinthum appellant*, uti praeter alios Mela, *de situ Orb. lib.* II. *cap.* III. §. 105., altissimae ac praeruptae rupi fuisse impositam, indicat numisma, quod ad illum Melae locum exhibet Iacobus Gronovius.

In locis excelsis Diis fecisse, ac templa condidisse veteres, quo facilius scilicet preces exaudiri possent, res est notissima.

Reddi quoque potest ratio, cur regiae domus in altis ac excelsis locis fuerint constructae, *eligendus* enim procul dubio fuit *locus saluberrimus*, *is autem erit excelsus*, uti indicat Vitruvius, *de archit. vett. lib.* I. *cap.* IV.

Villam Tiberii Caesaris Misenensem in monte fuisse constructam, observavit elegans fabularum scriptor, Phaedrus, *lib.* II. *fab.* V. *vers.* 7. *sqq.*:

Caesar Tiberius cum petens Neapolin
In Misenensem villam venisset suam,
Quae summo monte posita Luculli manu,
Prospectat Siculum, et prospicit Tuscum mare.

Ex hisce igitur clare satis patescit, quam apte ab אביר, *validum* ac *eminens* dicente, *arx* Hebraeis denominari potuerit בירה, *βάρις*, de qua postrema voce singulari capite agam, quo, num istud vocabulum ex ב ortum traxerit, disquiram. Vnicum nunc modo Nicolai Damasceni locum proferam, quo mons Armeniae *Baris* dicitur, in quo plures diluvii tempore servatos ferebant, quendam autem arca vectum ad eius verticem appulisse. Conservavit locum Iosephus, *Antiq. Iud. lib.* I. *cap.* IV. "Ἐστιν ὑπὲρ Μινυάδα, inquit auctor, μέγα ὄρος κατὰ

τὴν Ἀρμενίαν, Βᾶσις λεγόμενον, εἰς ὃ πολλοὺς συμφυγόντας ἐπὶ τοῦ κατακλυσμοῦ λόγος ἔχει περισωθῆναι καί τινα ἐπὶ λάρνακος ὀχούμενον ἐπὶ τὴν ἀκρώρειαν ὀκεῖλαι. Licet Bochartus, *Phaleg lib.* I. *cap.* III. *nos latet*, inquiat, *cur Baris vocetur ille mons, in quo substitit arca*, ex foecundo nihilominus ingenii vasta eruditione instructissimi penu varias depromsit coniecturas: coniicit enim, vel nomen istud a Graecis monti fuisse impositum, apud quos βάρις erat navigii genus; vel ab Armeniis, qui sub nomine *Baridos* Deam coluerint; sive vocem ab Hebraea ברית esse deflexam, quia in illo ipso monte cum Noacho, ac posteris ipsius, Deus *foedus* icerat; quibus tamen aliam longe praefert coniecturam, qua vocabulum Βᾶρις ex lingua Arabica *exitum* exponi posse ostendit a v. برز *exivit foras* (imo etiam: *manifestus evasit, postquam latitasset*). Hanc hariolationem ex Iosepho reddit verae simillimam, quippe qui ἀποβατήριον scribit τὸν τόπον τοῦτον (quo nempe ex arca egressus fuerat Noach) Ἀρμένιοι καλοῦσι.

Iosephus Scaliger ad illum ipsum Nic. Damasc. locum, in *notis ad fragmenta vett. operi de E. T. subiuncta*, *pag.* 44. βᾶρις quidem ab Hebraico בירה deflexam arbitratur, hoc vero in loco Armeniae montem, in quo arca substitisse dicebatur, *Barin*, non quod ibi ullum fuerit palatium, sed quia et praegrandes naves et in sublime eductae *Barides* *) dicantur, ab arca Noae denominationem tra-

*) Locus Propertii, quem tangit vir illustris, reperitur *lib.* III. *eleg.* X. *vers.* 44.

Romanamque tubam crepitanti pellere sistro,
Baridos et contis nostra Liburna sequi.

De Aegyptiaca Baride quaedam notabo *cap.* V.

xisse. Rectius equidem Scaligero Fullerus, *Miscell. S. lib.* I. *cap.* IV. montem a Deae *Baridos* templo *Barin* dictum censuit, templum vero a navigio Noae, quod quomodo a nave potuerit accipere nomen, alibi docte declarat. Alii alia coniiciunt. Vid. *not.* ad istum Iosephi *l.*

Vnde ego vocem dimanasse arbitrer, non erit difficile colligere; ex eodem scilicet אביר *firmum* quid, *validum* ac *excelsum* significante, aut alia voce, quae cum illa arctam habuerit adfinitatem; ut ita Βάρις mihi nihil aliud dicat quam montem excelsum, qualem fuisse, in quo arca substitit, in comperto est. Nec quenquam abiectum א heic iterum morari poterit, qui, quae antea monuimus, animadverterit. Quin imo nec illi obstiterim, qui eidem origini Deae *Baridis* (Βάριδος) nomen adscribere in animum induxerit.

CAPVT IV.

DE VSV VOCIS בירה IN SCRIPTVRA, VBI DE אחמתא *Ezr.* VI. 2.

Vox בירה in libro Estherae frequens. Quid sit Susan habbira? Arx ab ipsa urbe seiuncta. בירה alibi in S. arcem dicit. A Syr. voce ܒܝܪܬܐ urbi Perintho nomen. Locus *Ezrae* VI. *vs.* 2. illustr. Per אחמתא urbs Ecbatana intelligenda. Litterae M et B permutantur. Stephanus et Hyginus tentantur. Birtha castellum Mesopot. בירתא. Arx البيرة. בירה. Iudaeis ארמון.

Postquam vocis בירה iam constituerimus etymon, eo delapsi sumus, ut explorandum veniat, sitne illud vocabulum semper, *arcis, palatiive* significatu, apud sacros scriptores obvium. Quum vero fre-

quentissime hanc vocem scriptor libri *Estherae* usurpaverit, primum quidem, quid ipsi dixerit, considerari oportet. Is enim septies, si bene memini, τοῦ שושן הבירה iniicit mentionem, in initio libri, *cap.* I. *vers.* 2. Regiam Assueri sedem fuisse inquiens בשושן הבירה, quae Alex. ἐν Σούσοις τῇ πόλει reddiderunt. Eiusdem *Susan habbira* meminit, *cap.* II. *vers.* 8. *cap.* III. 15. *cap.* VIII. *vers.* 9. *cap.* IX. *vers.* 6, 11, 12. Variis sane ac a se invicem recedentibus interpretationibus haec verba ansam praebuerunt, quas omnes heic adducere, nihil attinet.

Constanter fere ipsam urbem *Susa* illis verbis indicari consuerunt vetusti interpretes Graeci; et sane, si, quae indicavi, loca volutentur, quid tandem שושן illud הבירה fuerit, non nisi haesitanter constitui poterit. Plerorumque eo redit opinio, ipsam civitatem *Susa* hac phrasi indicari, illam autem, sive ob elegantem structuram, seu propter munimenta, בירה, *arcem*, *palatium* nuncupari; quam tamen sententiam neutiquam probaverit, qui *Susan habbira* ab העיר שושן, *urbe Susan*, apertis verbis *cap.* III. *vers. ult.* seiungi perspexerit, ubi edictum בשושן הבירה, in *Susan habbira*, legitur fuisse promulgatum, *dum autem Rex et Haman vino sese ingurgitarent*, העיר שושן נבוכה, *urbs Susa erat turbata*. Confer *cap.* VIII. *vers.* 14, 15. IX. 13, 14, 18. et praeterea *locum* Beniamini Tudelensis, apud Drusium, *animadvers. lib.* I. *cap.* XLII.

Illa omnino a se invicem distingui, ac per *Susan habbira arcem* indicari, opinantur Iudaeorum quoque commentatores. Ecce Aben Ezram, haec ad initium libri Estherae scribentem: שושן הבירה שם ארמון כמו כי לא לאדם הבירה וזה הארמון היה בתוך עילם המדינה כתוב בספר דניאל וכאשר תמצא במגלה הזאת שושן או העיר שושן

הוא שם מדינה קרובה אל עילם ורוב המדינה ישראל כאשר אפרש: Susan habbira *nomen palatii* sive arcis, *sicuti:* (1 *Chron.* XXIX. 1.) quoniam palatium non est hominis. *Posita autem fuit arx ista in urbe Elam, uti in libro Danielis (cap.* VIII. 2.) *scriptum extat, et in hoc ipso etiam volumine reperies, Susan, sive civitas Susan ipsum est adiacentis urbis Elam. nomen, cuius magnam partem inhabitabant Israelitae, sicuti explicabo.* Non quidem verbum de verbo reddidi, sed sensum scriptoris, ni fallor, expressi. Idem ad *cap.* III. *vers.* 15. Iudaeos in העיר שושן *civitate Susan* fuisse afflictos observat, cum in arce (הבירה) tantum habitaverint: משרתי המלך ואין שם יהודי רק מרדכי לבדו *ministri regii, nec ullus Iudaeorum, si solum exceperis Mardochaeum.* Per *Susan* vero *habbira* ibidem domum regiam, ubi edictum promulgatum fuerit, intelligi oportere monuit Raschi: מקום שהיה המלך שם כיתן החק בו כו׳ inquiens,

Paucis nunc significabo, quo modo *Susan habbira* ab urbe Susis separatam fuisse coniiciam. *Ecbatana Mediae* duabus constabant partibus, urbe nimirum ipsa, et amplissima arce, qua de Bocharto in *Phaleg. lib.* III. *cap.* XIV. adductos consule. Vrbs nobilissima *Babylon* in binas quoque partes per interfluentem Euphratem fuit distincta. Herodot. *lib.* I. *cap.* 180. ἔστι δὲ δύο Φάρσεα τῆς πόλιος. (de Babylone loquitur) τὸ γὰρ μέσον αὐτῆς ποταμὸς διείργει, τῷ οὔνομά ἐστι Εὐφρήτης. In altera parte constructa fuit ἀκρόπολις, quam a nonnullis Πτέρα vocatam fuisse, scribit in voce Πτέριον Stephanus. Quum autem urbs *Susa*, sicuti tradunt veteres, duabus constiterit partibus, hasce a se invicem per brachium Choaspis τοῦ παρὰ Σοῦσα ῥέοντος (Herod. *ib. cap.* 188.) disiunctas fuisse ac separatas facillime concipi potest; ita

ut harum altera ἀκρόπολιν, *Susan habbira* dictam, constituerit, urbem ipsam altera. Imo fere *Susan habbira* veterrimo aevo ipsam effecisse urbem, dilatatis dein pomoeriis, veterem illam urbem novae ἀκρόπολιν constitutam crediderim. Fuerit itaque *arx* Susis, quod Athenis Cecropia, quae prius urbem ipsam, deinceps vero amplioris effecerit ἀκρόπολιν; quod Thebis Boeoticis Cadmea, aliis urbibus suae fuerunt acropoles. Si itaque haec statuerimus, ac magnam modo urbis partem constituisse arcem illam, altera tamen, et amplitudine, et incolis, longe fuisse inferiorem, quid שושן הבירה hoc in libro dicat, habuerimus exploratum.

Eandem hanc arcem a *Daniele*, VIII. 2. et *Nehemia*, I. *vs.* 1. indicari, persuasus sum. Hoc in loco Σουσὰν ἀβιρὰ, in illo ἐν Σούσοις τῇ βάρει verterunt Alexandrini. Sed apud Danielem arx sita fuisse dicitur *in provincia Elam*: שושן הבירה, (ita legitur in textu) אשר בעילם המדינה ἥ ἐστιν ἐν χώρᾳ Αἰλάμ. Verum עילם המדינה mihi quidem idem dicit, quod העיר שושן, *urbs Susan*, cuius בירה fuerit ἀκρόπολις. Observavit in *Phaleg. lib.* II. *cap.* II. Bochartus, varias provincias, imo ipsam *Susianam*, עילם *Elam*, latiori sensu sumpto, includi, sed et urbem Susa, in qua maximum Assueri fuerat palatium, *Susan habbira* dictum, *Elam* עילם olim nominatam scribit Beniamin Tudel., cuius verba adducit Drusius, *animadvers. lib.* II. *cap.* LIV. qui et nostrum locum cum vetere interprete: *in Elam civitate* vertendum censet. Conf. ad Danielis *l.* Lucam Brugensem. Et sane civitatem aeque, ac regionem, Hebraicum מדינה denotare poterit. Apud Syros ܡܕܝܢܬܐ pro *civitate* semper usurpatur; ubi in textu N. T. χώρα legitur, Syrus plerumque semper habet ܐܬܪܐ. Sic Arabes quoque urbem

مدينة dicunt, quasi *locum iuri dicundo destinatum*, a دين *iudicium*, quod a دان, praeter alios significatus et illum *iudicandi* habente, descendit; verbum enim مدن *substitit, commoratus est, venit in urbem*, potius a *medinaton*, quam cum viro erudito hoc ex illo defluxisse statuerim.

Sed ne ab arce longius discedamus, quaedam dantur loca, in quibus בירה simpliciter positum, *arcis, palatiive* notione certissime occurrit. 1 *Chron.* XXIX. 1. Templum a Salomone extruendum hac voce insignitur a Davide, grande opus esse, inquiente, כי לא לאדם הבירה כי ליהוה אלהים, *quoniam palatium mortali non exstruitur, sed Iehovae Deo.* vid. etiam *vers.* 18. *eiusdem capitis.* Arcem quandam, sive turrim, ad templi munimentum constructam indicavit *Nehemias, cap.* II. *vers.* 8. ubi ligna sibi subministrari cupit, quibus reficere possit את שערי הבירה אשר לבית *portas arcis ad templum positae.* Ab urbibus munitis, II. *Chron.* XVII. 12. distinguuntur בירניות *aedificavit Iosaphat in Iuda,* בירניות וערי מסכנות, *arces atque urbes munitas, οἰκήσεις καὶ πόλεις ὀχυράς,* quod vocabulum ab inusitato בירנית, simplicioris בירה procul dubio propagine, formatum videtur. Ab illo autem *Biranioth*, sive potius a Syr. ܒܝܪܢܬܐ nomen urbi Πραινέτῳ, a Phoenicibus conditae, impositum hariolatur Bochart. *Chanaan, lib.* I. *cap.* X. Quum autem, Phoenices in Thraciam usque perrexisse, sequenti adfirmet capite, non minore utique veri cum specie vocem illam *birantho* urbi ad Propontidem sitae, *Perintho*, indidisse nomen, adseri posset.

Vnicus locus adhuc restat producendus, in quo vocabulum בירה, Chaldaeorum more בירתא

scriptum, legitur, *Ezrae* nimirum VI. *vers.* 2: והשתכח באחמתא בבירתא די במדי מדינתא מגלה חדה וכו׳ quem locum non incommode reddi posse arbitrer: *repertum vero fuit volumen quoddam in arce Ecbatanorum, regionis Mediae.* Non nescio, plerosque existimare, per אחמתא *arcam, cistam* heic loci indicari. Ex Iudaeis, ut unum tantum nominem, Aben Ezra: כלי יגנזו בו כתבי הזכרונות *cistam, qua libri memoriarum reponebantur*, vocabulum interpretatur. Ita et alii et Bochartus, *Phaleg. lib.* III. *cap.* XIV. Novi tamen etiam, non defuisse, sive inter veteres, seu recentiores, qui isto vocabulo nomen proprium urbis Mediae repraesentari censuerint. Ex hisce Castalio, Belgae nostri; ex antiquioribus Alex. Καὶ εὑρέθη ἐν πόλει ἐν τῇ βάρει κεφαλὶς μία· sed alius codex legit, κ. ε. ἐν Ἀμαθὰ ἐν πόλει. Interpres Arabs: *in Atbana urbe* reddidit: في اتانا المدينة. Sed clarissime Syrus: ܒܐܚܡܬܢ ܡܕܝܢܬܐ ܕܒ ܡܕܝ *in Acmotone urbe Mediae.* Fortasse genuinum, atque Orientale metropolis Mediae nomen, in *Acmat*, sive *Acmoton*, fuerit repraesentatum, ex quo, qui huius urbis meminerunt Graeci, Ἐκβάτανα effinxerint, M tantum in B demutata. Harum sane litterarum adeo frequens fuit permutatio, ut nullarum acciderit frequentior. En, quae eam adserat, exemplorum segetem. In nominibus propriis Graeci, ubi M in textu legebatur, B haud raro expresserunt. 1 *Chron.* I. 10. נמרוד, Νεβρώδ. (*Nebroth* Prudentio, *hamart. vers.* 143.) *Ib. vers.* 47. שמלה, Σεβλά. *vers.* 53. מבצר, Βαβσάρ. 1 *Chron. cap.* XI. *vers.* 33. עזמות, Ἀζβών. *cap.* XXIV. 8. חרם, Χαρίβ. Vbi in codice Hebr. B scriptum, illi nonnunquam M posuerunt. *Ios.* XIX. 2. שבע, Σα-

μαά. 1 *Chron.* VII. *vers.* 2, יבשם, Ἰεμασάν. *Ios.* XIX. *vers.* 42. שעלבין, Σαλαμίν. 1 *Chron.* nonum caput plura suppeditat huiuscemodi exempla. *vs.* 8. יבניה, Ἰεμναΐ, et Ἰεμναά. *vs.* 10. יהויריב, Ἰωαρίμ. *vs.* 17. עקוב, Ἀκούμ. Sed hisce missis, *urbs*, *vicus*, ac *insula* Aegypti Χέμμις dicitur, et Χέμβις. Ammonitarum *Rabbath*, Ἀραμάθα aliis dicitur. *Beerscheba*, Ptolemaeo Βερζάμμα. Vrbs *Bethnimra*, Βηθναβρίς. Vrbs Gaulonitidis, Iosepho Γάμαλα dicitur, ac Γάβαλα. De quibus suis locis Relandum confer *Palaestinae tom.* II. Earundem litterarum permutationem agnoscit etiam Stephanus Byzantinus in v. Ἀβαντὶς, ubi, τὸ Ἀβαντία, inquit, θηλυκὸν ὕπερ κατὰ βαρβαρικὴν τροπὴν τοῦ Β εἰς Μ Ἀμαντία ἐκλήθη παρὰ Ἀντιγόνῳ, ἐν Μακεδονικῇ περιηγήσει, κ. λ. Hesychius: Ἀμφίσβαινα, εἶδος ὄφεως, — λέγεται δὲ καὶ διὰ τοῦ μ ἀμφίσμαινα. Si plura desideres, plura dabunt Bochartus, *Phaleg.* IV. *cap.* IV. *Chanaan lib.* I. *cap.* XIV., et Magnus Schultensius, *indice Geograph. ad Saladinum*, voce *Manbesium*.

Nihil itaque vetat, quominus verum ac antiquum urbis nomen, sive, si malueris, ab אגביתן *Egbitan* depravatum, in *Acmat*, sive *Acmoton*, sisti censeamus, ac metropolim Mediae apud Ezram indicari. Facili enim opere, quae ex praecedenti commate subnasci posset difficultas, removeri poterit, modo libellum frustra Babylone quaesitum, repertum tandem fuisse statuamus Ecbatanis. Vti enim notum est, aeque ac Babylon, urbs Ecbatana Persarum regibus (et quidem aestiva agentibus. vide Brissonium, *de Regno Pers. lib.* I. *pag. m.* 43. *seqq.*) fuit sedes: erant autem Ecbatana in prima Mediae parte sita. Sicuti post veteres tradit Eustathius ad Dionys. *perieges. vers.* 1019. Ἀτροπατανοὶ, [illegible] ὤν. Ἀτροπατία ἡ χώρα δευτέρα μερὶς

τῆς Μηδείας λεγομένη· πρώτη δὲ Μηδικὴ μερὶς, καθ' ἣν τὰ Ἐκβάτανα. Hanc autem πρώτην μερίδα *Mediae magnam* fuisse vocatam docet alibi Strabo: καλοῦσι δὲ τὴν μὲν μεγάλην, ἧς μητρόπολις τὰ Ἐκβάτανα, quae Strabonis verba ex fusiore loco a Stephani commentatore ad v. Ἀτροπατία adducto decerpsi. Si quis autem, quae, in v. Ἀτροπατία, ex mente Strabonis scripserat Stephanus, consideret, nae is facile perspiciet, corruptam esse scripturam Stephani, ubi editum: Ἐκβάτανα ἡ μεγάλη μερὶς τῆς Μηδίας. Ἔστι καὶ Συρίας πόλις. Olim ita locum hunc lectum fuisse suspicor: Ἐκβάτανα πόλις τῆς μεγάλης μερίδος τῆς Μηδίας. Vocem sane πόλις saepissime e Stephano erasam, liquido constat. Fortasse tamen rectius pro μερὶς reponeretur πόλις, aut cum Holstenio μητρόπολις, ut ex hac voce decurtata natus fuerit error. Receptae lectioni faveret Hygini locus, nisi et is corruptus foret, *fab.* CCLXXV. ubi de oppidorum conditoribus agens, inquit, *Medus Aegei et Medeae filius, in Ecbatanis Medam.* Forsan tamen rectius legeretur, *Ecbatana in Medis.*

Caeterum animadverti meretur, Chaldaicum vocabulum *Birta*, quod semel tantum in isto Ezrae loco occurrit in scriptura, ab Ammiano Marcell. fuisse conservatum. Eius haec sunt verba *lib.* XX. *cap.* VII. *p.* 193. *ed.* Gronov. *Virtam adoriri disposuit, munimentum valde vetustum, ut aedificatum credatur a Macedone Alexandro, in extremo quidem Mesopotamiae situm, sed muris velut sinuosis circumdatum et cornutis, instructioneque varia inaccessum.* Munimentum istud Ptolemaeo Βίρθαν dici monuit ad *h. l.* Valesius. Nullo autem modo dubitari potest, quin Ptolemaei *Birta*, ac Ammiani Marcell. *Virta* ipsissimum sint Chaldaeorum *Birta*, בירתא. Ratio, ob quam summus Bochartus id ip-

sum non fuerit suspicatus, facili opere ex ipsius *Phaleg. lib.* IV. *cap.* XXII. poterit deduci.

Arces *Birae* البيرة nomine nuncupatae apud scriptores Arabas memorantur. Istius nominis *munimentum ad Euphratem positum* depingit Abulfeda, cui البيرة *bira* dicitur fuisse *arx munita*, قلعة حصينة, *indice Geograph.* quem in *vitam Salad.* contexuit cl. A. Schultensius, quem virum huius saeculi decus homines periti venerantur. Arcis *Birae* quoque meminit Abulfar. *histor. Dynast. Dynastia* IX. *pag.* 387. ubi Sengius oppugnasse dicitur قلعة البيرة *castellum Bira*, quod paulo post الحصون *munitissimum* fuisse adseritur.

Caeterum constanti usu obtinuit, ut vocabulum בירה, sive בירתא, *arcis* significatu tantum in scriptura occurreret Iudaei recte ארמון interpretantur. Vid. Aben Ezram, ad *citt. ll. Estherae* et *Ezrae* VI. et D. de Pomis, *tzemach. David. in* v. בירתא. Kimchius, *sepher schoraschim*, v. ביר adducto loco, 1 *Chron.* XXIX. 1. vocis *interpretationem* esse *arcem, palatium*, subiungit, פירושו ארמון. Nihilominus qui Iudaeorum scripta volutarunt, ancipiti nonnunquam sensu vocabulum בירה ab ipsis usurpari monuerunt. Plura ad *h. v.* ex Talmudicis loca contulit Nathan, *in Baal Aruch*, quorum primum ex *cod. misn. Pesachim cap.* VII. *m.* 8. desumsit, ubi arcem, recentiori aevo turris Antoniae nomine notissimam, intelligendam censuit celeberr. Relandus. Conf. clarissimi viri L. E. Vriemoetii *antiquitatum Israelit. theses controv. part.* I. *p.* 60. *sq.*

CAPVT V.

DE VOCABVLO BAPIC.

Vocabulum creditur esse originis Orient. Phavor. a βάρος deducit, in Graecis Biblior. versionibus frequens. Quid dicat Grammaticis? Βάρις genus navis. Hesych. tentatur. Βάρις navis Aegyptiaca, apud Herod. Persica, Aeschylo. Cymba Charontis ita dicta. Fullerus naves Baridas vocatas coniicit a בירה. Naves a figura, quam cum aliis rebus habebant communem, nominatae. Phavor. et Hesych. tentantur. Navis κῆτος dicta. Hyginus emendatur. Anne Βάρις sit a βάρος? Voces quaedam Phoeniciae, quae ex בירה videntur ortae.

Quin vocabulum *βάρις*, quo non raro usi fuerunt et alii, et veteres antiqui foederis interpretes, sit ipsum Orientale בירה, graeca tantum veste indutum, si viris eruditis sit auscultandum, dubitari non potest. Operam igitur ludunt Grammatici, qui vocabuli apud se non nati Graecam arcessitum eunt originem. Phavorinus certe vocem illam a *βάρος* deflexam existimat, quia *turres*, *porticus*, et quae plura hac voce designantur, non nisi magno molimine construi possunt ac fabricari: *βάρις*, inquiens, *παρὰ τὸ βάρος, τροπῇ τοῦ βραχέος, σημαίνει δὲ τὸν πύργον, καὶ τὴν κλίνην, καὶ στοὰν, καὶ πόλιν, παρὰ τὸ μετὰ βίας πολλῆς ἀρηρέναι.* Sed, qui ad *Amos.* I. *vers.* 12. (ubi vocem ארמנות *βάρεις* reddiderant Aquila et Symmachus) attexuit scholion, vocabulum Syriacum esse credidit, observat enim *domus amplas* Syriace *bareis* fuisse dictas: *βάρεις ἐπιχωρίως λέγονται παρὰ Σύροις αἱ μεγάλαι οἰκίαι*, quod scholion vir egregius B. Montfauconius, *in notis ad Hexapl. Orig. cit. l. Amosi* appinxit.

Semper utique Alexandrini interpretes, *domus*

amplae, *arcis*, *palatii*ve significatu, hanc vocem usurpaverunt; frequenter illa Hebraicam בירה reddentes, uti *Dan.* VIII. 2. et alibi, (semel dictionem הבורה ἀβιρὰ, pronuntiavit Nehemiae interpres, *cap.* I. *vs.* 1.) frequenter, quae idem plane significant, voces alias, ארמון videlicet *Ps.* XLVIII. 3, 13. et היכל *Ps.* XLV 9. ubi מן היכלי שן *a palatiis eburneis*, vertunt: ἀπὸ βάρεων ἐλεφαντίνων: ad quem *l.* omnino consulendus est Ioh. Drusius, *animadvers. lib.* II. *cap.* XLIV. Huc refer illa, quae apud Suidam legas et Phavorinum: Βάρεις ἐλεφάντιναι, αἱ πανταχοῦ τῆς γῆς ἐκκλησίαι, μιᾷ δὲ τῇ πίστει, ἐν αἷς γεραίρεται ὁ Θεός. quae verba, ex aliquo in illum Psaltis locum commentatore, descripsisse Suidam iudicat Lud. Kusterus. Basilium evolvo, qui in hunc *Ps. l. pag.* 190. βάρεις, inquit, οἱ μέγιστοι τῶν οἴκων, λέγονται. Aquila quoque, Symmachus, Theodotion, ac reliqui, quorum fragmenta collegit laud. Montfaucon, in exprimenda voce ארמון eodem usi fuerunt vocabulo, sicuti *ex lexicis*, quae vir eruditus *Origenis Hexaplis* subtexuit, disci potest. Aquila, *Prov.* XVIII. 19. pro כבריח ארמון ὡς μοχλὸς βάρεος habet. Vbi βάρεις eandem vocem vertit Aquila, *Amos.* II. 5. οἰκήσεις scripsit Theodotion; qui tamen *Iesai.* XXIII. 15. עררו ארמנותיה ἐξήγειραν βάρεις αὐτῆς reddiderat. Pro ipso בירניות, quod Alexandr. οἰκήσεις interpretati fuerant, incertus quidam βάρεις posuit.

Hesychius ac Suidas vocem exposuerunt *murum*, *porticum*, *turrim*, *palatium*, *munimentum*, ac *urbem*. Hesychius: Βάρις — τεῖχος, ἢ στοὰ, ἢ πύργος. Praeter illa Suidas habet: Βάρεις — αὐλαί. σφαῖραι. (Φρουραὶ legendum censuit vir peritissimus Georg. D'Arnaud.) Quo murorum firmet significatum, locum ex Iuliano, (illum enim hic

respici docuit me cl. D'Arnaud) adducit: Ὁ δὲ ἐπεμέλετο βαρῶν, τουτέστι τειχῶν, *ille vero βαρῶν murorum gerebat curam*, paulo post: βάρις δὲ, ait, στοὰ καὶ πόλις. Eadem reperio apud Phavorinum, nisi quod βάρεις ipsi quoque sint: μεγάλαι καὶ ὑπόβαθροι πέτραι, *grandes lapides, sive fulcra.* Sed si ex Hebraico vocabulo τὸ βάρις fuerit formatum, principem *arcis* significatum voci adscribere debuissent Lexicographi, a quo reliquae notiones commode fluxisse censeri possent.

Genuinum vocis ac primarium significatum pressius sequuntur Ephorus, ac Posidippus, quorum hic vocem *domum* exponit, ille vero *plures domus in unum collectas*, apud Stephanum Byzant.: Βάρις, πόλις. λέγεται βάρις ἡ οἰκία, ὡς Ποσίδιππος· καὶ ἡ συνοικία, ὡς Ἔφορος. Ambo profecto bene! *Baris* etenim primum quidem unica οἰκία dicebatur, sed, quum crescens hominum multitudo, pluribus circa eam extructis tuguriis, vicum efficeret, ipsi dein illi collectioni *Baris* indita fuit appellatio, quin imo συνοικία moenibus lapsu temporis inclusa, veterem nihilominus conservavit denominationem. Vrbem Italiae memorant Geographi Οὐερήτον, antiquitus Βάριν dictam. *Barium* Festo memoratur, ubi, *Barium*, inquit, *urbem Italiae appellaverunt conditores eius expulsi ex insula Bara, quae non longe est a Brundusio.* Eandem procul dubio innuit Horatius, ubi iter suum Roma Brundusium describit, *sermon. lib.* I. *sat.* V. *vers.* 97.

Postera tempestas melior: via peior, adusque
Bari moenia piscosi. - - - - - - - -

Ad quem locum Cruquianus interpres scribit: *Barium civitas est Apuliae, alia autem est, quae Grammatico Theodisto dicta est Baris.*

Verum enimvero, praeter illa quae memora-

vimus, vocabulum Βάρις *navim* quoque apud Graecos designavit: primariam quinimo hanc vocis fuisse significationem ex iis, quos memoravi, Grammaticis, iure merito quis collegerit. Non solum Suidas: βάρεις, πλοῖα, et Phavorinus: βάρεις τὰ πλοῖα, καὶ βάρεις τὰς ναῦς λέγουσιν οἱ Ἴωνες. sed et plus una vice hunc significatum voci attribuit Hesychius, et *in voce*, et in Ἄβαρις *mediterraneum*, qui navibus plerumque caret, ἄβαριν dictum notat: Ἄβαρις ὁ ἠπειρώτης, *) καὶ μὴ ἔχων βάριν. Idem: Βουβάρας, **) μεγαλοναύτης, παρὰ τὴν βάριν. et Βούβαρις (ita scribit Salm. pro Βουβάρτις) νεὼς ὄνομα παρὰ Φιλίστῳ. Alibi rursus: βαρπύργος, (sic depravate legitur,) πορμεῖο περὶ ἀμφόδων, ad quem *l.* in ora alterius Bibliothecae Franeq. Codicis adscripsit Ioh. Fungerus: »Vera lectio est: βάρις, »πύργος, πορθμεῖον π. α. in Psalmis saepe occur»rit haec vox, ut *Ps.* 122. (*v.* 7.) πυργοβαρεῖς. »Origine Hebraica dictio, nam בירה palatium, »Basilica, *Soping.*« Hoc modo locum constituit Palmerius: β. π. πορθμεῖον ὑπὲρ ἀμφοδόντων, quae vertit: *baris, turris, ponto,* (seu *navis transmissoria*) *ad iumenta transfretanda.* Si quis audaciorem coniecturam probaverit, en, quae Glossographum scripsisse arbitrer: Βάρις, πύργος, πορθμεῖον παρ' Αἰγυπτίοις. Apud Aegyptios certe πορθμεῖα talia βάριες fuisse nuncupata, inter eruditos constat. Omnium facile Princeps Ios. Scaliger, *in notis ad fragm. pag.* 44. *de Baride*, inquit, *Aegyptia navi multi meminerunt, Herodotus, Dio-*

*) Arcadas scribit Homeri Schol. διὰ τὸ ἐν μεσογείῳ τῆς Πελοποννήσου αὐτοὺς οἰκοῦντας, ἀπείρους εἶναι τῶν κατὰ θάλασσαν ἔργων *ad Iliados* B. 612. — οὔ σφι θαλάσσια ἔργα μεμήλει.

**) Classis navalis Persarum praefectus Βάρης nomine memoratur Herodoto, *lib.* IV. *cap.* CCIII. Βάρης — ὁ τοῦ ναυτικοῦ στρατοῦ στρατηγός.

dorus, *alii*. Apud Herodotum, tribus in locis, navigiorum illo nomine insignitorum memoriam reperi. *Lib.* II. *cap.* XLI. navim, quae ex insula Prosopitide missa, ad singulas civitates appellebat, ut in eam sepeliendi boves immitterentur, βάριν nuncupat. Βάρις eidem dicitur, quae in urbem Bubastin Dianae sacra facturos deferebat, *Ibid. cap.* LX. ubi magnam utriusque sexus, ἐν ἑκάστῃ βάρι, scribit fuisse hominum multitudinem, quorum plures, ἐγχρίμψαντες τὴν βάριν τῇ γῇ, palantes per civitates discurrebant, etc. *Capite* denique eiusdem *lib.* II. XCVI, onerariae, quam accuratissime depingit, Aegyptiorum navi, nomen βάρις ab indigenis impositum fuisse adnotat, τοῦτο γὰρ δὴ, inquiens, οὔνομά ἐστι τοῖσι πλοίοισι τούτοισι, numero autem haec navigia apud ipsos fuisse longe plurima indicat, quum addit: ἔστι δέ σφι τὰ πλοῖα ταῦτα πλήθεϊ πολλά. Conf. Iungermann. *ad Poll. lib.* I. *segm.* 82., ubi βάρεις, πορθμεῖον.

Sed praeterea Aeschylus quoque Persicas naves βαρίδων vocabulo appellat, *in Persis vers.* 552.

Ξέρξης δὲ πάντ' ἐπέσπε δυσφρόνως
Βαρίδεσσι ποντίαις.
Xerxes vero omnia imprudens secum sumsit
Navigiis marinis.

Ad quem locum, antiquus Tragici commentator naves illas ab urbe quadam Persidos, *Baris* dicta, denominationem suam traxisse opinatur. Ὁ Ξέρξης δὲ, ait, πάντα τὰ κακὰ δηλονότι ἐπέσπε καὶ ἐπεσπάσατο ταῖς βαρίδεσσι, ναυσὶ, ταῖς ἀπὸ τῆς Βάρεως οὔσαις [ἥτις ἐστὶ πόλις Περσίδος, ἐξ ἧς καὶ αἱ νῆες βάριδες] πάσας γὰρ κατέθραυσεν ἐκεῖσε.

Cymba, qua ad inferos deferebantur umbrae defunctorum, βᾶρις dicitur, in epigrammate, quo loquens introducitur Diogenes Cynicus. Partem eius profert Suidas v. Βᾶρις.

Δέξαι μ', εἰ καί σοι μέγα βρίθεται ὀκρυόεσσα
Βᾶρις ἀποφθιμένων, τὸν κύνα Διογένην.

Reddo:

Quamvis cymba gemat tristi sub pondere pressa,
Me tamen hac Cynicum suscipe Diogenem.

Caetera vocabulum hoc significatu obvium Aegypto originem suam debere, ex Oriente saltem repetitum, forsan affirmari posset: sitne in Orientalibus linguis superstes radix, a qua non incommode potuerit proserpere, disquirere licet. Vir quidam eruditus, vocabuli significatus, quo cymbam denotat, in Hebr. בור, originem se reperisse existimat. Licet enim *foveae*, *puteive* notio vocis בור sit praecipua, altera tamen *sepulcri* eidem etiam adhaesit; procul omni dubio, quod et vetustissimi aevi homines in speluncis locisve subterraneis sepeliebantur, uti, ne alia iam adducam, vel ex sola Patriarcharum, quam tradit Moses, historia liquet quam clarissime. Recte igitur *puteus* et *sepulcrum* eadem voce nuncupari potuerunt, cum *vetustissimum genus sepulturae in puteis fuerit*, sicuti tradit etiam Festus in voce *Puticuli*. Ita quoque Varro, *lib.* IV. *de L. L. col. m.* 8. *extra oppida a puteeis Puticulae: quod ibi in puteeis obruebantur homines.*

Nicolaus vero Fullerus, peritissimus Philologus, naves, βάρεις, ab Hebraico בירה, *domum altam ac turritam* dicente, coniicit denominatas, propter similitudinem videlicet, quae veterum navigiis cum altis intercedebat aedificiis, quam similitudinem paucis, sed, ut solet, erudite monstrat, *Miscellan. S. lib.* II. *cap.* I. sub finem. Nec est, cur quis temere hanc opinionem, ut minus verosimilem, explodat, quum simili exemplo firmari possit ac stabiliri. Saepe scilicet apud veteres a figura, quam

cum aliis rebus habebant communem, naves fuerunt nuncupatae. *Pristis* (verba sunt Nonii Marcelli, *de propriet. sermon. cap.* XIII. §. 15.) *navigii genus a forma pristium marinarum, quae longi corporis sunt, sed angusti. Claudius rerum Romanarum, lib.* XII. *Quinque pristes, navigium ea forma a marina bellua dictum est.* Virgilius *libro quinto* (*vers.* 126.)

Velocem Mnestheus agit acri remige Pristim.

Et (*Aen.* X. *vs.* 211.)

Frons hominem praefert, in Pristim desinat alvus.

Non audiendus est Servius, dum ad Virg. *Aen.* III. *vs.* 427. de navi, ***Pristis***, de bellua vero ***Pistrix*** dici observat. In Hesychio scribitur Κυνπρῖστις ζῶόν τι, sed legi debet: Κυνοπρ. Πρῆστις dicitur Phavorino *belluae marinae species*, εἶδος κήτους θαλασσίου, ἡ λεγομένη μάλθη. In voce κῆτος legitur μάλλη. Credideram legendum βάλη pro φάλη. Hesych. φάλαι, φάλαιναι. *Balaenam enim belluam marinam ipsam dicunt esse pristim, ipsam esse cetum*, inquit Festus, in voce *balaena.*

Navim, ob similitudinem cum bellua marina, κῆτος dictam diserte innuit Conon Grammaticus, *narrat.* XL. *inter historiae Poet. scriptores a Thoma Gale ed. pag.* 284. ubi ab aliis diversus, fabulam de Andromeda enarrat, eam scilicet a Phoenice quodam, quasi inscio patre, inquit, navi fuisse avectam, cui, sive ob similitudinem cum bellua, seu forte fortuna, κῆτος fuerit nomen: Φοίνικος δ' ἁρπάσαντος νηΐ, (κῆτος δ' αὐτῇ ἐκαλεῖτο, ἢ μίμησιν ἔχουσα τοῦ ζώου, ἢ καὶ κατὰ τύχην) ἡ Ἀνδρομέδα, ὡς κατὰ ἄγνοιαν τοῦ πατρὸς ἁρπαζομένη, ἀνωλοφύρατό τε καὶ μετ' οἰμωγῆς τοὺς βοηθήσοντας ἀνεκαλεῖτο. Cetus, qui, ab iracundo Neptuno emissus, Troianorum terras devastabat, Palae-

phato quidem περὶ ἀπίστων, *cap.* XXXVIII. iudice, fuit ἀνὴρ βασιλεὺς μέγας, καὶ πολλὴν ἔχων δύναμιν, καὶ ναυτικὸν πολὺ — ᾧ ὄνομα Κήτων. Recte quidem hactenus, si navim, a quodam Rege contra Troianos missam, ceti nomine notam, ista fabula involutam censeamus, nisi cum I. G. Vossio, *de Theol. gentil. lib.* I. *cap.* XXIII. *p. m.* 172. navim ceti ἐπίσημον praefereutem fuisse coniectare malueris. Sed Hyginum, ubi fabulam de ceto tangit, adducam, ut locum eius levissimo opere pristino restituam nitori. *Neptunus* (inquit *fab.* LXXXIX.) *cetum misit qui Troiam vexaret. Ob quam causam Rex ad Apollinem misit, consultum. Apollo iratus ita respondit, si Troianorum virgines* Ceto *religatae fuissent, finem pestilentiae futuram.* Quum similem locutionem in Hygino non reperirem, mendum in voce *ceto* latere suspicabar, nec dubitabam fere, quin Hyginus scripsisset: *si Troianorum virgines cauti religatae fuissent,* quia statim subiungebat Mythographus: *cum complures consumptae essent, et Hesione* (malim: *Hesiones*) *sors exisset, et petris religata esset.* Sed et succurrebat, Ovidium, ubi de Andromeda caneret, eadem usum loquendi formula, *Metam.* IV. 671.

Quam simul ad duras religatam brachia cautes
Vidit Abantiades. - - - - - - - -

Recte autem promontorium circa Troiam eximie cautem dicere potuit Hyginus. Cautem illam *Agamiam* dictam tradit Hellanicus apud Steph. in Ἀγάμεια. Hesychius: Ἀγαμίας, ἔνθα αἱ παρθένοι ἐξετίθεντο τῷ κήτει, τινὲς, οἱ δὲ, πολίχνην. Apud Apollodor. *Biblioth. lib.* II. *pag.* 113. Hesione alligata fuisse dicitur ταῖς πλησίον τῆς θαλάσσης πέτραις.

Potuit igitur, ut ad propositum tandem red-

eam, navis a figura sibi cum domibus altis cognata, *Baridos* facillime traxisse nomen.

Verum, dum accuratius omnes, quos Graeca vox *βάρις* induit, significatus revolvo, de etymologiarum fallaci studio aliquantisper edoctus, eo pene delabor, ut nulla plane Hebraici בירה in hocce vocabulo animadvertam vestigia, *idque* cum Phavorino a Graeca voce *βάρος*, *pondus, grandem molem* significante, derivandum statuam. Convenit in primis significatus, patitur sermonis Graeci analogia, ut a *βάρος* descendat *βάρις*. Dantur tamen alia, quae huic originationi obstent. Potius igitur nil quidquam statuo, quam quid temere.

Denturne alia vocabula, in quibus certiora Hebraici בירה appareant vestigia, paucis, priusquam finem huic dissertationi imponam, explorandum est. Μαριάβα, μητρόπολις Σαβαίων Stephano Byzant. audit, Plinius *Histor. Natur. lib.* VI. *cap.* XXVIII. *Mariaba* inquit *Baramalacum*, quam postremam vocem בירה מלבא *palatium regium* vertendam, non absona viri docti ad illum Plinii *l.* est coniectura. Quid si illud ipsum בירה in urbium quarundam Mesopotamiae nominibus delitesceret? Aliquas certe *Bara* vocatas recenset anonymus Ravennas, *cosmogr. lib.* II. *cap.* XIII. Bina adhuc nomina proferam, quae lubens Phoenicia crediderim, ac voci nostrae adfini originem debere. Altera est, Μαριάμμια, quae eodem Stephano auctore πόλις fuerit Φοινίκων, Ptolemaeo, Μαριάμη dicta, indigenis fortasse בירה אם *Biriam*, *Buriam*, *arx vetusta* ac *princeps* fuit vocata, unde dein Graeci Μαριάμη finxerint. Eo sane significatu vox أم apud Arabas gaudet, quin eodem Hebr. אם II. *Sam.* XX. 19. venit, ubi urbs *Abel* vocatur אם בישראל *mater in Israele*, *vetusta* scilicet *nec incelebris.*

Sic etiam μήτηρ occurrit pro *metropoli, in epigrammate* Thessalonicensis Antipatri, quod, cum eiusdem auctoris aliis opusculis, ab elegantissimo Boivinio iuniore collectis, exstat in *Memoires de litterature de l'Acad. Royal. des inscr. tom.* II. *part.* I. *pag.* 598.

Σοί με, Θρηϊκίης σκυληφόρε, Θεσσαλονίκη
Μήτηρ ἡ πάσης πέμψε Μακηδονίης.

Ad te, Thraciae victor, me mittit totius Macedoniae metropolis Thessalonica.

Sed et arx Orientis munita *Barbalissus* dicitur Stephano: Βαρβαλισσὸς, φρούριον τῆς ἕω τετειχισμένον, Ptolemaeo: Βαρβαρισσός. Gentile quoque, ex nummo, sed depravatius adfertur BIPPANATHNΩN, pro quo Βαρβαλισσήνων sculptum fuisse, qui haec adducit, credidit L. Holstenius. Forsan ex hisce tribus verum nomen cogi posset: Βαραλισσὸς sive potius: Βιῤῥαρισσός. Si prior vera sit lectio, in Oriente enuntiatum fere fuit *bira lissa* בירה לזה sive *Buralissa*, verusque significatus ab inscio Stephano fuit traditus, dum φρούριον τετειχισμένον, *arcem munitam*, eam vocavit. Siquidem verbum לזז olim usitatum, hodiedum apud Arabas in لز superstes, *compingendi, colligandi,* ac *firmandi* polluit significatu, unde praeter alia dimanat vocabulum ملز, quo quidquid *firmum* est ac *validum* designant. Sin vero alteram lectionem praetuleris, Βιῤῥαρισσὸς potestate sua idem prorsus dicet, sed scriptum fere fuit בירה רצה, *burarissa, arx munita.* رصّ sane *firmandi* gerit significationem, cuius verbi derivatum legi putem in רסה Ῥῆσσα, nomine cuiusdam loci, cuius *Num.* XXXIII. 21. *sq.* sed obscurior reperitur mentio.

IV.

SCHEDIASMA

DE

HERODOTEA VRBE CADYTI,

ET

PRAELIO JOSIAE REGIS,

IN CAMPO MEGIDDO,

CVM AEGYPTIIS COMMISSO.

§. I.

Bina Herodoti loca huic schediasmati suppeditabunt materiam. Alter locus legitur *lib.* II. *cap.* CLIX. *Σύροισι πεζῇ ὁ Νεκὼς συμβαλὼν ἐν Μαγδόλῳ ἐνίκησε· μετὰ δὲ τὴν μάχην, Κάδυτιν πόλιν τῆς Συρίης ἐοῦσαν μεγάλην εἷλε. Terrestri acie cum Syris in Magdolo congressus Necho victoriam reportavit, et post praelium, magnam Syriae urbem, Cadytin, cepit.* Alter, *lib.* III. *cap.* V. Ἀπὸ — Φοινίκης, μέχρι οὔρων τῶν Καδύτιος πόλιος, γῆ *) ἐστι Σύρων τῶν Παλαιστινῶν καλεομένων· ἀπὸ δὲ Καδύτιος, ἐούσης πόλιος, ὡς ἐμοὶ δοκέει, Σαρδίων οὐ πολλῷ ἐλάσσονος, ἀπὸ ταύτης τὰ ἐμπόρια τὰ ἀπὸ θαλάσσης μέχρι Ἰηνύσου πόλιός ἐστι τῆς Ἀραβίου. ἀπὸ δὲ Ἰηνύσου, αὖτις Σύρων μέχρι Σερβωνίδος λίμνης, κ. λ. *A Phoenice, usque ad fines urbis Cadytis, regio est Syrorum Palaestinorum, ut vocantur: ab urbe Cadyti, non multo minore, uti mihi videtur, quam Sardes, ab hac,* inquam, *emporia a mari usque ad urbem Ienysum Arabicae sunt ditionis. Ab urbe Ienyso rursus Syriacae, usque ad paludem Serbonidem, etc.*

§. II. Difficile profecto, ubi in rebus obscuris, quos idoneos agnoveris iudices, diversum sentiunt, quid tandem sit statuendum, cernere. Si id un-

---

*) Ita scribendum iudicavit Iacobus Gronovius. Alia coniecerat Perizonius, *origin. Aegypt. pag.* 475. ubi conferenda est cl. C. A. Dukeri nota.

quam, certe in urbe *Cadyti*, qua de loquitur Herodotus, investiganda usu venit: dum enim hi, urbem Palaestinae, *Cadesch*, Κάδυτιν ab historico dictam adserunt, quos inter eminet vir illustris, Iosephus Scaliger; alii Iudaeae metropolin, olim superbo, *sanctae*, קדושה, *Cadisto*, *Cadytis* titulo inclytam, intelligendam opinantur, inter quos magnum Petri Wesselingi nomen primum merito numeraveris. Variorum hominum super hac urbe coniecturis recensendis, ubi rerum summas tantum attingam, non inhaerebo, quippe quod abunde quoque praestiterunt Ioh. Phil. Heinius, *Observat. Sacrar. lib.* I. *cap.* V. inserto *novae variorum scriptorum collectioni Halensi*, *fasc.* I. et, qui multa ad Hecataei Abderitae fragmenta convasavit, Petrus Zornius, *in comment. pag.* 94. *seqq.* Illis, qui urbem Hierosolyma per Cadytin intelligendam censuerunt, adde Herm. Conringium, in *Adversar. Chronolog. cap.* XV. *p. m.* 186. Illis, qui Cadesch, Iacob. Palmerium, *exercitat. in optimos auctor. Graec. p.* 13. et alios. Num vero, quae in *lucubrationibus Franktallensibus cap. ult.* pollicitus fuerat Bertramus, praestiterit, dicere nequeo.

§. III. Quotquot ex recentioribus huius urbis meminerunt, meminerunt autem plurimi, unam et eandem urbem binis hisce locis ab Herodoto designari crediderunt. Hoc si fuerit exploratum, Hierosolyma hic in censum venire non poterunt, quum ista Cadytios delineatio, quam posteriore loco dedit historicus, Hierosolymis nullo modo applicari possit, sicuti erudite monstraverunt Iacobus Perizonius, *in origin. Aegyptiacis, cap.* XXIII. *pag.* 474, 475. *ed.* cl. Dukeri et Hadrianus Relandus, *in Palaestina, tom.* II. ad v. *Cadytis*.

§. IV. Verumenimvero, cum adhucdum nemo rationes protulerit, quae me eo potuerint impellere,

ut crederem, nec in priori loco *Cadytios* nomine designari *Hierosolyma*, in haec tria decrevi inquirere. *Primum*, num aliud Palaestinae oppidum, atque Hierosolyma priori loco possit intelligi? *Tum*, potuerintne Hierosolyma ab Herodoto *Cadytis* nominari; ac *denique*, num necessario statui debeat, eandem urbem posteriori loco indigitari, cuius in priori meminerat.

§. V. Prius igitur, quam rite de Cadyti iudicari possit, *primum* constitui debet, ubi terrarum sita fuerit *Magdolus*, ad quod oppidum Nechonem cum Syris dimicasse tradit Herodotus. Densa hic foret caligo, ex qua non facile potuissemus emergere, nisi opportunam lucem hisce tenebris sacri affudissent historici. Narratur enim II. *Reg.* XXIII. 29. et II. *Chron.* XXXV. 20, 24. Aegyptiorum Regi Nechoni ex Aegypto proficiscenti, ut Assyriis bellum inferret, obvium processisse pium Iudaeorum Principem, Iosiam, cum Aegyptiis in campo *Megiddo* manum conseruisse, sed infelici usum fortuna, hostili telo confossum cecidisse. *Sub Rege* Iosia (ita legitur II. *Reg.* XXIII.) עלה פרעה נכה מלך מצרים על מלך אשור על נהר פרת וילך המלך יאשיהו לקראתו וימיתהו במגדו בראתו אתו: *adscendit Pharao Necho Rex Aegypti contra Assyriae Regem, versus Euphratem fluvium, occurrit autem ipsi Rex Iosias, quem visum Megiddunte interfecit.* Fusius historiam persequutus est scriptor *libri* II. *Chronic. loco cit. cap.* XXXV. 20. *postea adscendit Necho Rex Aegypti, ut bellum inferret in Carcemisch ad Euphratem, et occurrit ipsi Iosias. vs.* 21. monenti per internuntios Nechoni, ab incepto desisteret, *vs.* 22. renuit Iosias, *ac venit praelium commissurus in campum Megiddo*, unde victus et vulneratus deportatus fuisse dicitur. Interpretem Graecum huius loci sequutus, idem praelium

commemorat scriptor apocryphi libri *Ezrae* I. *cap.* I. §. 25—31. Sed Said Ebn Batrik, sive Eutychium Alexandrinum, ubi, a sacris scriptoribus diversus, hanc historiam tangit, in *Annalibus tom.* I. *pag.* 241. haud alienum fuerit describere. وفي عصر يوشيا ملك يهوذا صعد فرعون ناهو وهو الاعرج ملك مصر الى ملك الموصل فحاربه وقتله وهزمه حتى بلغ الفرات فلما رجع خرج اليه يوسيا ملك يهوذا ليتلقاه ومعه هدايا كثيره فلما راه قتله وصيروه غلمانه من مجدوا وهي منبج (*) الى اورشليم ودفنوه فيها وهو ابن تسعة وثلاثون سنة. *Regnante Iosia Rege Iudae adscendit Pharaoh Nahu* (*quod claudum dicit*) *Aegypti Rex, contra Regem Musal, illum bello petitum, superatumque in fugam dedit, donec Euphratem perveniret: quum autem rediret, obviam ipsi profectus est Iosia Rex Iudae, multis cum muneribus, at ipse visum eum interfecit: hunc igitur servi ipsius deportarunt a Megiddo,* (*quae Membai est*) *Hierosolyma, ibique ipsum sepelierunt, annos natum triginta novem.*

§. VI. Quin eadem, et a sacris scriptoribus et ab Herodoto *lib.* II., narretur historia, nullus eruditorum dubitavit. Per Syros igitur, Palaestini, Iosias cum suis intelligi debent, quibuscum πεζῇ

---

*) Male editum منبج.

ὁ Νεκὼς συμβαλὼν ἐν Μαγδόλῳ ἐνίκησε. Eodem nomine sacro historico nuncupatur Aegyptius, נכה, Alexandrinis, Νεχαὼ, Eutychio Patriarchae, نـاهو, quod ipse *claudum* اعرج interpretatur: נכה, sicuti alibi in Hebraeo codice id nomen scribitur, *claudum* dicit, dubitare tamen licet, num Regis nomen idem in antiqua Aegyptiorum lingua significaverit.

§. VII. Sed latet in urbe, quam Herodotus *Magdolum* vocat, difficultas, quum sacer historicus in *Megiddo* hostiles copias cum Iudaeis congressas adseruerit; in qua difficultate tollenda plurimi operam suam collocaverunt, qui in vero urbi, ad quam pugnatum fuit, adsignando situ, in duas fere partes abeunt. Sunt enim, qui oppidum in finibus Aegypti positum, *Magdolum*, intelligendum censuerint, et alii et Bochartus, *Phaleg lib.* IV. *cap.* XXVII. *col.* 277. Cl. Perizonius urbem intelligendam credidit, *in finibus regni Iudaici versus Aegyptum sitam, d. l. pag.* 473. Conferri potest Ioh. Christoph. Harenbergius, in *expositione fatalis Iosiae proelii ad Megiddo*, inserta *Biblioth. Brem. tom.* VI. *fasc.* 2. §. V.

§. VIII. Dantur tamen etiam, qui Iosiam Nechoni obvium venisse velint in *valle Megiddo*, quae urbs Menassitarum tribui sorte fuerat adsignata. Hanc sententiam tuentur Marshamus, *Canon. Chron. p. m.* 569. Heinius, *d. l.* §. 7. tum eximie Iac. Palmerius, *libro citato pag.* 14. et Hadr. Relandus. Alii autem, litterarum adfinium simili sono deceptum Herodotum, locum proelii Magdolum nuncupasse statuunt; alii vero urbi isti Menassiticae duplex fuisse nomen.

§. IX. Prius, quam quid certi constituam, quaedam notanda sunt de *Magdolo*, et *Megiddo*,

operam autem dabo, ne quid praetermittam, quod faciat ad hanc rem declarandam. Vnica scilicet Aegypti urbs, quae prope Palaestinae finibus abfuerit, *Magdolus*, in scriptura sacra מגדול dicta, commemoratur, cuius oppidi situm *loco cit.* declaravit Bochartus. Si quid voci Hebraicae fidendum, arx (*turris* enim Hebr. מגדול) procul dubio fuit munita, et ad regionem custodiendam loco opportuno posita. Μάγδωλος reddiderunt LXX interpretes. Apud Hesych. et Phavorinum lego: Μάγδωλος, *οἰκοδόμημά τι.* Conf. eruditissimum Ioh. Alberti, *ad glossar. Gr. in N. T. pag.* 17. Locum *Ezech.* XXIX. 10. ממגדל סונה male interpretatur interpres Graecus: ἀπὸ Μαγδώλου καὶ Συήνης. *Capitis sequentis vers.* 6. lege. Locus Dionysii, *in periegesi vers.* 248 — *μέχρι βαθυκρήμνοιο Συήνης*, usque ad turritam *Syenen* reddi potest.

§. X. Plane ab Aegyptiaca Magdolo diversa, et ab Aegypto longissimo tractu semota fuit *Megiddo*, in illa regione sita, quae Menassitis fuit adiudicata. Conf. Reland. *Palaest. tom.* II. *p.* 898. Quum autem saepissime olim arces ac oppida excelsis ac praeruptis locis imposuerint, urbem quoque Megiddo in monte fuisse exstructam crediderim; quod si mecum statueris, rationem ilico habueris, cur loco accessu difficiliore veteres incolas non potuerint depellere Menassitae. Vid. praeter alia *ll. Ios.* XVII. 12. Quin imo montem Megiddo a Iohanne in *Apocal.* memoratum legas *cap.* XVI. 16. ubi locum quendam vocatum scribit Ἑβραϊστὶ Ἀρμαγεδδών. Varias super hac voce coniecturas protulerunt Drusius ac Ludov. Capellus, sed certissimam, ab ipso quippe Grotio, ad II. *Reg.* XXIII. 29. et alibi probatam, reliquis merito praefert Bertramus, *lucubrat. Franktallens. cap.* X. qua per eam vocem *mons Megiddo* הר מגדו denotari statuitur. Istius montis vallis πεδίον fuerit

Μαγεδδὼ, in qua Aegyptii arma cum Iudaeis contulisse leguntur. Caeterum si Menassiticam hancce Megiddo exceperis, nulla fuit in Palaestina civitas, quae isto nomine fuerit dicta, secus ac existimasse videtur Ios. Scaliger, qui Megidduntem Aegyptiacae Magdolo proximam fecit, in *notis ad fragmenta veterum, pag.* 45. Conf. etiam *pag.* 10. quam coniecturam *infelicem* vocavit Palmerius.

§. XI. Dum inter eruditos constitit, Herodoti *Magdolum* et scripturae *Megiddo* unam et eandem esse urbem, utra hic intelligi debeat, sive Aegyptia, seu Menassitica, tantummodo quaesitum fuit: postquam vero dubitandi rationes removerit Relandus, Menassiticam fuisse, ad quam decertatum fuit, tuto adfirmare licet. De Aegyptiaca *Magdolo* ne vel cogitandum, ex aliis indiciis facile poterit colligi.

§. XII. *Primum* enim nulla arte reddi poterit verosimile, Iosiam eo devenisse audaciae, ut non lacessitus in ipsam Aegyptum ausus fuerit progredi, ac Nechoni Regi bellum intulerit; temerarii fuisset opus, ac imprudentiae Iosia plane indignae. Quaenam, quaeso, pio Principi et aequi studioso iusta fuisset belli inferendi causa? Nulla profecta. Dices fortasse, occurrere voluisse Iosiam Aegyptio, quem adversus Babyloniorum Regem, foedere sibi sociatum, res novas moliri intellexerat: sed, ut taceam, longe videri probabilius, istud summo opere a Nechone fuisse cautum, ne belli rumor, quod Assyriis inferre decreverat, late dispergeretur, quo incautum ac nihil tale opinantem hostem opprimeret; ipsa religio iurisiurandi, quod Nabopollasaro praestitisse Iudaeum credi fas est, id tantum postulabat, ut ulteriorem transitum Aegyptio per Palaestinam in Assyriam tendenti praescinderet, non autem exigebat, ut, de re ipsa incertus, in Aegyptum copias deduceret.

§. XIII. Si *praeterea* eo usque fuisset progressus Iosias, vehementer Aegyptiorum animos exacerbasset, quorum arma sibi nihilominus quammaxime esse metuenda, Rehabeami, a Sesaco quondam subiugati, docuerat exemplum. Foedere utique non erat sancitum, ut bellum in Aegyptum quaesitum proficisceretur, cui domi res procul omni dubio tenuis erat et angusta: adeo certe Iudaeorum vires, a Manasse Babylonem deportato, fuerunt attritae, ut vero prorsus non fiat simile, nepotem Iosiam ilico contrahere potuisse exercitum, quem prius in Aegyptum duceret, quam regionis suae terminos transiisset Necho.

§. XIV. Verum etiam historicus sacer, cuius verba supra attulimus, sententiam, quam impugnamus, plane videtur destruere: postquam enim docuerat adscendisse Nechonem, eo animo, ut Assyrium bello peteret, tum demum addit: II *Chron.* XXXV, 20. *et exiit Iosias ipsi obviam:* ויצא לקראתו יאשיהו unde manifesto documento colligi potest, Nechonem, relicta Magdolo, ante finibus Aegypti egressum, quam Iosias itineri se dederat, quod egregie ex isto loco adseruit Palmerius. Nihilominus in vocabulo לקראת, in textu obvio, mire oppositam sententiam fulciri credidit Iacobus Perizonius, quippe quo vocabulo ex ipsius opinione tantum, *occursus ex adversa parte*, in scriptura designetur: id vero negavit Relandus, atque recte Iosiam dici potuisse, Aegyptiis לקראת processisse, licet versus *Megiddo* abierit, adlatis exemplis demonstravit, quae ut minus opportuna temere reiecit Harenbergius. Adde Relando, quae *d. l.* §. 9. ab Heinio sunt adnotata. Fortasse tamen ex totius historiae serie non absonum foret colligere, Iosiam, simulac Aegyptios Palaestinae limites transgressos cognoverat, versus Aegyptum movisse, atque ita

obvium processisse Nechoni; quum vero nuntii, itineris, ab Aegyptiorum Rege suscepti, rationes explicuissent, ac Iosiam, ut ab incepto desisteret, monuissent, Iudaeum quidem Regis voluntati morem gerendum non putasse, sed artibus, quibus hostem deluderet, utendum, clam itaque cum exercitu versus urbem *Megiddo* tunc temporis sibi subiectam, fuisse profectum, locum quippe, quem castris ponendis opportunum noverat. Haec non difficulter ex *loco cit.* possent elici.

§. XV. *Porro* Rex Aegyptius omnia prius tentare voluit, quam Iudaeorum Regem armis subactum ad saniorem mentem reduceret; nuntios enim misit, qui Iosiae referrent, quae legimus *Ibid. vers.* 21. *Quid inter me et te est, Rex Iudae? non adversus te hoc tempore adscendi, sed adversus aliam domum.* Non utique adeo benigne fuisset exceptus Iosias, si in Aegyptum usque devenisset.

§. XVI. *Denique*, ut nunc alia praeteream, nullo modo credi oportet, adeo lusisse sacros scriptores, ut urbem, quam saepissime מגדול appellaverant, heic loci, ubi facile cum alia confundi poterat, מגדו nuncupaverint. Quamdiu igitur istius discriminis non adferantur rationes, proelium Iosiam inter et Nechonem in valle urbi Menassiticae *Megiddo* proxima fuisse commissum, tamdiu certum manebit et exploratum.

§. XVII. Caetera Herodotum, sive Sacerdotes Aegyptios, a quibus edoctus fuerat historicus, quae de vetustis Aegyptiorum rebus memoriae prodidit, pro vero urbis nomine מגדון, *Megiddo, Megidlo*, מגדול, *Magdolo*, reposuisse, non facile mirabitur, qui litteras *D* et *L* a plerisque gentibus olim pronuntiatione fuisse permutatas, cognoverit. Orientalibus solemnis fuit earundem confusio. Vid. Bocharto notata *Chanaan, lib.* I. *cap.* XXVII. et

Relandum, in *Palaest. tom.* II. ad v. *Magdala*. Nisi vero litterarum Δ et Λ, figura proxime ad se invicem accedentium, confusionem codicum descriptoribus imputare malueris, in nominum propriorum enunciatione idem a Graecis interpretibus factitatum. *Ex. gr. Gen.* X. 19. pro לשע, scripserunt: Δάσα. *Numer.* III. 24. pro לאל, Δαήλ. I. *Chron.* I. 39. דישן; Λισάν. *Ib.* IV. 16. אלה, Ἀδά. *Cap.* XI. 36. כרמלי; Χαρμαδαί. Eadem permutatio apud Graecos ac Latinos obtinuit, et a Grammaticis fuit observata. *Laurum*, δάφνην a Pergensibus λάφνην vocatam scribit Hesychius: Λάφνη, δάφνη, Περγαῖοι. vid. *notas* ad Hesych. ex gr. ad ἐδάετρος et ἐλούπησεν. Id. ἔδαφος, — ἢ ἔλαφος, et λίσκος, δίσκος. confer Salmas. ad v. δέκτης, quam χλαῖναν exponit Glossogr. Salm. pro λέκτης pronuntiatam credidit. Quae Hesychio auctore λεπάστη, Festo: *Lepista, genus vasis aquarii*, Varro *Depestam* dictam fuisse scribit, de *L. L. lib.* IV. *col.* 21. *Latinis* quoque *L. et D. interdum sibi invicem cedunt, unde et sella pro seda dicitur a sedendo*; verba sunt Servii ad initium *eclogae primae* Virgilii. Frequentissime eandem mutationem a Festo et Varrone memoratam reperias. Festus, *de K. S. Dacrymas*, inquit, *pro lacrimas Livius* (nisi tamen *Laevius* sit scribendum, vid. Ios. Scaligeri castigat. *in Festum pag.* CXLIII. ad vocem *Redivivum*) *saepe posuit, nimirum quod Graeci appellant* δάκρυα. *Item dautia, quae lautia dicimus.* In voce *Mediusfidius*, *fidium* dictum monuit *pro filio, quod saepe antiqui littera L pro D utebantur.* Idem in voce *Melicae*, *L littera pro D substituta.* Vid. eundem in vocibus, *rediviam*, *seliquastra*, *solitaurilia*, *casilam*, *impelimenta*, et Varronem *de L. L. lib.* IV. *col.* 19. *et lib.* V. *col.* 35. *et* 43. Sed eo iam, unde huc digressus sum, revertar.

§. XVIII. Ex illis, quae disseruimus, constat, quae fuerit *Magdolus*, ad quam cum Nechone infausto successu manum conseruerit Iosias; atque ita strata est via, qua Cadytin tandem deveniri possit; hanc enim urbem post Megiddense proelium ab Aegyptiis fuisse occupatam auctor est Herodotus, μετὰ δὲ τὴν μάχην, inquiens, Κάδυτιν πόλιν τῆς Συρίης ἐοῦσαν μεγάλην εἷλε. Inquirendum igitur, anne oppidum post istud proelium in scriptura a Nechone captum legatur, cui istud nomen fuerit inditum. Nunquam utique *Cadeschum* Perizonius, nec *Gaditicam* urbem Relandus, in Aegyptiorum potestatem tum temporis fuisse redactam, probaverint. Sed, si sacrum scriptorem solum hac in re investiganda ducem fuerimus secuti, levissimo opere urbs Κάδυτις poterit constitui; siquidem post proelium in valle Megiddensi commissum Iudaeorum urbe metropoli *Hierosolymis* potitus fuit Necho, sicuti ex loco haud in rem diserto, II. *Chron.* XXXVI. vs. 3, clarissimum in modum constat. Narratum fuerat, Iosiae filium Ioachasum, quem in Regni successionem mortuo patri suffecerant Iudaei, spatio trium mensium regnasse Hierosolymis, tum additur: *et regno ipsum amovit Rex Aegypti Hierosolymis, et mulctam regioni imposuit centum talentorum argenti, atque unius talenti auri.* vers. 3. ויסירהו מלך מצרים בירושלים ויענש את הארץ מאה ככר כסף וככר זהב versu 4. Rex Aegypti, loco Ioachasi secum in Aegyptum abducendi, ipsius fratrem Eliakimum regem Iudaeae creasse dicitur; exasperatus enim fuerat a Ioachaso, qui paternam forsan cladem ulturus, Aegyptiis ex Assyria redeuntibus obviam occurrerat. Confer II. *Reg.* XXIII. vs. 33.

§. XIX. Antequam ad alia pergam, paucis aperiam, quomodo haec historia, intricatius a plerisque proposita, non incommode videatur posse

digeri. Necho, incertum qua de causa, Assyriorum Regi bellum inferre constituerat, Palaestinam ingressum per nuntios rogavit Iosias, quid rerum gereret? Ille divino iussu se contra Assyrios proficisci, sed quiescere Iudaeos iussit: displicuit Iosiae consilium; sive enim, ut fidem servaret, quam dederat Nabopollasaro, seu, ne aliquando victrices copias incautus experiretur, Iosias satius duxit cum parva manu congredi; locum igitur, ubi in Assyriam tendentibus erat transitus, praeoccupare conatus est, et in valle *Megiddo* ei se obiecit; sed victus ac semivivus ex proelio elatus est. Interea victoria potitus Necho, in Assyriam, sicuti constituerat, proficiscitur, inde vero, minus secundam fortunam expertus, inferior proelio discessit: Aegyptum repetenti ecce obvium cum exercitu Ioachasum, quem facili opere superatum secum abducit Hierosolyma, qua urbe potitus tandem in Aegyptum rediit.

§. XX. Quum vero adeo aperte II. *Chron.* XXXVI. 3. doceatur, Hierosolymorum urbem Nechonis potestati, post proelium in valle *Megiddo* commissum, fuisse subiectam, saepe inquisivi, unde originem traxerint tot, inter homines peritissimos, in hac urbe definienda, sententiarum divortia, ac praecipue tres rationes reperi, quibus sibi persuadere potuerint, de alia urbe apud Herodotum esse cogitandum. *Prima* est: quod non ilico post proelium in Magdolo commissum capta fuerint a Nechone Hierosolyma, secus ac de Cadyti innuere videtur historicus. *Altera*: quod isto nomine nunquam nota fuerint Hierosolyma. Ac *tertia* denique: quod situs, quem alibi oppido Cadyti adsignat Herodotus, Hierosolymis nullo modo convenire possit.

§. XXI. Diffiteri nolim, primam rationem adeo quidem pondere suo non videri destitutam, ut, si liquido constaret, urbem *Carcemisch*, ad quam op-

pugnandam itineri se dederat Necho, ab eodem expugnatam fuisse, non absona videretur Edwardi Simsoni, hanc urbem in Cadyti latere existimantis, in *Chron. ad annum M.* 3395, coniectura. Vrbem, a clade, *Carcemisch* dictam, quae prius Κάδυτις fuerat vocata, hariolatur vir eruditissimus Thomas Galeus, *ad Herodoti lib.* II. *cap.* CLIX. *pag.* 771. Verumenimvero, licet eandem a Nechone fuisse captam, et imposito praesidio munitam, adfirment Marsham. *Canon. Chron. pag. m.* 569. et, quod forsan mireris, Humfredus Prideauxius, *histoire des Iuifs et des peuples voisins. tom.* I. *pag.* 105. Heinius, *d. dissert.* §. 54. altum hac de re silet scriptura; ex loco enim *Ierem.* XLVI. *vers.* 2. nihil, ad istam sententiam stabiliendam, colligi potest. Vid. Ios. Scaligeri *notas ad fragm. vett. pag.* 10. et *notulam Gallicam*, quam vir doctus ad citatum Prideauxii locum adlevit. Recte igitur dici potuit post Magdolum Hierosolymis potitus Necho. De infelici autem, quae Nechonem ad *Carcemisch* excepit, fortuna, nihil memoriae prodidit Herodotus: Sacerdotes enim Aegyptii, iis praetermissis, quae in Regum suorum ignominiam vertere arbitrabantur, Herodoto, de vetustissimis Aegyptiorum rebus avide sciscitanti, illa tantum retulerunt, quae ad decus gentis suae conciliandum conducere poterant, quod saepissime monuit Iosephus Scaliger, et ab aliis fuit animadversum.

§. XXII. Eo deveni, ut disquiri debeat, potuerintne Hierosolyma Herodoto dici Κάδυτις, et quaenam impositi nominis fuerit ratio? Scio, quid alii, et novissime Heinius coniecerint, cuius coniecturae nimis sunt ingeniosae quam ut verae videri possint. Mihi hactenus Ligtfooti et aliorum se probavit opinio, quippe quae unicuique simplicitate se commendat, qua ex voce קדושה *sancta,* (quo titulo

Herodoti aevo celebria erant Hierosolyma,) Κάδυτος nomen deflexum indicatur. Non repetam, quae ad istam sententiam firmandam levi negotio apud alios legi poterunt: monstrasse suffecerit, quam parum opportuna videantur, quae contra hanc sententiam a Relando fuerunt prolata. Is enim in *Palaest. l. c.* *non solere ita urbes*, absque voce עיר *nuncupari, sed nominibus suis et notis* adfirmare non dubitavit. Relando fere adsentitur Heinius *l. c.* §. XV. Qui istud meliorum litterarum cultura politissimo Relando potuerit excidere, equidem miror; quominus enim Palaestini urbem *sanctam* metropolin suam simplici הקדושה *sanctae* epitheto inter suos insignire potuerint, nil video, quod impediverit; maxime quum in huiuscemodi epithetis non rara fuerit, imo frequentissima, vocabuli עיר quod *urbem* dicit, aut similium ellipsis. In Idumaeae urbis nomine, בצרה *Bozra*, το עיר subaudiendum esse monuit Iacobus Hasaeus, ubi erudita notat *de inguinatis Sardiensium vestimentis*. §. XI. Et, nisi talis ubique statueretur ellipsis, quid de plerisque urbium nominibus faciendum foret, quae pro totidem epithetis haberi possunt? Ex gr. varia fuerunt in Palaestina oppida, quae *ab altitudine*, במה, ὑψηλὴ, *alta* fuerunt cognominata. Eandem ob rationem, Laodicea Syriae, auctore Stephano Byzant. Ῥάμιθα fuit vocata, ῥαμαν γὰρ, addit, τὸ ὕψος. Metropolis Ammonitarum simpliciter *magna*, sive *ampla*, dicebatur, רבה *Rabba*. Reperitur urbs Phrygiae maioris, Κίβυρα, monente alibi Sam. Bocharto, כבירה μεγάλη. Apud Stephanum legas: Μεγάλη, πόλις Ἀρκαδίας. Vrbi Siciliae Μοτύα verum nomen a Phoenicibus impositum fuit מטוה *protensa*, sicuti docet Bochart. Κανᾶ, oppidum Galilaeae arctis limitibus circumscriptum, Syro versori N. F. vocatur ܩܛܢܐ *parvum*. Vrbs Arabiae, quae Graecis seri-

pioribus λευκὴ κώμη dicebatur, indigenis simpliciter Λευκὴ חורא audiit, monstrante Bocharto. Stephano: Αὔαρα, πόλις Ἀραβίας — ὅ ἐστι κατὰ Ἄραβας καὶ Σύρους λευκήν. Thraciae oppidum, quod aliis Δικαιόπολις, Stephano dicitur Δίκαια. Quidni igitur Hierosolyma עיר הקדושה, Ἱεράπολις, elliptice quoque קדושה Ἱερὰ dici potuissent? Oppida reperias apud Stephanum simpliciter dicta Ἱερά. Syriae Hierapolin Ἱερὰν quoque dictam scribit vir doctus in *miscellan. observat. in auctores veteres et recent. vol.* III. *tom.* I. *pag.* 39. Sicuti autem Hierosolyma עיר הקדש, ita quoque simpliciter קדש ἁγιασμὸς potuerunt nuncupari. Ciliciae secundae civitatem, quae vulgo Εἰρηνόπολις vocabatur, Εἰρήνη dici, monstravit Magnus ille T. S. H. S. in iisdem *observat. misc. vol.* V. *tom.* I. *pag.* 27. Εἰρήνη quoque dicta fuit insula, dein Καλαύρεια nominata, uti apud Harpocrat. in v. Καλαυρεία docet Anticlides. Caeterum non parum ponderis nostrae opinioni adfert Prideauxii observatum, hodiedum *Sanctae* nomine apud Arabas nuncupari Hierosolyma, indicio, eodem nomine antiquis temporibus fuisse cognominatam. Vid. praeter ea quae notavit Prideauxius, celeberr. Schultens, *indice Geograph. in Saladin.* ad voces *Baalbechum* et *Manbesium*, et venerandum Renaudotium, in *memoires de litterature de l'Acad. Royale des inscript. etc. tom.* II. *part.* II. *pag.* 158.

§. XXIII. Nemini autem mirum accidet, קדושה ab Herodoto in Κάδυτις fuisse mutatum. Constat enim, isto tempore, quo per Palaestinae oram maritimam iter faciebat Herodotus, vocem קדושה, ab indigenis *Cadisto* sive *Cadito* fuisse pronunciatam; Syriaca enim, seu Syro-Chaldaica dialectus, quae in Hebraeae linguae locum successerat, vulgarem usum obtinuerat; asperior autem istius dialecti pronuntiatio Hebraeorum ש in ת vel ט deflectere fuerat

solita, uti norunt, qui hasce litteras terunt, ex. gr. הדש *renovavit*, Syr. ܚܕܬ. קרש, *asser*, Syr. ܩܪܬܐ. שלש, *tres*, Chald. תלת, Syr. ܬܠܬ. בוש, *erubescere*, Syr. ܒܗܬ. שוב, *reverti*, Chald. טוב, Syr. ܬܘܒ. ירש, *haereditate accepit*, Syr. ܝܪܬ. etc.

§. XXIV. Vt itaque dicta in compendium referam, si verum est, quod nemo dubitat, ut eadem historia, quam sacri scriptores narrant, ab Herodoto memoriae fuerit prodita, si praeterea Hierosolymorum urbi nomen Cadytis ab historico imponi potuit, non est inficiandum, per Cadytin, priori Herodoti loco Palaestinae urbem Principem, Hierosolyma, esse intelligendam.

§. XXV. Verumenimvero, quid altero Herodoti loco, *libri* III. *cap.* V. faciam, equidem vehementer haereo; sive enim cum plerisque statuendum videtur, sub nomine Καδύτιος Hierosolyma latere; sin aliam urbem, eandem nihilominus, de qua *libro* II. *cap.* CLIX. fecerat mentionem. Prius quominus credam, faciunt, quae adcurate super hac re disseruerunt viri peritissimi, Iac. Perizonius, *in origin. Aegypt.* Hadr. Relandus, *in Palaestina*, quibus adde, quae notavit Iac. Gronovius *ad Herod. pag.* 902. *b.* Restat igitur, ut dicatur, aliam hic urbem, ab Hierosolymis diversam, eandem tamen, cuius iam ante meminerat, hoc loco describi; atque ita de opinione, quam adserere fueram conatus, erit conclamatum. At, licet eruditis hominibus secus fuerit visum, quidni binis hisce locis diversa oppida indicari censuerim? Hanc coniecturam qui probaverit, omnes, quaecunque moveri possent, difficultates facili negotio e medio removebit. Nullam Palaestinae urbem praeter Hierosolyma in priori loco designari posse, facilius forsan viri docti con-

cessissent, nisi talia in altero reperissent, quae cum Hierosolymorum situ in concordiam redigi non poterant. Quandoquidem igitur nihil adeo *lib.* III. obstare videtur situi urbis *Gath*, facile concesserim Κάδτιν ibi indicari ab Herodoto, qui adfinia et sibi incognita nomina confuderit, nisi, quod maluerim, in Herodotei codicis descriptorem culpa reiici debeat; huic enim proclive fuit ex Κάδτιος nomen, quod antea memoratum meminerat, unica solummodo littera inserta, Καδύτιος effingere. Quid? Talia hisce locis insunt, ex quibus fere colligas, diversas urbes describi. Cadytin, a Nechone occupatam, *magnam* quidem *Syriae urbem* nuncupaverat, μεγάλην, eximie *magnam*, metropolin; sed Cadytios *lib.* III. memoratae amplitudinem certis ac definitis limitibus coarctat, ἐούσης, inquiens, πόλιος Σαρδίων οὐ πολλῷ ἐλάσσονος. Aliud adhuc indicium, quod, me iudice, hanc coniecturam verae reddit simillimam, reperire licet. Oppidum, quod priore loco dicitur Cadytis, non fuit ab Herodoto conspectum, siquidem enim vidisset Hierosolyma, prorsus ab historici consuetudine abhorreret, quaecunque ibi tum temporis numerabantur stupenda opera, silentio prorsus involvere, ubi de illis agendi opportuna se offerebat occasio, sicuti recte iudicavit Relandus. Iam vero ab illa Cadyti diversam *lib.* III. delineari, ex istis verbis tuto adfirmari posse videtur, ἐούσης πόλιος, ὡς ἐμοὶ δοκέει, Σαρδίων οὐ πολλῷ ἐλάσσονος, κ. τ. λ. Plane enim dubitari non potest, quin illa ὡς ἐμοὶ δοκέει apud Herodotum ubique testem monstrent oculatum: bini priores libri, quantum satis fuerit exemplorum, sufficient. Si ex aliorum tantum relationibus, Cadytin Sardibus amplitudine fere aequalem fuisse, accepisset, scripsisset ὡς φασὶ, uti in adfini materia loquitur *lib.* I. *cap.* CCII. νήσους — ἐν αὐτῷ (loquitur de Araxi fluvio) Λέσβῳ μεγάθεα παραπλησίας συχνὰς φασὶ

εἶναι. Ab illis enim, quae ipsemet conspexerat, adcuratissimus historicus probe semper distinguit, quae sciscitanti ab aliis fuerant relata. Vid. *lib.* II. *cap.* CXCVIII. *Lib.* I. XCII. De iis, quae ab aliis audiverat, ὡς ἐγὼ πυνθάνομαι, inquit, *Ib. cap.* CV. ὡς ἐγὼ πυνθανόμενος εὑρίσκω, adde *lib.* II. *cap.* CVIII. De iis quae ipse viderat, dixisse, ὡς ἐμοὶ δοκέει, haec sunt testimonia, *lib.* II. *cap.* CXXXVII. ὡς ἐμοὶ δοκέει, μάλιστα μὲν Βουβάστι πόλι ἐξεχώσθη. *Ib. cap.* X. κατάπερ οἱ ἰρέες ἔλεγον, ἐδόκεε δὲ καὶ αὐτῷ μοι εἶναι. adde *cap.* XV. Clarissime quoque loquitur *lib.* I. *cap.* LI. φασὶ δέ μιν (*pateram*) Δελφοὶ Θεοδώρου Σαμίου ἔργον εἶναι, καὶ ἐγὼ δοκέω, οὐ γὰρ τὸ συντυχὸν φαίνεταί μοι ἔργον εἶναι. *Libro* quoque II. *cap.* V. hunc in modum scribit Herodotus: καὶ εὖ μοι ἐδόκεον λέγειν, (sacerdotes Aegyptii) περὶ τῆς χώρης, δῆλα γὰρ δὴ καὶ μὴ προακούσαντι, ἰδόντι δὲ, ὅστις γε σύνεσιν ἔχει, ὅτι Αἴγυπτος, ἐς τὴν Ἕλληνες ναυτίλλονται, ἔστι Αἰγυπτίοισι ἐπίκτητός τε γῆ, καὶ δῶρον τοῦ ποταμοῦ. *Eiusdem libri capite* VIII. non absimilem locutionem observare licet. Τῶν δὲ οὐρέων τῶν εἰρημένων τὸ μεταξὺ, πεδιὰς μὲν γῆ, στάδιοι δὲ μάλιστα ἐδόκεόν μοι εἶναι, τῇ στεινότατόν ἐστι, διηκοσίων οὐ πλείους, ἐκ τοῦ Ἀραβίου οὔρεος ἐς τὸ Λιβυκὸν καλεύμενον. Ex hisce colligas, Cadytin, posteriori loco memoratam, ab Herodoto non fuisse conspectam. Binas itaque urbes ab Herodoto fuisse designatas, a vero minime abhorret. Vltra id, quod videtur probabile, raro in antiqui aevi tenebris cernere datur. Variantem lectionem, quam ex scripto libro exhibuit Thomas Galeus *ad Herodot. pag.* 772. *a.* Stephanum Byzantinum, qui apud Herodotum una tantum vice *libro* II. nomen Κάδυτις, sive Κάλυτις, reperisse videtur, nonnulla etiam alia proferre possem, sed modus adhibendus est. Igitur de Cadyti tantum.

V.

GLOSSAE SACRAE

EX

HESYCHIO.

Constat inter eruditos, extitisse olim glossaria, quibus difficiliora vocabula exponerentur, quae, a Graecis Antiqui Foederis interpretibus, ac Novi Scriptoribus, fuerant usurpata. Ex huiuscemodi libris plurima in Hesychii Grammatici lexicon fuisse ab hominibus Christianis illata, nonnulli rerum periti iudicaverunt: quum vero egregius iste Hesychii liber, prae aliis antiqui aevi monumentis, erroribus, quos librariorum negligentia pepererat, inquinatissimus fuerit factus, fieri etiam non potuit, ut sacrae hae glossae incorruptae ad nos devenirent; in multis quidem vetus scriptura ab eruditis hominibus fuit reposita, multarum etiam ex hisce glossis fontes fuerunt indicati, multae nihilominus intactae remanserunt; ex hisce nonnullas, quibus opem aliquam adferre conatus sum, decerpsisse iuvaverit.

Ἀμοργίτας, πλακοῦντας.] Maluerim omnino: Ἀμορίτας, πλ. Vide tamen, quae notavit Henr. Steph. *indice Thesauri* ad *vocem* ἀμόρα. Panis ἀμορίτης dictus memoratur 1. *Chron.* XVI. *vers.* 3. ubi singulis Israelitis dedisse legitur David ἄρτον ἕνα ἀρτοκοπικὸν, καὶ ἀμορίτην. Infra in Hesychio scriptum reperias: Ὁμορίτας, ἄρτος, κ. λ. ab ὁμοῦρα, quod idem Hesychio dicit, ac ἀμόρα, unde ἀμορίτης, monente Fungero. Eiusdem formae vocabula sunt, ab ὀλύρα, panis ὀλυρίτης dictus, 1. *Reg.* XIX. 6. (quod panis genus *Gen.* XL. *vers.* 16. vocari videtur χονδρίτης. *Glossae Gr. Lat.* exponunt: *Cinarius.*) Ab ἐσχάρα, ἐσχαρίτης, Hesychius exposuit, ἄρτος ἐγκρυπτος, ubi nihil cum

Gothofredo Sopingio tentaverim. Vid. 1. *Sam.* VI. *vers.* 19. David διεμέρισε παντὶ τῷ λαῷ — ἑκάστῳ κολλυρίδα ἄρτου, καὶ ἐσχαρίτην. Vide quoque Hesych. in vocibus Γυρίτας, (*Glossae* Γυρίτης ἄρτος, *Pollinaceus*) Σησαμίτης, et Ψηρατυρίτας.

'Αμὼς, ἑρμηνεύεται στερέωσις ἢ ἰσχύς.] Haec ex Basilio Magno desumta suspicatur C. Iunius Patrophilus, *in epist. ad G. de S. Bavone*, insertis *observat. miscell. in auct. vett. et recentiores*, vol. IV. *tom.* I. *p.* 125. Eodem modo, quo prophetarum nomina in Hesychii lexico leguntur exposita, eadem interpretatur Hesychius Presbyter Hierosolymitanus, *in argumentis* XII. *Prophetarum*, tom. IX. *Biblioth. Crit.* insertis. Nomen Amosi עמוס, si idem censetur cum אמוץ, satis recte vertunt, qui mirifice plerumque nugantur: אמץ enim *robur* dicit ac *fortitudinem*. In *lexici Origeniani codice Colbertino*, apud venerab. Ioh. Martianay, *Hieron. operum tom.* II. *pag.* 249. 'Αμὼς, ἰσχυρὸς ἢ διώκτης. In qua postrema voce tangitur radix עמס, unde nomen עמוס, quod omnino ab altero אמוץ esse distinguendum, Hieronymum secutus, monuit Drusius, *observat. lib.* IV. *cap.* XXI.

'Ανάνευσις· ἀναβίωσις. ἀνάπαυσις. ἀνάψυξις.] Guieto fortasse non est adsentiendum, scribenti 'Ανάνηψις, ἀν. ἀ. ἀνάληψις. Quidni enim haec ad locum *Psalm.* LXXIII. 4. potuissent effingi, ubi in Alexandrina versione: οὐκ ἔστιν ἀνάνευσις ἐν τῷ θανάτῳ αὐτῶν, (ἁμαρτωλῶν.) Inspice, si lubet, Henrici Steph. *d. l. in voce*, ubi Hesychium tentat.

'Ανταναπλωμένη — ἐπὶ φωνῆς, ἣν καλοῦσιν 'Ηχώ.] Conf. infra in 'Ηχὼ, et Patrophilum, *l. c. pag.* 128. Respexisse videtur glossographus locum libri apocryph. *Sapient. Salom. cap.* XVII. 19. κτύπος ἀπηνὴς καταῤῥιπτομένων πετρῶν, — ἢ ἀν-

Ἐλυακλωμένη ἐκ κοιλοτάτων ὀρέων ἠχώ, κ. λ. Istius libri vocabula rariora pleraque omnia huic lexico inserta sunt.

Ἀποστάσιον, τὸ ἀπολῦσαι τὴν γυναῖκα, καὶ γράψαι ἀποστάσιον.] Fortasse quis olim scriptum fuisse coniectaverit: ἀποστάσιον δοῦναι. *Matth.* XIX. 7. *sancivit Moses,* δοῦναι βιβλίον ἀποστασίου, καὶ ἀπολῦσαι αὐτήν. Marcus *cap.* X. *vers.* 4. scripsit γράψαι. Vocem Hebr. כריתות pressius expressit *Matth. cap.* V. 31. δότω αὐτῇ ἀποστάσιον. Ad hunc locum vid. Casaubonum, et commentatores.

Ἀσυνθησία, παραβασία, ἀσύνορον, ἀσύμφωνον.] Scribo: Ἀσυνθεσία, παραβασία. Ἀσύνωρον, ἀσύμφωνον, nisi tamen ἀσύνθετον exciderit. Vocabulum ἀσυνθεσία apud Suidam legitur, et in Graeca versione (Alexandrinam dico) non est infrequens; συνθεσίαι usurpavit Homerus *Iliad.* B. *vers.* 339. Hesych. συνθῆκαι. Infra quoque Hesych. σύνωρον, σύμφωνον.

Ἀσχήμονι, ἐπονειδίστῳ θανάτῳ.] Phavorinus: Ἀσχήμονι θανάτῳ, ἐπονειδίστῳ. Desumta locutio ex *Sapient. Salom. cap.* II. *vers.* 20. θανάτῳ ἀσχήμονι καταδικάσωμεν αὐτόν. Temere vocabulorum ordo mutaretur in Hesychio, cui saepe in more fuit positum, vocabulorum expositioni illa subiungere, quae iis addita repererat in scriptis veterum, quod non animadversum nonnunquam eruditos viros in errorem duxit. Quibus adserendis confirmiendisque paucissima suffecerint exempla, quae ex hac ipsa linea depromam. Ἀδμὴς, ἀδάμαστος παρθένος. Homerus, *Odyss.* Z. *vers.* 109.

Ὡς ἥγ᾽ ἀμφιπόλοισι μετέπρεπε παρθένος ἀδμής.

Post vocis ἄμφηκες expositionem, ut sciretur, quo sensu vocabulum usurpatum fuerit, addidit Gram-

maticus: βέλος, ἢ κεραυνός, ἢ ξίφος. Homer. ξίφος ἄμφηκες dixit *Odyss.* II. 80. Alibi in Homero legas αἰδρείῃ πολέμοιο. Apud Hesychium αἰδρείῃ, ἀμαθίᾳ πολέμοιο. ubi post primam vocem excidisse πολέμοιο immerito existimavit Henr. Stephanus. Huiusemodi exempla longe plurima collegi. Verum etiam in sacris glossis eadem consuetudo fuit observata, cuius rei vel haec ipsa glossa indicium est, cui adde alteram, ubi editum: Μαγὶς, παλαθὶς ἄρτος. L. μ. παλαθὶς, ἄρτου. Phavor. coniunxit μαγὶς ἄρτου. Legitur *Iud.* VII. *vers.* 13. μαγὶς ἄρτου κριθίνου. Mirum id alicui posset accidere, siquidem harum auctor non fuit Hesychius.

Βαναυσίας, ἰδιωτίας, ἢ ἀλογίας.] υἱῶν βαναυσίας meminit *Theodotion Iob.* XLI. *vers.* 26. *Glossae vett.* Βαναυσία. *Mechanica ars, vel arrogantia.* et Βάναυσος. *Adrogans, Arrogans, ventosus.*

Βέλιαρ, δράκων.] Βελιαλ legitur II. *Cor.* VI. *vers.* 15. בליעל quoque Βέλιαλ pronuntiavit Theodot. *Iud.* XIX. 22. Extat liber apocr. περὶ Δράκοντος τοῦ Βήλ. (Isidor. *origin. lib.* VIII. *cap.* XI. *Belial Hebraice Bel dicitur.*) Alibi tamen etiam Βέλιαρ scribitur: ex. gr. *in fragm.* V. *lex. Orig. ed. Mart. p.* 155. Quaedam ad hunc locum dabit doctiss. et humaniss. Ioh. Alberti, qui magnam opem Hesychio attulit, et maiorem adhuc allaturus est. Consulendus est in nota ad *glossar. Gr. N. T. pag.* 51. Quaedam de variante vocis scriptura notavit Ioh. Drusius, in libro inedito, cui titulus *Orthographia Sacra, lib.* III. Conf. Bochart. *Chan. lib.* I. *cap.* XXVIII. *pag.* 529.

Βοῤῥᾶς ἄνεμος ψυχρὸς — καὶ σκληρὸς — ἐπιδέξιος.] Legitur haec glossa *pag.* 194. *a.* paulo post repetita. Bina loca videtur respexisse glossator. *Syrachid. cap.* XLIII. 20. ψυχρὸς ἄνεμος βορέης,

Sed praecipue *Proverb.* XXVII. 16. (quem locum etiam ab eruditiss. Abresch adnotatum video, in *observat. miscell. vol.* V. *tom.* I.) Βοῤῥέης σκληρὸς ἄνεμος, ὀνόματι δὲ ἐπιδέξιος καλεῖται: sed sensus, quem haec verba praeferunt, ex Hebraeo textu nullo modo potuit elici, nisi interpres legerit, צפניה צפן רוח ושמו ימין יקרא: ubi in nostris codicibus editum: צפניה צפן רוח ושמן ימינו יקרא quae cum illis, quae antecedunt, longe rectius cohaerent.

Βυώσης, — κωφωθείσης.] Malim: βυούσης ex *Psalm.* LVIII. 4. θυμὸς αὐτοῖς — ὡσεὶ ἀσπίδος κωφῆς, καὶ βυούσης τὰ ὦτα αὐτῆς: Hesych. βύει, καμμύει, φράσσει, τὰ ὦτα, ita enim scribi debet, et βύων τὰ ὦτα, ἐπιφράττων.

Γαβαθόν, τρυβλίον.] Si cui summi Salmasii nota minus placuerit, γάβαθον idem fuisse existimantis, quod Paphii ζάβαθον dicebant; Γαβαθὸν mecum censeri posset oppidi Palaestinae nomen, (quaedam enim oppida *Gabathon* dicta extiterunt in Palaestina, docente elegantissimo Relando) cuius nominis τρυβλίον haberi posset expositio, גביע enim Hebraeis τρυβλίον significat, et a LXX κεράμιον redditur. *Ierem.* XXXV. *vers.* 5. κεράμιον οἴνου. Rectius nomen a גבה *altus, excelsus fuit,* deduci posset; hinc in *lexico Origenis, ed. Martian. pag.* 197 legas: Γαβαθὸν, ὑψηλά; quibus adde Γαβῆθ *pag.* 199. Praecesserat in Hesychio: Γαβαλὰν, ἐγκέφαλον; ubi si, quod fere coniecerim, urbs Galilaeae, Γάμαλα, sive Γάβαλα dicta, intelligi debeat, prorsus aliena cogitavit Vossius. Γαβαθὸν et Γαβαλὰν in indicem thesauri sui referre non praetermisit Stephanus.

— Γάλλιμον, κεκριωμένον, ἤγουν κριῶ κριῶν.] Haec glossa, quae extra litterarum seriem *pag.* 207. *b.* reperitur, Criticorum ingenia exercuit: postremum vocabulum, si Schrevelio fides sit habenda,

Scal. in *κριὸν*, Guiet. in *ὅμοιον* mutandum coniectaverunt. Patrophilus *l. c.* ex Basilio *ἤγουν κριοῦ ἐπώνυμον* attulit. Vt libere dicam, quid sentiam, nihil in hoc loco reperio, quod a glossatorum ingenio abhorreat: notae sunt inficetae istorum hominum argutiae. Ex. gr. Ναθὰν in *glossario Albertino pag.* 45. exponitur: ἔδωκεν, ἢ δόσις, ἢ διδόντος. Si quid tentandum foret, illud *κριῶν*, quod festinantis calamo effluxerat, delerem. Phavorinus: Γάλλιμον, κεκριωμένον, ἤγουν κριοῦ. Caeterum Γάλλιμον censuit Patrophilus pro Γαλλὶμ positum (sic supra: Βέθηλον) quomodo Basilium *Ies.* XV. *vers.* 8. legisse monuit pro Ἀγαλλίμ. Nec mirum, quum eadem urbs Moabitidis *Ies.* XV. אגלים dicta, *Ies.* X. *vers.* 30. גלים Gr. Γαλλεὶμ nuncupari videatur, vid. ad priorem *l.* Hugonem Grotium. Rectissime porro monitum fuit a Patrophilo, nec *Gallim* neque *Agallim* apud Hebr. *κριὸν* significare; propterea tamen dubitari non potest, quin recte, pro more scilicet istorum hominum, reddiderit glossator, respiciens vocem אילים quae olim, confusis litteris י et ג, *aialim*, *agalim* efferri potuit. Ad literarum sonum tantum attendit, in hac voce interpretanda, Origenes, namque in *Colbert. cod. pag.* 255. lego: Ἐν ἀγαλλίμ. ὀφθαλμὸς δαμαλέων. Ἐν, עין, *oculus*. ἀγαλλὶμ, quasi עגלים *vituli*.

Γαλαὰδ, παλαιὸν ὄνομα, ἢ μέτοχος.] Sed μεταιχὸς legendum docuit vir celeberr. P. Wesseling *probabil. cap.* XXXII. *p.* 285. Pro παλαιὸν maluerim: πάλαι ὅρους, sive παλαιὸν ὄνομα, (uti Phavorinus habet) vetustissimo quippe tempore monti Γαλαὰδ nomen imposuit Iacob, *Gen.* XXXI. *vers.* 48. Alia coniecit Iac. Rhenferd. cuius *notam* ad *h. l.* edidit Isebr. Eil. Harkenroth, *periculo Critico* inserto *Bibl. Brem. cl.* VIII. *fasc.* II. In *Le-*

xico Origen. ex emendatione Martianaei legitur, pag. 199. Γαλαὰδ, κατοικία, μαρτυρία Ἰακώβου. Γάλγαλα, πόλις ἔνθα ἔθυον.] Ita enim omnino scribendum. vid. glossarii Albertini supplem. pag. 55. Ratio impositi nominis ex Ios. V. vers. 9. petenda est: opprobrium Aegypti גלותי, et vocatus fuit locus גלגל Γάλγαλα. Ad glossam illustrandam faciunt praecipue I. Sam. XV. 21. elegit populus egregias pecudes, θῦσαι ἐνώπιον κυρίου ἡμῶν ἐν Γαλγάλοις. Ibid. cap. XI. vers. 15. Saulem unxit Samuel ἐν Γαλγάλοις, καὶ ἔθυσεν ἐκεῖ θυσίας. Vid. lex. Origen. pag. 199.

Γείωρας. γείτονας ἐξ ἄλλου γένους, καλουμένους τῷ Ἰσραὴλ προσηλύτους.] Vocabulum προσήλυτος Syrus N. F. interpres, ubicunque occurrit, reddidit ܓܝܘܪܐ giouro, quod ipsum est γείωρας. Errant enim, qui vocabulum in Graecia ortum crediderunt. Tangere videtur grammaticus Iesai. XIV. 1. ὁ γείωρας (גר) προστεθήσεται πρὸς αὐτούς. Conf. ibi Ioh. Drusium, et Ioh. Alberti ad glossar. pag. 6. Vid. quoque Phavor. in Γειῶραι. lex. Orig. p. 201. Γηώρας, ὁ πάροικος. Hieron. Georas, ruminatio, vel incolatus. Rectius fortasse legeretur in Hesych. Γ. γείτων, ὃς ἐξ ἀ. χ. καλλώμενος τῷ Ἰσραὴλ, προσήλυτος.

Γνόφος, συνέφεια, δῖνος, — ἀχλύς.] L. Γ., συννέφεια, δῖνος, — ἀ. Etenim συννεφὲς, σκοταινόν. Iob III. 5. ubi LXX. vertunt: ἐπέλθοι ἐπ' αὐτὴν γνόφος. Symm. scripsit ἀχλύς. Theod. συννέφεια; male enim editum συνέφ.

Γόμορρα, μέτρον, στάσις.] Receptam lectionem metuit clariss. Patrophilus, d. l. Duplex tradit nominis עמרה etymon, in μέτρον ad עמר respiciens, γόμορ enim, scribente Phavorino, εἶδος μέτρου Ἑβραϊκοῦ. Sed quid erit στάσις? Quasi

scriptum foret: עמרה a עמור στάσις. Nam ר et ה confundebant glossographi. *lex. Origen. pag.* 201. Γόμοῤῥα, λαοῦ Φόβημα, (ex עם et מורא *timor.*) ἢ τύφλωσις, ἢ στείρωσις. Vid. cl. Albert. *ad gloss.* v. Σόδομα, *pag.* 49.

Δειβὼν, ῥύσις ἑρμηνεύεται, κ. λ.] Egregie hanc urbem constituerunt Iacobus Tamuavius, et Isebr. Eilard. Harkenrothius, in *Biblioth. Brem. classe* VIII. *fasc.* II. §. 7 *et fasc.* IV. §. 8. Conf. etiam vener. Martianay, *comment. ad lib. de nomin. Hebr. pag.* 310. *Ies.* XV. *vers. ult.* Vrbs Δειβὼν, in textu דימון, a Gr. Δειμὼν scribitur, quod postremum in Hesych. reponendum suspicatur magnus Wesseling. *probab. l. c. p.* 284. cui omnino adsurgendum videtur. Verumtamen receptam lectionem forsan etymon stabilire posset, זב enim in nominum compositione ῥύσιν interpretatur glossator Hesychianus. Infra legas: Ζαβουλὼν, ῥύσις νυκτερινὴ, τουτέστι χύσις σκότους, זבלון ex זב ῥύσις et לין νυκτερινή. Alio modo nomen exponitur in *append. ad glossar. Albertinum*, *p.* 223. Conf. *lex. Orig. pag.* 207. *Cod. Colbert. pag.* 257. Philonem Iudaeum, ap. Martianaeum, *ibid. p.* 99. et alia. Verum nominis rationem Moses tradidit. *Gen.* XXX. 20. ubi vid. harum rerum studiosissimus Drusius.

Δήλων, ὁράσεων, ἐνυπνίων.] Vtuntur hac voce in vertendo vocabulo תרפים *Hos.* III. 4. οὐδὲ ἱερατείας, οὐδὲ δήλων.

Διαβουλία, ἀμφιβολία, ἐνθυμήματα, διαλογισμοί.] Cl. Alberti, *periculo critica p.* 77. olim scriptum fuisse hariolatur: Διαβουλία, ἀμφιβολία. Διαβουλίαι, ἐνθ. διαλ. Pace viri vener. aliter existimem, sive enim legendum: Διαβούλια, ἀμφιβολίαι, ἐνθ. διαλ. seu, quod maluerim, nihil tentandum, modo primum vocabulum διαβουλία pronuntietur, si ad ἀμφιβολία referatur, διαβούλια

autem, si ad reliqua. Huiuscemodi alia in hoc libro reperire licet. Infra quoque, ubi extat: τὰ διάβουλα, τοὺς διαλογισμοὺς, scribi debet τὰ διαβούλια, respicit enim Hoseae interpretem, qui *cap.* IV. *vers.* 9. τὰ διαβούλια αὐτοῦ scribit ἀνταποδώσω αὐτῷ. Adde *cap.* V. *vers.* 4. et VII. *vers.* 2.

Διὰλ, τὴν ἔλαφον, Χαλδαῖοι.] Nisi fortasse sit vox Orient. איל ἔλαφος, cum praefixo *Chald.* דאיל a nonnemine Διὰλ pronuntiata, faciendum est cum Sopingio.

Διαπεφωνήκαμεν, ἀπωλόμεθα.] Lubet appingere locum concisum interpretis *Ezechielis*, qui prae reliquis sermonis Graeci elegantiam sectatus videtur, *cap.* XXXVII. *vers.* 11. ἀπόλωλεν ἡ ἐλπὶς ἡμῶν, διαπεφωνήκαμεν. *spes nostra concidit, periimus.*

Δι' ἔνδειαν φρενῶν, διὰ μωρίαν.] Tangit *Proverb.* VI. *vers.* 32. Ὁ δὲ μοιχὸς δι' ἔνδειαν φρενῶν ἀπώλειαν τῇ ψυχῇ αὐτοῦ περιποιεῖται.

Διχηλοῦν, δύο ὅπλα ἔχειν.] L. Δ. δύο ὁπλὰς ἔχον. Namque χηλὴ est ὁπλὴ, sive ὄνυξ βοός. Vocabulum transumpsit ex *Levit. cap.* XI. *vers.* 3. κτῆνος διχηλοῦν ὁπλήν.

Δραχμὴ, — ἐν χρυσῷ καὶ ἀργύρῳ ὀγδοηκοστόν ἐστιν οὐγγίας· οὕτω γὰρ εὑρίσκονται οἱ εἴκοσι ὀβολοὶ [δίδραχμον ἐν τῷ Λευιτικῷ.] Ita legi debet haec glossa, quae *pag.* 272. alieno loco post v. δρίον occurrit. Respexit procul dubio *Levit. cap.* XXVII. 25. εἴκοσι ὀβολοὶ ἔσται τὸ δίδραχμον. Conf. *Exod.* XXX. 13. et Cartwrightum.

Δυσάλωτος, μὴ ἐκφεῦγον.] Quod sequitur δυσάλωτον, δυσχερῶς κρατούμενον, librarium decepit. Qui mecum sentiet, scribendum videbit: Δυσάλυκτον, μὴ ἐκφευκΤΟ'Ν. Aut fallor, aut nostro obversatus est *Sapient. cap.* XVII. *versus* 17. τὴν δυσάλυκτον ἔμενεν ἀνάγκην.

Ἑάλω, ἐκρατήθη, ἠλέγχθη.] Fortasse ἐλήφθη, infra enim Ἥλω, ἐλήφθη, ἐκρατήθη. Idem suadent sequentia: ἑαλωκότων, ληφθέντων. et ἑάλωσαν, ἐλήφθησαν. Vid. *Ierem.* LI. *vers.* 56. Interpres *Ezech. cap.* XXXIII. 21. ἦλθε πρός με ὁ ἀνασωθεὶς ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ, λέγων Ἑάλω ἡ πόλις. Atticam vocem adhibuit interpres. Thomas Mag. Ἑάλωκεν, οἱ Ἀττικοὶ, οὐχ ἥλωκε, καὶ ἑάλω, οὐχ ἥλω, τὸ δὲ ἐλήφθη κοινότερον. Eadem leguntur apud Phavorinum.

Ἐδὲμ, τρυφή.] Temere tentavit editor, vocabulum Ἐδὲμ (ita enim scribunt Gr.) recte exposuit; verbum enim עדן significat *beate vivere*. Ex prava pronuntiatione ortum videtur, quod in *lexico Origeniano* scribitur, Αἰδὲμ, αἱμάτωσις, ἢ τρυφὴ, *pag.* 187. in αἱμάτωσις ad דם respicitur. Conf. *pag.* 206. ubi ἐδὲμ exponitur.

Ἐκτομὰς, εὐνοῦχος, σπάδων.] Scribendum videtur: ἐκτομίας. (vid. in ἰδάρυας.) Postea reperietur: Ἐντομίαι, ἐντομίας, εὐνοῦχος, forsan: ἐντομίας, ἐκτομίας, e. Legas etiam apud Hesych. Θλιβίας, θλαδίας, σπάδων. Adhibuerunt interpretes Graeci: *Levit.* XXII. 24. θλαδίαν, καὶ ἐκτεθλιμμένον, καὶ ἐκτομίαν, — οὐ προσάξεις αὐτὰ τῷ κυρίῳ.

Ἐλεαλὴ, θεοῦ ἀνάβασις ἐν ὑπερηφανείᾳ.] Eadem, uti plerumque fieri solet, apud Phavorinum leguntur. vid. quae ad hunc locum monuit cl. Petrus Wesseling. *d. l. pag.* 285. Quibuscum conf. Patrophil. *d. l. p.* 127. In ἀνάβασις ἐν ὑπερηφανείᾳ respiciunt potestatem verbi עלה, qua non solum *adscendere*, sed et *elato animo incedere*, ὑπερηφανεῖν, μεγαλίζεσθαι, significat. Nomen Ἐλεαλὴ repone in *lexico Origen. pag.* 208. ubi editum: Ἐλεηλὰ, θεοῦ ἐπίγνωσις. Hieron. *lib. de nom. Hebr. p.* 19. *Elale, ad adscensum.*

Ἔλικα, κλήματι, ἀμπέλῳ.] Frustra fortasse sana scriptura in notis sollicitata est. Tangit locum Gen. XLIX. vers. 11. δεσμεύων πρὸς ἄμπελον τὸν πῶλον αὐτοῦ, καὶ τῇ ἕλικι τὸν πῶλον τῆς ὄνου αὐτοῦ. Vocabulum שרקה, quod hic loci ἕλικα, alibi ἄμπελον sunt interpretati. Vid. hoc ipsum vocabulum apud Hesych. expositum in Σωρήχ, et ibi peritiss. Sopingium. Glossae: ἕλιξ ἀμπέλου, Pampinus, Clavicula, Corimbi.

Ἐνγήρα πίονι, γῆρας λιπαρόν.] Exponit locutionem Hebraicam, obviam Ps. XCII. 14. Τότε πληθυνθήσονται ἐν γήρᾳ πίονι. Rectius exposuit Suidas: ἐν γήρει πίονι. ἐν πλήθει ἐτῶν. Apud Phavorin. etiam invenies ἐν γήρα πίονι, ἐν πλήθει ἐτῶν, ἢ γῆρας λιπαρόν.

Ἐνεδρεύει, δόλον μηχανᾶται. † Ἐνκάθεται, κατατηρεῖ.] Tolle primum distinctionem, tum pro ἐνκάθεται scribe ἐγκάθηται. Illa enim inter se permutantur. Psalm. X. quod enim vs. 9., ἐγκάθηται ἐν ἐνέδρᾳ (ita enim scribi debet) μετὰ πλουσίων, vers. seq. dicitur: ἐνεδρεύει ἐν ἀποκρύφῳ, ὡς λέων ἐν τῇ μάνδρᾳ αὐτοῦ.

Ἐνεῖχον, ἐχόλουν, ὠργίζοντο.] Henr. Steph. codici suo adscripserat: vide ἐνέχει. Vnde colligi poterat, lectionem receptam non esse tentandam. Reperit glossographus vocabulum istud Gen. XLIX. vs. 23. usurpatum, ἐνεῖχον αὐτῷ κύριοι τοξευμάτων.

Ἐν μακρύμμασιν, ἐν ἀποστασίαις.] L. ἐν μακρύμμασι, quod habetur Ezrae IX. vers. 11.

Ἐνσικυηράτῳ, τόπος σικυδίων.] Vnica littera perverse posita fecit, ut acutissimus Sopingius hic prorsus caecutiret. Quis enim viro docto crederet, coniectanti: ἐν σεκρήτῳ κ. τ. λ.? Monstravit veram vocis scripturam summus Salmas. legendo: ἐν σικυηλάτῳ. Scripserat glossographus: ἐν σικυηράτῳ. Vti notum est, litterarum H et K

adfines ductus Hesychiani libri descriptores frequentissime deceperunt. Tangit *Iesai.* I. *vers.* 8. ἐγκαταλειφθήσεται ἡ θυγάτηρ Σιὼν, — ὡς ὀπωροφυλάκιον ἐν σικυηράτῳ. Apud Phavor. quoque editum ἐν σικυηράτῳ: *Glossae:* σικυήλατον, *Cucumerarium.* Lege: σικυήλατον.

Ἐπαρυστρίδες, ἐλαιοχύται.] *Candelabri infundibula* ita vocantur *Zach.* IV. *vers.* 2. Vid. Hesych. in ἀρυστίχους.

Ἐπέσχαζεν, ἐχώλευεν.] Σχάζειν et σκάζειν prorsus diversa sunt, quorum postremum χωλεύειν significat. Lege igitur ἐπέσκαζεν. *Gen.* XXXII. 31. Iacob ἐπέσκαζε τῷ μηρῷ αὐτοῦ.

Ἐπέτειον, ἐπὶ τοῦ νῦν ἔτους.] *Deut.* XV. *vers.* 18. ἐπέτειον μισθὸν scripserunt LXX. Sed eadem pagina post ἐπεστιασώμεθα legitur: Ἐπέτειον, ἔποικον, κατάλυμα, ubi tamen quin sit reponendum ἐπέστιον, nullus dubitaverim; ita enim ἐφέστιον pronuntiabant Iones: paulo post ἐπέται — ἐφέται: hinae enim glossae in unam coalescere debent. Quin etiam ἐπίστιον *pag.* 565. *b.* expositum invenies οἴκημα, κατάλυμα, et ab Homero usurpatum *Odyss.* Z. *vers.* 265.

— πᾶσιν γὰρ ἐπίστιόν ἐστιν ἑκάστῳ.

Schol. ἐποίκιον, σκηνὴ, κ. λ. Iupiter ἐπίστιος Herodoto memoratur *lib.* I. *cap.* XLIV.

Ἐρικτὰ, σῖτος πεφρυγμένος, καὶ κοπτόμενος ὡς ἄλφιτα, σχιστὰ ἄλευρα.] Vid. Drusius, ad *Levit.* II. *vers.* 14. ubi leges: νέα πεφρυγμένα χίδρα ἐρικτὰ τῷ κυρίῳ. Est ab ἐρείκω, sive ἐρίκω. Hesych. Ἐρείκει, σχίζει, πρίζει, ubi Guieto πτίζει scribenti minime adsentior.

Εὐεικτεῖ, εὐρωστεῖ, ὑγιαίνει.] Primum verbum optime ab H. Steph. mutatum est in εὐεκτεῖ. Sequitur: Εὐεικτῶς, σχετικῶς, ubi tamen etiam εὐεκτῶς fortasse ponendum. Verbo εὐεκτεῖν usi fuerunt Ale-

xandrini, *Prov.* XVII. *vers.* 22. Καρδία εὐφραινομένη εὐεκτεῖν ποιεῖ. Εὐεξία, in Hesychio ὑγίεια expositum, legitur apud *Syrachid.* ubi de sanitatis praestantia disserit, *cap.* XXX. *vs.* 15. Ὑγίεια, inquit, *καὶ εὐεξία βέλτιον παντὸς χρυσίου. Glossae veteres:* εὐεξία σώματος. *Incolumitas, sanitas.* Infra invenies apud Hesychium: εὐήκοον, ὀξύ. † Εὐεκτοῦν, — ἀκμάζον. † Εὐρωστοῦν, εὔπλευρον. Pro εὐεκτοῦν Steph. εὐήκεον scribendum censuit. Praestiterit, credo, sublatis binis distinctionum signis, omnia habuisse vocis Εὐήκοον interpretationes. Sequitur enim ibid. paucis interiectis εὐήκης, ἀκμάζουσα, εὐεκτοῦσα. Ab Ἀκη, — ἡσυχία, pro quo infra legitur ἤκη. Possent forsan etiam ita *ll.* citata reformari: Εὐήκοον, ὀξύ. † Εὐηκτοῦν, — α. εὐρωστοῦν, ε. Ita quoque in suo codice reperisse videtur Phavor. Scribit enim: Εὐηκτοῦν, εὖ ἠκονημένον, ἀκμάζον.

— Εὔιλατον, ἰδία.] Acutissimus D'Arnaudius Δία legendum coniectabat, ut εὔιλατος Iovis habeatur epitheton. Non facile quis in animum suum inducet, ut credat, veram scripturam esse: ΕΥΙΑ ΔΙΟΝΥCΙΑ, a qua non longe discedit ΕΥΙΛΑΤΟΝ ΙΔΙΑ. Fortasse praestiterit, posuisse: εὔιλατον, ἱλᾶς, pro ἵλαον. Isto sensu certe vocabulum εὔιλατος usurparunt LXX. *Psalm.* XCIX. *vs.* 8. εὐίλατος ἐγίνου αὐτοῖς. Hesych. verbum εὐιλατεύειν, obvium *Deuter.* XXIX. 20., reddidit εὐμενῆ εἶναι.

— Εὐρίζων, ἀγαλλιάματι, κ. τ. λ.] *Psalmo* XLVIII. *vs.* 2. ubi haec leguntur, olim scriptum fuisse εὐρίζων ἀγαλλ. monuit clariss. Wesseling, doctor meus, in *probabil. pag.* 286. Sed et ibi loci prava versuum distinctio codd. nostros occupavit; legendum enim: ἐν ὄρει ἁγίῳ αὐτοῦ, εὐρίζων ἀγαλλιάματι πάσης τῆς γῆς. Reliquos interpretes, quos ad *h. l.* diligentissimus Drusius contulit, legisse

iuvaverit. Aquila reddidit: καλῷ βλαστήματι χάρματι πάσης τῆς γῆς. Theodot. εὐρίζῳ. Male enim editum εὐρίτῳ.

Ἐφοὺδ, βὰρ, ἱερατικὸν ἔνδυμα, τὸ δὲ βὰρ, μικρὸν λέγεται.] Rectius dixisset: Ἐφοὺδ βὰδ, i. e., τὸ δὲ βὰδ λινοῦν λέγεται. (Supra p. 177 βαδδὶν exposuit, βύσσινον ἔνδυμα εἰς ἱερέας.) nec tamen dubitem, quin antiquam glossatoris scripturam recepta lectio repraesentet. (supra: βὰρ, μικρόν.) Respicit I. *Sam.* II. *vs.* 18, ubi puerulus Samuel legitur fuisse accinctus אֵפוֹד בָּד. Symm. λινοῦν; verum Alexandrini reddiderunt: Ἐφοὺδ βὰδ, ubi in aliis codicibus, quos secutus est noster, ἐφοὺδ βάρ. Conf. Ioh. Drusium, et Eduardum Bernard. apud Wolfium, *anecdot. Graec. tom.* IV, *p.* 250. Caeterum perhibere glossographus ab hoc vestimento istud summi Hebraeorum Pontificis, quod eximie *Ephod* nominabatur, diversum statuisse videtur, Ἐφοὺδ, inquiens in seq. glossa, Ἑλληνικῇ ἐπωμίδι προσέοικεν.

Ἐχόμενα τρίβου, πλησίον, ἐγγυτάτω.] Praetermisit in nota Sopingius locum, ad hanc glossam illustrandam prae aliis opportunum, *Psalm.* CXL. *vs.* 5. ἐχόμενα τρίβου σκάνδαλα ἔθεντό μοι.

Ζωπυρεῖ, ἀναζεῖν ποιεῖ.] Vulgato errore ει et η confuderunt. L. ἀναζῆν ποιεῖ, quo sensu verbum ζωπυρεῖν adhibuerunt interpretes Graeci II. *Reg.* VIII. *vs.* 1. *dixit mulieri*, ἧς ἐζωπύρησε τὸν υἱὸν, et *vs.* 5. *narrabat Regi*, ὡς ἐζωπύρησεν υἱὸν τεθνηκότα, ubi alii vertunt: ἐζωοποίησε.

Ζωτικὸς, οἰοστερεῖν.] Ex binis, quae Lambertus Bos, in *observat. criticis p.* 63. coniectavit, alterum omnino eligendum est. Vnusquisque enim οἷος τηρεῖν veram esse scripturam facile perspiciet.

Praecedenti pagina ζωπύρας interpretatur ζωτικάς. Vsus etiam est hac voce scriptor *lib. Sapient. Salom. cap.* XV. *vers.* 11. ἠγνόησε — τὸν ἐμπνεύσαντα αὐτῷ ψυχὴν ἐνεργοῦσαν, καὶ ἐμφυσήσαντα πνεῦμα ζωτικόν. *Glossae*: Ζωτικὸς, *Vitalis*. Ζωτικὸν, *Vividum*.

Ἡδόκωσις, ἡ στέγη.] Quinimo ἡ δόκωσις. Tangit *Eccles.* X. 18. ἐν ὀκνηρίαις ταπεινωθήσεται ἡ δόκωσις.

Ἡδω, ἶρις, ἤγουν τόξον.] Legitur glossa ante ἡδυεπής. Lapsus est Guietus, dum vocabulum Graecum arbitratus, hanc notam scripsit: „*an* παρὰ τὸ „ἦδος? *id est* τοῖς ὀφθαλμοῖς ἡδεῖα ἶρις." Vocabulum ἡδω Hebraicum est, sed corruptum, et nihil prorsus dicit. Vbi enim *Iob.* XXXVII *vers.* 30. in textu Hebraico legitur, *expandit super eum oro*, *lucem suam*, φῶς αὐτοῦ, uti recte Symmachus interpretatur, LXX interpretes scripserunt: ἐκτενεῖ ἐπ' αὐτὸν ἠδω, quasi legerint אידו. Alii de arcu coelesti hic cogitandum rati, τόξον interpretantur. Conferendus est ad citatum locum clariss. Drusius.

Θρῆσκος, ἑτερόδοξος, εὐσεβής.] Ita legendum videtur pro εὐγενής. Nihil hic video, quod difficultatem movere potuerit Pricaeo, *ad Iacob.* I. 26. Docere videtur glossographus, vocabulum duplici significatu usurpari, ut prima potestate *hominem* dicat *superstitioni deditum*, cuius somnia veri numinis religioni prorsus sint adversa, atque adeo ἑτερόδοξον; tum etiam *hominem integrum*, et masculae pietatis cultorem, εὐσεβῆ. Quid si pro εὐγενὴς apud Hesych. scriberetur εὐδοξής? *id est* ὀρθόδοξος. Illud certe facillime in εὐγενὴς ab imperito mutari potuit. Supra *pag.* 275. ad reperire licet: Δυσγενὴς, ἐχθρὸς, ubi Fungerus maluit δυσμενὴς, sed procul dubio antiqua scriptura

est: Δυσδηνής, paulo enim post reperias: Δυσδηνίας (L. δυσδηνέας), κακὰ βουλευομένους.

Ἰάκωβος, πτερνιστής, πόνος.] Plerumque semper vocabula Hebraica extra litterarum seriem collocantur. Haec glossa legitur in initio fere istius litterae I. Duplex tradit etymon, quorum prius veritate se commendat, nam Iacob ἐν τῇ κοιλίᾳ ἐπτέρνισε (עקב) τὸν ἀδελφὸν, sicuti legitur *Hos.* XII. 3. et a Mose fuerat adnotatum. Altera originatio glossatorum ingenium redolet, respicientium ad verbum כאב, unde כאב dolor, et מכאוב, quod idem dicit. Conf. *lex. Orig. pag.* 211.

Ἰασοὺβ, ἐπιστρέφων.] Filius Iesaiae *Sear-Iasub* dicebatur. *Iesai.* VII. *vers.* 3. *dixit Iehova ad Iesaiam, obviam egredere Achaso, tu et* שאר ישוב בנך *Sear-Iasub filius tuus.* LXX. vertunt σὺ, καὶ ὁ καταλειφθεὶς Ἰασοὺβ ὁ υἱός σου. Recte nomen exponit, deducens a שוב ἐπιστρέφειν. Hieronymus: *Iasub, revertens.* In *lex. Origen. Colbertino codice pag.* 259. Ἰασοὺφ, ἐπιστροφή. Glossam, quae hanc praecessit ap. Hesych. erudite constituit Ioh. Christ. Biel, *in singulari observatione* inserta *Bibl. Brem. cl.* VI. *fasc.* V. §. XI.

Ἴεσσα, γεγονυῖα ἐντολὴ καθ᾽ ὑπόκρισιν.] Respici *Ies.* XV. monstravit Patrophilus, ubi *vs.* 4. urbs Moabitidis, ut videtur, Ἰασσὰ nuncupatur, Hebraeis יהץ; in quo nomine interpretando difficillimas nugas proferunt. Origenes in *lexico pag.* 211. Ἰασὰ, γεγονυῖα ἐντολή. Adludunt, uti mihi quidem videtur, ad verba היה, et צוה, unde צו, ἐντολή. Hinc etiam lucem accipit alter eiusdem glossarii Origeniani locus, ubi: Ἰασσῶν; — γεννήσης ἐντολῆς. Vid. Martianeum. Sed, quasi ubi dum satis erat ineptiarum, καθ᾽ ὑπόκρισιν addidit noster. Acute! namque v. השיא (a נשא) *decipiendi, simulandi* significatum possidet. Hieronymus: *Iassa,*

dimidia, (חצי *dimidium* dicit) *vel factum mandatum.* Verum observemus potius, omnium fere nominum, quorum *Iesaiae cap.* XV. occurrit mentio, in Hesychii lexico reperiri expositionem. Obvia enim sequentia deprehendas apud glossographum nostrum: Ἀδάμα, Ἀριὴλ, Ἀραβὰ, (ita enim legendum videtur, ubi editum Ἀραβία, τόπος Συρίας) Δεηβὼν, Ἐλεαλὴ, Ἐσεβὼν, Ναβάν. et ex *cap.* XVI. *vs.* 8. יעזר Ἰαζὴρ, ubi conf. cl. Wesseling. *probab. p.* 287.

Ἰωαθὰμ, ἰαὼ συντέλεια.] Nomen יותם recte videntur exposuisse, ex תם συντέλεια et יהוה derivantes. Confer reverend. Martianay, *ad Hieron. tom.* II. *pag.* 94. ubi super hac glossa et duabus sequentibus disserit. Isidor. Hispal. *origin. lib.* VII. *cap.* VI. *Ioatham est perfectus. Pulchram etymologiam nominis habet. Fecit enim rectum in conspectu domini, etc.* Infra quoque legas: Ὀζείας, ἰσχὺς Ἰαώ. Rectissime, ex עז et יהוה, Ἰαώ, ita enim, uti notissimum, pronuntiabant. In *lex. Origen. pag.* 211. Ἰαὼ, κύριος, ἢ Θεὸς, ἢ ἀόρατος. Hieron. *Iao, dominus.* Phavorin. Ἰαὼ, ἡ σωτηρία ἡ παρ' Ἑβραίοις, cui forsan obversatum nomen Ἰησοῦς.

Ἰωνᾶς, ἑρμηνεύεται ὑψίστου πονοῦντοστο κ. τ. λ.] Illud πονοῦντοστο non librariis, sed negligentiae Schrevelii acceptum referri debet; recte enim in *Aldina editione* scriptum: πονοῦντος. Inspice, quaeso, Wolfii *anecdot. Gr. tom.* IV. *pag.* 254. ubi illa ὑψίστου πονοῦντος ab hac glossa abire iussit Eduard. Bernardus. Immerito: eadem enim, quae in Hesychii huius lexico, ad nomen Ἰωνᾶς (et Ἰωὴλ) notata sunt, reperies apud Hesychium Hierosolym. *dicti libri col. m.* 50. In voce πονοῦντος respiciunt v. ינה, unde יונה *oppressor.* Quomodo ὑψίστου significatus ex nomine Prophe-

tae exsculpi potuerit, Martianaeum latuit, nec mirum: etenim non facile mihi persuaderi patior, vocem עלין ineptiendi hominibus istis materiam praebuisse. Nae ingeniosa est eruditi d'Arnaudii coniectatio, qua ad vocem עין adlusum, et ὄψις τοῦ πονοῦντος olim scriptum fuisse suspicabatur.

Καὶ ἐπεστήρισας, ὠργίσθης, ἢ ἐπεστήριξας.] Non nisi integra locutio, quae *Ps.* XXXVIII. *vs.* 2. occurrit: καὶ ἐπεστήριξας ἐπ' ἐμὲ τὴν χεῖρά σου, reddi potuit ὠργίσθης. In aliis codd. ibi legebatur ἐπεστήρισας.

Καλαμᾶται, τρυγᾷ τὰ ἀνώτερα μέρη τῶν ἐλαιῶν.] *Notandum*, inquit vir doctus, *verbum* καλαμᾶσθαι *ad olivarum vindemiam ab Hesychio referri.* Eo sensu adhibuerunt LXX. *Ierem.* XXIV. 13. qui locus ad Hesychium illustrandum videtur opportunus: ὃν τρόπον ἐάν τις καλαμήσηται ἐλαίαν, οὕτως καλαμήσονται αὐτούς· καὶ ἐὰν παύσηται ὁ τρυγητός. Infra ad v. καλαμώμενος vid. *Sirachid. cap.* XXXIII. *vers.* 20.

Καρύαι, τὰς ἀμυγδάλους καὶ καστάνους καὶ τόπους Ἀρτέμιδος καὶ ἑορτὴ καρύα.] In *notis MSS.* quas Iohannes Fungerus codici suo, quem Biblioth. Franequerana possidet, adlevit, haec reperio: »L. ἀμύγδαλοι καὶ καστάνοι, καὶ τόποι »ἀρτ. vel Καρύας ἔλεγον τὰς etc. *Sed prior lectio »magis arridet.*" Verum facillima emendandi methodus reperiri poterit, modo ultimum vocabulum, quod Salmas. in καρυᾶτις mutandum suspicabatur, primae καρύαι loco reposueris, et pro τόπους cum Soping. τόπος. Non raro in hoc libro deprehendere licet, ultimum glossae vocabulum primi esse emendationem, quae primum margini adscripta lapsu temporis textui inserta fuerit. Tangit fortasse grammaticus locum *Genes.* XLIII. *vers.* 11. *adferte viro isti dona* — θυμίαμά τε, καὶ στακτὴν, καὶ

τερέβινθον, καὶ κάρυα. Aquila שקרים hic loci ἀμύγδαλα interpretatur. Χωρίον autem τῆς Λακωνικῆς, quod in τόπος respexisse videtur, dicebatur Κάρυα, monente Stephano in *voce*. Suidas: Καρύα, τὸ δένδρον, κάρυα δὲ ὁ καρπός.

Καταπεπολτωμένα, καταπεπινακωμένα.] Neutrum intelligo. Scribendumne fortasse καταπεπελματωμένα, καταπεπιττακωμένα? Vocabulum rarissimi usus usurparunt LXX. *Iosuae* IX. *vers.* 5. ubi de Gibeonitis loquitur auctor, τὰ κοῖλα τῶν ὑποδημάτων αὐτῶν, καὶ τὰ σανδάλια αὐτῶν παλαιὰ καὶ καταπεπελματωμένα ἐν τοῖς ποσὶν αὐτῶν. In Hebraeo codice legitur נעלות מטלאות *calceamenta maculosa.* Est, qui reddiderit: *calceos diversis solearum frustis suppactos.* Hieron. apud Drus. ad *h. l. sunt*, inquit, *calceamenta perantiqua, quae ad indicium vetustatis pittaciis consuta erant.* Vid. Andream Masium. Πέλμα ab Hesych. exponitur τὸ κάτω τοῦ ποδὸς, *solea.* Vid. Polluc. *lib.* I. §. 90. Cogitaveram, an forsan legi posset apud Hesych. καταπεπιναρωμένα, a πιναρὸς, ῥυπαρὸς, *sordidus.* Apud Suidam legitur: πεπελτωμένα, πεπιναρωμένα. Quid si et ibi scribendum esset πεπελματωμένα? sed alii iudicent.

Κατοιόμενος, — ὑπερηφανευόμενος.] Phavor. exponit: ὁ νομίζων ἑαυτὸν μέγαν. Eo sensu occurrere videtur *Habac.* II. *vers.* 5. ὁ δὲ κατοιόμενος, καὶ καταφρονητὴς, ἀνὴρ ἀλαζὼν οὐδὲν μὴ περανεῖ. Potuit tamen etiam alterum glossema ὁ μὴ μετὰ πληροφορίας πιστεύων (uti cum Heinsio legendum) ad locum Habacuci fuisse effictum, quem locum praecesserunt: ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεώς μου ζήσεται. alii cod. ibid. legunt: κατοινούμενος, quod rectius vocem Hebr. exprimit.

Κειρέαι, κειραίαι.] Fortasse legendum: Κειρίαι, κειρεῖαι. *Glossae*: Κειρίαι, *instita. Iohan.* XI.

N

vers. 44. ἐξῆλθεν ὁ τεθνηκὼς, δεδεμένος τοὺς πόδας καὶ τὰς χεῖρας κειρίαις, ubi in aliis codicibus scriptum: κηρίαις, quod Hesychio videtur insertum, nam apud eum reperias: Κηρείαις, ἐπιθανάτια ἐντετυλιγμένα.

Κεῖθρα, μοχλοὶ ἀσφαλείας πύλαι.] Recte *Aldina editio*: Κλεῖθρα, μοχλοί. Legitur quidem apud Hesych. πλῆθρον, κλῆθρον, monente Sebero, ad *Poll. lib.* VII. *segm.* 107. κλεῖθρον tamen etiam, quae genuina huius vocabuli videtur scriptura, plus semel in hoc libro reperies. Vocabulum κληϊσταὶ obvium *Odyss.* β. *vers.* 344. exponitur, κλείθροις ἠσφαλισμέναι. Ita quoque *p.* 650. Μοχλοὶ, κλεῖθρα. Post κλινθήτην legitur: Κλῆθρα, — μοχλός. L. μοχλοί. Apud LXX. Κλεῖθρον scribitur, *Iob.* XXXVIII. *vers.* 10. ubi iungunt κλεῖθρα καὶ πύλας. adde *Nehem.* III. *vers.* 6. Porro mendum latet in ἀσφαλείας πύλαι apud Hesych. Malim: ἀσφάλειαι πύλης. Apud *Poll. lib.* I. *segmenti* 77. titulus est: αἱ ἀσφάλειαι, ubi Pollux, τὰ δὲ εἰς ἀσφάλειαν, inquit, κλεῖθρα, μοχλοί. Aut potius: ἀσφάλειαι, πύλαι, uti legit Phavorinus. Caetera vocabulum κλεῖθρον Homeri aevo nondum usu invaluerat, is enim eius loco κληῖδα usurpavit.

Κνίζων, ἢ κνιζείων λυπῶν, ἢ συκάμινα τέμνων.] Fallitur, qui egregie plerumque Hesychium sanavit, Gothofredus Sopingius, dum pro συκάμινα τέμνων scribendum hariolatur: κάμμινα τέμνων. Nihil tentandum monstrat locus *Amos* VII. *vers.* 14. οὐκ ἤμην προφήτης ἐγὼ, ἀλλ' ἢ αἰπόλος ἤμην, καὶ κνίζων συκάμινα. Opportuno autem LXX. verbum κνίζειν adhibuerunt, modo certa sit Vatabli ad *h. l.* observatio. Phavorinus in v. κνίζειν, — Φασὶ, scribit, τὴν συκάμινον κάθυγρον οὖσαν κατατέμνεσθαι ξίφεσι τῶν γεωργῶν τὰν.

φλοῦν αὐτῆς. Non autem existimandum, ordinem vocabulorum ap. Hesych. mutandum esse, aut aliquid inserendum. Vid. Thomam Munker. *ad Antonin. Liberal. pag.* 49. Κνίζων exponit Hesych. λυπῶν, ἢ συκάμινα (scilicet κνίζων,) τέμνων.

Κολόχειρ, χείραργος κόλπον ἀνιεμένη τὸ κατὰ τὸ στῆθος μέρος ἀνέλκουσα.] Ingeniose vir eruditus: (Sopingio enim subiectam notam deberi suspicor.) Κολπόχειρ, χείραργος, ἀνιεμένη κόλπον etc. scribendum coniectat. Sed κολόχειρ, χείραργος a reliquis seiungenda indicavit Salmasius. Rectius equidem, nam κόλπον ἀνιεμένη explicat, quae ex Homeri *Iliad.* x. *vers.* 80. desumserat.

Μήτηρ δ' αὖθ' ἑτέρωθεν ὀδύρετο δακρυχέουσα,
Κόλπον ἀνιεμένη, —

Vocabulum κολόχειρ idem dicit quod κολοβόχειρ, adhibitum *Levit.* xxi. *vers.* 17.

Κομψότερον, βελτιώτερον, ἐλαφρότερον.] Martin. legit βέλτερον. Quid si scripserit glossator βελτίστερον, vocem a superlat. βέλτιστος formatam? Infra: Λώϊον, λωΐτερον, βελτίστερον, ubi fortasse βελτίστερον corrigendum; nisi enim Viro D. in *observat. miscell.* sit faciendum. Conferendus ad *h. l.* est Iohannes, *Evangel. cap.* IV. *vers.* 52. ἐπύθετο — παρ' αὐτῶν τὴν ὥραν, ἐν ᾗ κομψότερον ἔσχε.

Κτήτορες, οἰκοδεσπόται, κτίσται.] Vel primum, vel postremum vocabulum in mendo cubat. Cui igitur credendum, an Scaligero, κτῆσται scribenti? an Guieto κτίτορες emendanti? Quinimo Scaligero. Κτήτορες enim hoc significatu a Luca usurpatum invenies in *actis Apostolicis*, *cap.* IV. *vers.* 34. *Glossae*: Κτήτωρ, *possessor*, *bonorum possessor*.

Κῶλα πεσεῖν, τὰ ἄρθρα.] Fortasse legendum: Κῶλα ἔπεσεν, τὰ ἄρθρα. Vsus est scriptor *epistolae ad Hebr. cap.* III. *vers.* 17. ὧν τὰ κῶλα ἔπεσεν ἐν τῇ ἐρήμῳ. Conf. *Num.* XIV. 29. et ibi Ioh. Drusium.

Κωλίαν, ἰγνύαν, τὴν γαστροκνημίαν.] Frustra mallet Soping. κώληπα. Supra legitur: Κωλεὰ - ἀγκαλὶς, - σκέλος ὑὸς ὀπίσθιον. Fieri etiam potest, ut κωλίαν legerit, ubi nunc κωλέαν editum 1 *Sam.* IX. *vers.* 24. ἥψησεν ὁ μάγειρος τὴν κωλέαν.

Μαμβρῆ, ἀπὸ ὁράσεως.] Quo Graecis frequentius est, istiusce formae nominibus μ inserere, eo magis miror, nonneminem receptam apud Hesychium lectionem sollicitasse. Nomen istius loci exponit, ubi habitavit Abram. ממרא. (LXX. Μαμβρῆ pronuntiatum.) ex מ ἀπὸ et מראה ὅρασις. Hieronymus: *Mambri, de visione.* Confer Philonem Iudaeum, apud Martianay *pag.* 105. et *lexicon Origen.* ubi *pag.* 225. Μαμβρὶ, τοῦ υἱοῦ, (a בר) ἢ. ὁράσεως. In *fragmento* V. *lex. Origen. pag.* 162. Μαβρὶ, τοῦ υἱοῦ, et *pag.* 155. Δρῦς Μαβρῆ (ita enim legendum cum Martian.) ὁ τοῦ υἱοῦ Abram *Gen.* XIII. *vers.* 18. habitasse narratur περὶ τὴν δρῦν τὴν Μαμβρῆ.

Μεθοδίτας, τέχνας.] Μεθοδείας τοῦ Διαβόλου memorat Paulus ad *Ephes.* VI. *vers.* 11. Hinc emendandus est Hesychius. Male Schrevelius notam ad sequentia transtulit, quae huc pertinebat.

Μὴ ἀπώσῃ, μὴ ἀποσκορακίσῃς με. κ. λ.] Με, quod ob sequens μὴ excidit, reponendum est post ἀπώσῃ. Tangit l. ex *Psalmo* CXIX. *vers.* 10. μὴ ἀπώσῃ με ἀπὸ τῶν ἐντολῶν σου. Quae sequuntur, itidem ex Psalmis sunt transsumpta.

Μήνιγμα, μήνην.] Quid si: Μηνίαμα, μῆνιν?

Vocabulum μηνίαμα legere licet apud Sirachidem, *cap.* XL. *vers.* 5. ubi μηνίαμα et ἔρις coniunguntur.

Μηρυομένη, ἐκτεινομένη.] Vir doctus ἐκπηνιουμένη emendandum censuit. Erunt tamen etiam, quibus recepta lectio sana videbitur. Locum respicit *Proverb.* XXXI. *vers.* 13. μηρυομένη ἔρια καὶ λίνον ἐποίησεν εὔχρηστον ταῖς χερσὶν αὐτῆς. In praecedenti glossa pro μηρισθία scribi posset ex Iliad. Ψ. *vers.* 854. μηρίνθῳ. *Glossae*: Μήρινθος, *filum.*

Μιχαίας, ἑρμηνείας ταπείνωσις, ἢ ταπεινούμενος.] Lege: ἑρμηνεύεται, sive ἑρμηνεία, ταπείνωσις. Nomen מיכה deducit a מוך ταπεινωθῆναι, unde מוכה ταπείνωσις, sive a נמאך unde in partic. Niph. נמאך ταπεινούμενος. Eodem modo nomen exponit Hesychius Hierosol. *in vita Michae. Lex. Origen. pag.* 225. Μιχαῖος, τίς ὡς ὁ κύριος; (ex מ, כ, et יה) Hieron. *Michaia, quis hic, vel quis dominabitur?* Legitur *in fragm.* 1. *lex. Origen.* Μιχαίας, τίς οὗτος βασιλεύς.

Μοτώσῃ, ἰάσεται δι' ὀθονίων.] Genuinam lectionem μοτώσει reposuit Sopingius. Respicit Grammaticus procul dubio *Hoseae* VI. *vers.* 1. αὐτὸς ἥρπακε, καὶ ἰάσεται ἡμᾶς, πατάξει καὶ μοτώσει ἡμᾶς. Hesychius μοτῶσαι explicuit πληρῶσαι. Scholiasta Homeri *ad Iliad.* Δ. *vers.* 440. ἀμότον.] ἀμότως, ἀπληρώτως, ἀφ' οὗ καὶ μότα, τὰ ἐπιτιθέμενα τοῖς κοίλοις τραύμασιν ὀθόνια, πρὸς ἀναπλήρωσιν τῆς σαρκός.

Μυωπάζων, ὀφθαλμιῶν.] Petrus, II *epistola cap.* 1. *vers.* 9. ᾧ γὰρ, inquit, μὴ πάρεστι ταῦτα, τυφλός ἐστι, μυωπάζων. Hesychius Μυωπιζόμενος explicat ἄκροις τοῖς ὀφθαλμοῖς προσέχων, et μυντιζόμενος, μυωπάζων, παρακαμμύων.

Ὀζείας, ἰσχὺς Ἰαὼ, ὁ αὐτὸς ἐν τῇ δευτέρᾳ τῶν βασιλειῶν Ἀζαρίας.] II *Reg.* XIV. *vers.* 21. עזריה Ἀζαρίας dicitur, qui alibi עזיה Ὀζίας, ita enim scribunt LXX, et Matthaeus. Hieronymus, *Quaest. Hebr. in libros Paralipom. ad cap.* XXVI. *libri posterioris vers.* 1. *in append. ad Opp. tom.* II. *pag.* 62. *Ozias*, inquit, *in Paralipomenon: in Regum Azarias scribitur filius Amasiae. Ozias enim interpretatur virtus Dei* (ex עז et יה) *Azarias, auxilium Dei.* (ex עזר et יה) In *lib. de nom. Hebr.* legitur, *Ozia, fortitudo domini.*

Ὀλισθήμασι, πλάναις, παραπτώμασιν.] Vsus est interpres *Ieremiae cap.* XXXIII. 32. καὶ κατελύσουσιν ὀλισθήμασι πόδα σοῦ. Hunc locum procul dubio monstraverat Sopingius.

Οὐκ ἀπορηθήσεται, οὐ χρήσει.] Ita enim scribendum videtur. Vid. *Iesai.* IX. *vers.* 1. οὐκ ἀπορηθήσεται ὁ ἐν στενοχωρίᾳ ὢν ἕως καιροῦ.

Ὀφλα, ὄνομα χωρίου, ὅπου ἦν τεῖχος Ἱερουσαλήμ.] De loco *Ophel* עפל dicto vide Sam. Petitum, *variarum lection. cap.* XIII. et Relandum *Palaest. tom.* II. *pag.* 855. Varie scribitur nomen istud in Graeca versione. Ὀπελ ex. gr. II *Chron.* XXXIII. *vers.* 14. Ὠφὰλ *Nehem. cap.* III. *vers.* 26. Verum *ibid. vers.* 27. legitur, ἕως τοῦ τείχους ῥφλά.

Παῦλος, θαυμαστὸς ἢ ἐκλεκτὸς σύμβουλος.] Haec post πατράδελφος posita sunt. Glossator nomen deduxit ex v. פלא unde פלא et פלאי, θαυμαστὸς, sive a v. פלה unde פולה, *segregatus*, ἐκλεκτὸς, et יועץ quod vocabulum σύμβουλον significat. Orituri infantis nomen futurum scribit Iesaias *cap.* IX. *vers.* 6. פלא יועץ. Graeci interpretantur: θαυμαστὸς σύμβουλος. Non minus ridendum se praebuit Origenes, dum *in lexico pag.* 229. scripsit: Παῦλος στόμα σαλισμοῦ, adludens, ut vi-

detur, ad פה, στόμα, et ad v. פלץ in *hipp. tremere, concuti*, σαλευθῆναι.

Πεπεμμένην, ζυμωθεῖσαν ἐν κλιβάνῳ.] Graeci, *Levit.* II. *vers.* 4. memorant θυσίαν πεπεμμένην ἐν κλιβάνῳ. Vid. Suidam, in πεπεμμένου πλακοῦντος.

Περίπτερον, ὑψηλόν.] Tangit fortasse locum *Amos.* III. *vers.* 5. συντρίψω τὸν οἶκον τὸν περίπτερον.

Πέταυρον, εἶδος παγίδος.] Iuvaverit integram notam ad hunc locum descripsisse. »Πέταυρον.] a »πετάω, πεταύρω, πέταυρον, τὸ, id est, πέτα»λον, πλατύ. Καὶ ἐπὶ πέταυρον ἄδου συναντᾷ. »Pindar. in Clement. Paedag. *p.* 108. *l.* 37. edit. »Commel. Steph.« Quum illa: καὶ ἐπὶ πέταυρον ἄδου συναντᾷ, quae Pindaro tribuuntur, ex *Proverb.* IX. *vers.* 18. desumta animadverterem, lepidum editoris errorem ridebam; sed absolvit Schrevelium codex Henrici Stephani, quem Biblioth. Franequerana adservat, ubi in *notis MSS. ad h. vocem* lego: »καὶ ἐπὶ πέταυρον ἄδου συναντᾷ in lo»co Pindari qui citatur a Clemente.« Quae haec verba praecedunt in nota Schreveliana, Guieto, reliqua Schrevelio sunt accepta ferenda. Fons, ex quo error H. Stephani manaverit, non facile poterit perspici, nisi ipsum Clementis Alexandr. locum adscripserimus. Reperitur is *Paedag. lib.* III. *pag.* (non 108.) 185. *ed. Commel.* ubi ex *Proverb.* IX. versus aliquos recitat, quibus occasione data Pindari locum interserit, parenthesi includendum. (vs. 16.) Τίς ἐστιν ὑμῶν ἀφρονέστατος; ἐκκλινάτω πρός με, ἐνδεέσι δὲ φρονήσεως παρακελεύεται, λέγουσα. (vs. 17.) Ἄρτων κρυφίων ἡδέως ἅψασθε, καὶ ὕδατος κλοπῆς γλυκεροῦ· (τὸν ἐπίκλοπον ταύτην ἀφροδίτην λέγει· ἐντεῦθεν ὠφελημένος ὁ Βοιώτιος Πίνδαρος, Γλυκύ τι, φησὶν,

κλεπτόμενον μέλημα Κύπριδος.) (sequitur vs. 18.) ὁ δὲ οὐκ οἶδεν ἄθλιος, ὅτι γηγενεῖς παρ' αὐτῇ ὀλοῦνται, καὶ ἐπὶ πέταυρον ᾅδου συναντᾷ.

Ῥάβδος, βέλος.] Minime cum viro summo Salmasio, βέλος in ὀβελὸς commutante, faciendum arbitrer. Vocem Hebraicam חץ, quae βέλος proprie dicit, ῥάβδον reddidit interpres *Ezechielis cap.* XXI. *vers.* 21. στήσεται βασιλεὺς Βαβυλῶνος — τοῦ μαντεύσασθαι μαντείαν, τοῦ ἀναβράσαι ῥάβδον. ad quem locum de veterum Persarum ῥαβδομαντείᾳ sive βελομαντείᾳ nonnulla notat illustris Grotius.

Ῥαντὸν, ποικίλον.] Coniectavit Soping. sed frustra, ῥαπτόν. Vocabulum enim, plus una vice in libro *Genesios* obvium, eodem modo exponit Suidas, ubi vid. Kusterum. *Gen.* XXX. 32. πᾶν — ῥαντὸν ἐν τοῖς ἄρνασι.

Ῥομελίας, μετέωρος περιτομῆς.] *Remalia* רמליהו, Israelitici Regis Pecachi Parens, ex glossatoriim mente nomen accepit, ex רום μετέωρος, et מילה περιτομή conflictum. Scribitur in *lex. Origenis pag.* 233. Ῥομελλίας, μετεωρισμὸς, ἢ περιτομή, et *in fragm.* IV. *pag.* 146. Ῥωμελίου, κυρίου ἀνάπαυσις ἔνθεν. Confer Bernardum, *ad h. l. in anecdot. Gr.* (a Wolfio *ed.*) *tom.* IV. *p.* 267.

Ῥῶψ, βοτάνη ἁπαλή.] Nihil omnino hic tentandum. *Ierem.* XXVII. *vers.* 4. ubi LXX. καλάμην scripserunt, Aquila reddidit ῥῶπα. Supra Hesychius: Ῥωπὰς, εἶδος φυτοῦ ἱμαντώδους, ubi ex *Odyss.* κ. *vs.* 166. forsan scribendum ῥῶπας, secus ac Guieto fuerat visum.

Σεβαμὰ, ἐπιστροφὴ πονηρά.] Frustra lectionem a Palmerio tentatam ex Iesaiae loco didiceram, quem ad hunc *l.* dein a celeb. Wesseling. adductum reperi in *probabil. pag.* 290. Hieronymus: *de nomin. Hebr. pag.* 22. *Sabama, conversio quaepiam,*

sive leva in eis, *vel tolle altitudinem.* et *pag.* 30. *Sabama*, *leva excelsam*, *sive conversio quaedam.*

Σέδεκ, πόα Μωαβιτῶν, κ. λ.] Legeram in libro meo *Iesaiae* XVI. *vers.* 7. τοῖς κατοικοῦσι δὲ σεϑ μελετήσεις, hinc cogitaveram, num fortasse favente litterarum serie scribi posset: CEΘ ECTI ΠΟΑ. Certiora monstravit fortasse cl. Wesseling, *probab. pag.* 290. Confer ad hunc locum Hesychii Harkenrothium, *in Periculo Critico*, (*B. B. cl.* VIII. *fasc.* II.) §. 11.

Σίκημα, ἡ νέα πόλις, ἡ ἀναβαίνουσα, ἤγουν ἡ ἐξ ἐϑνῶν ἐκκλησία.] Vrbs *Sichem*, recentiori aevo dicta Νεάπολις, sive Νέα πόλις, monstrante Relando, *Palaest. tom.* II. *pag.* 1004. Graecis interpretibus Σίκημα sive Σίκιμα nuncupatur, et alibi, et, quo noster respicere videtur, *Gen.* XLVIII. *vers.* 22. ubi Iacobus Iosepho filio suo dedisse legitur Σίκιμα ἐξαίρετον. Nomen interpretatur noster ἀναβαίνουσα, quasi scriptum השכימה, a שכם, quod in Hiph. ἀναβαίνειν denotat. Phavor. Σίκημά ἐστι τὸ ἐξαίρετον χωρίον, τῷ Ἰωσὴφ παρὰ τοῦ Ἰακὼβ δεδομένον· τύπος τῆς διαϑήκης κ. τ. λ. Ad haec postrema referenda sunt, quae post ἀναβαίνουσα in Hesychio leguntur. In *fragm.* V. *lex. Origen. p.* 165. scribitur Σίκιμα et apud Philonem Iudaeum, *Ibid. pag.* 107. Σίκιμα, ὠμιασις ἑρμηνεύεται. שכם *humerum* denotat, et *in fragm.* IV. *lex. Orig. p.* 151. Σιχὲμ, ὦμος. Hieronym. *Sichem*, *humeri*, *vel labor.*

Τενοντώσεις, νωτοκοπεῖς, ἀποκτενεῖς.] Vide, quae ad hunc *l.* notat P. Wesseling, *probabil. pag.* 291. Loco, quem adducit vir clarissimus, ubi primum verbum usurpavit Aquila, Symm. scripsit ἀποκτενεῖς. Theodotion vero νωτοκοπήσεις, quod ultimum non male in Hesychio reponeretur. Phavor. habet: νωτοσκοπεῖς.

Φακεὲ, διάνοιξις.] Pecachi Regis Israelis nomen ita scribitur *Ies.* VII. *vers.* 1. quo respicit noster, nam nomina Hebraica in Hesychio sparsa pleraque omnia ex Iesaia descripta sunt. Verbum פקח διανοίγειν significat.

Φεισὼν, ποταμὸς Παραδείσου, ὃ ἑρμηνεύεται στόμα κόρης· παρὰ δὲ Ἕλλησι Γάγγης. Cod. Hebr. פישון Gr. Φισὼν sive Φεισών. Etymon extricavit vener. Martianay, apud quem Philo, *pag.* 105. Φυσὼν, ἑρμηνεύεται στόματος ἀλλοίωσις. *Iosephus, p.* 175. Φεισὼν, σημαίνει δὲ πληθὺν τὸ ὄνομα. In *Cod. Colbert.* Φισὼν, στόμα πυρός. Sed quid etymo, quod legitur *fragm.* I. *pag.* 119. proferri potuit ineptius: Φεισὼν, διὰ τὸ Φείσασθαι τὸν θεὸν τῆς ἀνθρωπότητος?

Χαυνῶνες, ἄρτοι ἐλαίῳ ἀναφυραθέντες.] Qui Hesychium descripsit, Phavorinus, Χαυῶνες rectius legit. Vox est barbara כון, quam nos *Cavvan* pronuntiamus, verum olim *cauon* legebant. Χαυών. כונים *Ierem.* VII. *vers.* 17. Χαυῶνας reddiderunt Graeci. Conf. Bernard. *in anecdotis Gr. Wolfianis. tom.* IV. *p.* 271.

Ὢν, διάφραξις.] Vrbem *Bethaven*, בית און, Graeci vocarunt οἶκον Ὤν. Hieron. *On*, *labor vel dolor*, id enim dicit Hebr. און. Sed et *lex. Orig. fragm.* I. *pag.* 117. Ὢν, διάφραξις. quem significatum quomodo ex און potuerint elicere, prorsus non video, nisi fortasse ad radicem נוא, (*disiunxit, rupit*) iisdem litteris constantem, respexerint. Quidquid enim insulsum et inficetum excogitari potest, ab horum Glossatorum ingenio non est alienum.

VI.

L. C. VALCKENAER

OBSERVATIONES

AD ALIQVOT

HESYCHII

ΛΕΞΕΙΣ ὉΜΗΡΙΚΑΣ.

(Ex Miscell. Obss. Crit. Vol. VIII. T. I. p. 148. ss.)

Ἀδηκότες; ἄδην ἔχοντες, καὶ πεπληρωμένοι ὕπνῳ.] Hesychius formulam loquendi ἀδηκότες ὕπνῳ, ab Homero *Iliade* K. 98. usurpatam, exponit. Facile id animadvertet, qui Grammatici consuetudinem habuerit exploratam. Infra legitur: πεπαλαγμένον, μεμολυσμένον αἵματι καὶ λύθρῳ, ubi conferendus est Homerus *Iliad.* Z. 268. Alibi: Ὀλοφώϊα, ὀλέθρια, — δεινὰ βουλεύματα. Lege: ὀλοφώϊα, ὀλέθρια, — δήνεα, βουλεύματα, ex *Odyss.* K. 289. Πάντα δέ τοι ἐρέω ὀλοφώϊα δήνεα Κίρκης. Caetera. Participium istud ἀδηκότες paulo ante in Hesychio pro ἀδήκορες esse reponendum, monuit me quidam Vir Clariss.

Ἄδην ἔλθωσιν, εἰς κόρον ἄξουσιν.] Tractus literarum O et Θ perquam similis festinantem librarium fefellit; vocabulum corrupte scriptum, virum summum, Salmasium, credidit enim legendum: Ἄδην ἔλθωσιν, εἰς κόρον ἥξουσι. Illa scribenti non succurrit Homeri locus in *Iliad.* N. 315.

Οἵ μιν ἄδην ἐλόωσι καὶ ἐσσύμενον πολέμοιο,
Ἕκτορα Πριαμίδην.

Scholiasta phrasin interpretatus est: εἰς κόρον ἐλῶσι, ὅ ἐστι πολέμου κορεσθῆναι ποιήσωσιν. Scripserat Hesych. Ἄδην ΕΛΟΩCΙΝ, ε. κ. ἄξουσιν.

Ἀθηρηλοιγὸν, τὸ λεγόμενον πτύον, κ. λ.] Ad Hom. *Odyss.* Λ. 127.

Φήῃ ἀθηρηλοιγὸν ἔχειν ἀνὰ φαιδίμῳ ὤμῳ.
ὃ μέντοι Σοφοκλῆς, inquit Scholiastes, ἀπεδέξατο τῆς ἀθήρας τὸ κίνηθρον, λέγων οὕτως.

Ὤμοις ἀθηρόβρωτον ὄργανον φέρων.

Novissima Sophoclis verba interpunctionem Hesychii mutandam indicant, ubi editum: Ἀθηρόβρωτον, ὄργανον τὴν τορύνην, ἣ τὴν ἀθηρὰν ἀνακινοῦσι.

Αἰνεῖται, συγκατατίθεται.] Prava pronuntiatio erroris origo, legendum enim: Αἰνεῖτε, συγκατατίθεσθε. *Iliad.* Θ. 9.

— — ἅμα πάντες
αἰνεῖτ'.

Ἄησθα, ἐξέπνευς.] Olim editum fuerat: Ἄισθε, ἐξέπνει *) Literarum enim series monstrat, Hesychium respexisse *Iliad.* Υ. 403.

Αὐτὰρ ὁ θυμὸν ἄισθε καὶ ἤρυγεν.

Αἰσυμνητῆρι, τῷ νεανίᾳ, ὁ δὲ Ἀππίων τῷ βασιλεῖ.] Dubitari non potest, quin Hesychiana lectio isti longe sit praeferenda, quae nostros codices occupavit *Iliad.* Ω. 347. ubi Mercurius

Βῆ δ' ἰέναι κούρῳ αἰσυμνητῆρι ἐοικώς **)

Hesych. Αἰσυμνᾷ, βασιλεύει, ἄρχει. et Αἰσυμνῆται (*Od.* Θ. 258.) οἱ τοῦ ἀγῶνος προεστῶτες, Scholiastae Homeri βραβευταὶ καὶ ἀγωνοθέται.

Ἄκουρον, μὴ γεννήσαντα παῖδα ἄῤῥενα τὸν μὲν ἄκουρον ἐόντα ἔτ' ἀργυρότοξος Ἀπόλλων, ἀντὶ τοῦ μὴ ἄρσενα παῖδα λιπόντα.] Antiqua Grammatici Scriptura ex *Odyss.* Η. 64. 65. repetenda est.

Τὸν μὲν, ἄκουρον ἐόντα βάλ' ἀργυρότοξος
Ἀπόλλων
Νύμφιον ἐν μεγάροις, μίαν οἴην παῖδα λιπόντα †)

---

*) Cod. Marcianus, ex quo Supplementa ad editionem Hesychii Albertinam edidit N. Schow, exhibet Ἄισθα. ἐξέπνευ. *Editor.*

**) Cod. Marcianus Αἰσυμνητῆρι. *Editor.*

†) Cod. Marcian. Ἄκουρον. μὴ γ. — ἐόντα ἀργυρότοξον Ἀπόλλωνα μίαν οἴεσθαι δαλητόντα τῶν ἄπους ἡ λέξις. *Editor.*

Ἀμφιπελέη,*) πελέκιον δίστομον· Κυρηναῖοι, ὁ δὲ Ἀρίσταρχος τὸν τῆς ἀξίνης στελεὸν ἀπέδωκεν.] Scriptum fortasse fuerat: Ἀμφιπέλεκ. pro ἀμφιπέλεκκον. Infra ἡμιπέλεκκα ex *Iliad.* Ψ. 851. interpretatur τὰ μὴ ἑκατέρωθεν ἐστομωμένα. Aristarchus πέλεκκον reddiderat τὸν τοῦ πελεκέως στειλειὸν ad *Iliad.* N. 612.

— — — εἵλετο καλὴν

Ἀξίνην εὔχαλκον, ἐλαΐνῳ ἀμφὶ πελέκκῳ,

Μακρῷ, ἐϋξέσῳ·

ubi olim male lectum fuisse: Ἀ. ἐ. ἐλάϊνον ἀμφιπέλεκκον Μακρὰν, ἐΰξεστον, docuit me vir clarissimus.

Ἀμφισπεφέες, ἀλλήλαις περιπληγμέναι, ἢ πάντοθεν πλήρεις.] Grammaticum scripsisse suspicor: Ἀμφιστρεφέες, ἀλλήλαις περιπεπλεγμέναι, ἢ ἀμφιστεφέες, πάντοθεν πλήρεις. Literarum ordo suspicionem movit. Commentatur Hesych. versum 40. *Iliad.* Λ, quo in loco scutum Agamemnonis depingit Homerus.

— — — ἐπ' αὐτῷ (τελαμῶνι)

Κυάνεος ἐλέλικτο δράκων, κεφαλαὶ δέ οἱ ἦσαν

Τρεῖς ἀμφιστεφέες, ἑνὸς αὐχένος ἐκπεφυυῖαι.

Altera tamen lectio ἀμφιστρεφέες, vetus quippe et optima; Hesychio placuit, et ab Homeri interpretibus commemoratur. Si cui altera lectio ἀμφιστεφέες videatur melior, vocabulum certe eo sensu reddi non potest, quo ceperunt veteres, sed iudice viro clariss. exponi deberet: *cristis tanquam coronis incincta capita.*

Ἀμφοῖδις, παρὰ τὸ ἔφος.] Rectius procul dubio scriberetur ex Homero, *Odyss.* P. 237. Ἀμφ' οὖδας, περὶ τὸ ἔφος, ita enim scribebant pro ἔδαφος. Huiuscemodi vocabula compendifacta,

*) Sic Cod. Marcianus. *Editor.*

sicuti in aliis libris, in Hesychio remanserunt. Legitur alibi ἀνος pro ἄνθρωπος, ουνος pro οὐρανός. Quin et οὔριον legitur, ubi οὐράνιον debuisset edi, p. 771. 8. πνεῦμα οὔριον, ἄγγελος ἄσαρκος.

'Αναῤῥῶγας μεγάροιο, τὰς τῆς οἰκίας διόδους, κ. λ.] Licet istud ἀναῤῥῶγας ex antiqua pronuntiandi scribendique ratione nasci potuerit, recte nihilo minus Henr. Stephanus *in notis MSS.* ἀνὰ ῥῶγας emendavit, quum id ipsum ordo literarum poscat. *Odyss.* X. 143.

— — — ἀνέβαινε — —

'Ες θαλάμους 'Οδυσῆος ἀνὰ ῥῶγας μεγάροιο.

Conf. Hesych. in V. ῥῶγας, et Lambertum Bos, in *Observ. Critic.* p. 184.

'Ανδιάχων, ἀνατείνων.] Emenda: 'Αν δ' ἴσχων, ἀν. ex *Iliad.* E. 798. In istiusmodi vocabulis describendis non raro in hoc libro fuit peccatum, ubi reperire licet: ἀνίσχεν, μεγάλ' ἴσχε, νηπίσχοι quae edi debuissent: ἀνίαχεν, μεγάλ' ἴαχε, νηπίαχοι.

'Ανδρόμενον, τὸ τῶν ἀνδρῶν.] Salmasii nota referri debet ad ἀνδρόμητον, quum enim antea pro ἀνδρομένοιο reposuerit ἀνδρομέοιο, ἀνδρόμενον fortasse mutandum censuit in ἀνδρόμεον, quod postremum libri orae adscripsit Stephanus. Vocem adhibuit Hom. *Il.* Λ. 538.

— ὁ δὲ ἵετο δῦναι ὅμιλον

'Ανδρόμεον.

Schol. τὸ τῶν ἀνδρῶν. Vereor tamen, ne Hesychius depravatos codices fuerit sequutus. In librum incidi, ubi editum erat: χρόος ἀνδρομένοιο. *Il.* P. 517. Υ. 100.

'Ανθέκαστον, ἐξεναντίας ἕκαστον.] Lege: 'Ανθ' ἑκατὸν, ἐξ ἐναντίας ἑκατὸν, tangit enim sine dubio *Il.* Θ. 233.

'Ανθοῦσα, βλαστήσασα· ἄνθος ἀφιεῖσα, κ. α.]

Seiunge, si placet: A. β. † Ἄνθος ἀφιεῖσαι etc. ita enim ex *Od.* H. 126. transscripserat Hesychius.

Ἀν' ἴσον, ἀνὰ τὸ ὀρθόν.] Nulla in me est dubitatio, quin olim fuerit editum: Ἀν' ἰθὺν, *) ἀνὰ τὸ ὀρθόν. Quum vero haec glossa post ἀνιερῶσαι reperiatur, favet emendationi series literarum, quae saepe quidem fallit, non raro tamen etiam antiquae scripturae index est, non ita prorsus spernendus. Infra suo loco legitur: ἰθὺν, ὀρθὸν — ὁρμήν. et ἰθὺς, ἐπ' εὐθείας, καὶ εἰς ὀρθὸν, μεθ' ὁρμῆς. Verum etiam bina loca reperi, ubi ἀν' ἰθὺν adhibuit Homerus: alterum *Il.* Φ. 503.

— τοῦ δ' ὕψόσε γούνατ' ἐπήδα
Πρὸς ῥόον ἀΐσσοντος ἀν' ἰθύν.

Schol. ἀν' ἰθύν] ἐπ' εὐθείας, κατὰ τὴν ὁρμὴν τοῦ ποτοῦ, id est ποταμοῦ, scribendi compendio. Alter locus extat *Od.* Θ. 377.

Αὐτὰρ ἐπειδὴ σφαίρῃ ἀν' ἰθὺν πειρήσαντο.

Malo: A. ε. σφαίρας ἀν' ἰθὺν π.

Ἀτιτορήσας, **) διορύξας, κατακόψας, ἀντιτορήσας.] Vocem nihili ἀτιτορήσας nescio quis emendatam codicis sui orae adleverat. Incpte librarius emendate scriptam vocem, tanquam primi vocabuli interpretamentum reliquis subiunxit, quum istud ἀτιτορήσας debuisset eiici, et in eius locum ἀντιτορήσας, quod legere licet *Il.* K. 267. reponi.

Ἀποπλασθεῖσα, ἀποκρουσθεῖσα.] Scripseram ex *Iliade* N. 578. ἀποπλαγχθεῖσα. Favet quidem emendationi series literarum, quae mox itidem

---

*) Favet emendationi Cod. Marcianus, in quo scriptum ἀνίθω. *Editor.*

**) Cod. Marcian. Ἀντιτορεῖν, εἶσας, duabus glossis iuxta se positis. Repetitum in fine ἀντιτορήσας correctionem falsae scripturae Ἀντιτορεῖσας esse arbitratur Schow. *Editor.*

requirit ἀποπλάγξαντες, attamen receptae lectioni formandi leges minime repugnant, quin et ἀποπλασθεῖσα in antiquo codice apud Homerum reperit vir clarissimus. Infra scriptum παρεπλέγχθη. L. παρεπλάγχθη ex *Il.* O. 464.

Ἀπ' ὀρθίου, ἐπὶ ὑψηλοῦ.] Vix ausim tentare, Hesychius enim ὄρθιον exposuit ὑψηλόν. Erunt tamen, opinor, qui maluerint: Ἀπὸ ῥίου. quod semel reperire licet apud Homerum, *Iliade* videlicet Ξ. 154. Ἥρη. —

Στᾶσ' ἐξ Οὐλύμποιο ἀπὸ ῥίου, —

Conf. vs. 225. Ῥίον autem Homero dicitur *montis cacumen*, vid. Schol. ad *Iliad.* T. 140. et Hesychium, ῥίον exponentem ἀκρωτήριον ὄρους. Radix *montis* Homero audit: Πρυμνώρεια (Il. Ξ. 307.) quod vocabulum in Hesychio restituendum est, ubi post πρυμνὸς perverse editum πρυμώρια. —

Ἀπόστειλε, ἄπιθι, ἀναχώρει, ἄπελθε.] Emendandum est: ἀπόστειχε, aut, uti Hom. pronuntiavit *Il.* A. 522. ἀπόστιχε.

[Ἀταρπιτός. ἡ ὁδός. † Ἀταρπιτός, ἀταρπός. ὁδός. † Ἄτρεπτος.] Hunc in modum haec in ordinem videntur redigenda: Ἀταρπιτὸς, ἡ ὁδός. Ἀταρπὸς, ἀταρπιτὸς, ὁδὸς ἄτρεπτος. Hesychius: Ἀτραπὸς, ὁδὸς — μὴ ἔχουσα ἐκτροπὰς, ἀλλ' εὐθεῖα. Bina illa ἀταρπιτὸς et ἀταρπὸς ab Homero leguntur usurpata, illud, *Iliad.* Σ. 565. posterius, *Il.* P. 743.

Βούσιον, πόλις.] Literarum ordo postulat Βούδιον. Namque Βούδειαν Thessaliae oppidum monente Stephano in v. Ὅμηρος Βούδειον ἔφη *Iliad.* Π. 572.

Δεδεγμένος, διακεκομμένος, ἐπιτηρήσας, ἐκδεχόμενος.] Verbum διακεκομμένος non potest nisi ad δεδαιγμένος referri, quod posterioris aetatis homines, αι et ε confundentes, δεδεγμένος pro-

nuntiaverunt. Recte reposueris Δεδαϊγμένος (quod apud Homer. non est infrequens, vide modo *Il.* T. 203, 211, 283.) διακεκομμένος. † δεδεγμένος, ἐ. ἐ.

Διαήσει, διαπνεῖ.] Scripserat Διάει ex *Od.* E. 478.

Δίσκουρα, ὅσον ἂν βάλοι δίσκῳ. δισκούρια, ὅσον ἄν τις βάλλοι δισκεύων.] Aldus edidit: Δ. ὅ. ἄ. λάβοι δὶς δίσκῳ. In Glossis Homericis repererat Hesychius: Δίσκου οὖρα, ὅσον ἂν βάλοι τις δίσκῳ. † Δίσκουρα, κ. τ. λ. Prius ex *Il.* Ψ. 431.

Ὅσσα δὲ δίσκου οὖρα κατωμαδίοιο πέλονται

Τόσσον ἐπιδραμέτην.

*(Hinc alter Hesych. locus corrigendus est pag. 706. ὅσσα δισκούουρα κ. λ.) Posterius, ex eiusdem *Iliadis* vs. 523. desumserant:

— τὰ πρῶτα καὶ ἐς δίσκουρα λέλειπτο.

Δμῆσις, δαμάσης.] Viris eruditis non est adsentiendum, legi enim debet: Δμῆσις, δάμασις,*) ex *Iliad.* P. 476.

Δοκάειν, τηρεῖν, φυλάσσειν, ἐστιτηρεῖν.] Miror equidem, Henricum Stephanum δοκευνάειν legendum coniectasse, ubi sequens glossa veram scripturam aperte monstrat. Redde igitur Hesychio Δοκεύειν, quod verbum in *scholiis* ad *Il.* Ψ. 325. Θ. 340. exponitur ἐνεδρεύειν, ἐπιτηρεῖν. Postremam vocem ab Hesychiani codicis descriptoribus in ἐστιτηρεῖν mutatam suspicabar ex litterarum CT et Π similitudine. Infra in v. Πύππαξ Schrevelius edidit: ἐστὶ λέλωτος pro ἐπὶ γέλωτος, et in v. ἐπιστροφάδην, ἐστιστρεφομένως, ἰσχνῶς, ἢ μετὰ ἐπιστροφῆς τοῦ σώματος, quum scribi debuisset: ἐπιστρεφομένως, ἰσχυρῶς, ἢ μ. ἐπιστροφῆς τ. σ.

*) Cod. Marcian. Δμῆσις, δαμάσις. Glossa duas repraesentat lectiones: Δμῆσις. δάμασις. et: Δμήσης. δαμάσης. *Editor.*

Sed absolvit veteres librarios editio Hagenoensis, si enim ultimum ἐπιπροφῆς exceperis, omnia emendate scripta inibi deprehendes.

Δραστῆναι, διάκονοι, θεράπαιναι.] Ad exemplum Bentleii, qui δρήστειραι iure merito ex *Od.* K. 349. huc revocavit, supra corrigendum: Δραστείρας, ubi legitur Δραστείας, τὰς θεραπαίνας. Infra invenies: Κραστῆναι, διάκονοι γυναῖκες.

Εἴλημα, ἐνήλυμα.] Secundum literas scribendum: Εἴλυμα, ἐνείλημα. Tangit forsitan *Od.* Z. 179.

Ἐκ δὲ χρυσηῒς νηός. ἐξέβη δὲ τῆς νηὸς καὶ ἡ χρυσηΐς.] Qui raro a recepta huius libri scriptura discedit, Phavorinus edidit: Ἐ. δ. χ. ἔβη! νηός. Geminam lectionem facillimo opere reducet, qui *versus* 439. *Iliadis* A. meminerit:

Ἐκ δὲ Χρυσηῒς νηὸς βῆ — —

Ἐκίδρατο, — ἐσκεδάννυτο.] Lege: Ἐκίδνατο, — ἐσκεδάννυτο. Tetigit *Il.* Θ. vs. 1.

Ἠὼς μὲν κροκόπεπλος ἐκίδνατο πᾶσαν ἐπ' αἶαν.

Infra: Κιδιᾶσθαι, σκεδάννυσθαι, sed certissime pingi debet: Κίδνασθαι.

Ἐλύγαινον, ὀξὺ ἀνεβόων.] A λιγὺς, λιγαίνω. Scribe itaque, sicuti literae postulant: ἐλίγαινον. *Il.* Λ. 684. Κήρυκες δ' ἐλίγαινον — Simili errore infra scripserunt: Ἐσχελίνασιν, ἐφλυάρισεν, quum Hesychius, (quod pace Divini Scaligeri dictum sit) ediderit: Ἐσχελύνασεν, ἐφλυάρησεν. Certa enim lege a χελύνη descendunt, χελυνάζειν, et σχελυνάζειν, quae prima quidem et propria potestate significant: *labia commovere*, sed et figurata loquendi ratione eleganter pro *motu labiorum alicui illudere*, usurpari possunt. Hesych. Χελῦναι, χῆλαι (l. χείλη:) Χελυνάζειν, χλευάζειν, et Σχελυνάζει, φλυαρεῖ.

Ἕλικος βοὸς ἀμφὶ φονῇσι, περὶ βοὸς φόνοις κειμένοις.] Quid si legerem περὶ βοὸς φόνῳ κειμένης. Exponit *Iliad.* Ο. vs. 633.

— νομεὺς οὔπω σάφα εἰδὼς
Θηρὶ μαχέσσασθαι ἕλικος βοὸς ἀμφὶ φονῇσιν.

Grammatici veteres interpretantur: περὶ ἀνῃρημένης βοὸς, ἢ ὑπὲρ τοῦ μὴ ἀναιρεθῆναι.

Ἐν δὲ σθένος ὦρσεν, ἕκαστον ἐῤῥώννυσεν.] Lege, si ita videatur, ἐν δὲ σθένος ὦρσεν ἑκάστου, (καρδίῃ) ἕκαστον ἐῤῥώννυσεν, ex *Iliad.* Β. 451.

Ἐνῆλαι, ἐμποδίζειν, ἐγκόπτειν, ἐπὶ τῶν κατασσομένων μεταφορικῶς.] Η certe et Κ inter istas literas merito censentur, quarum similes ductus errores pepererint. Id ex libro hoc corruptissimo clarissimum in modum patefiet. Inspice, quaeso, notas ad voces ἐρσήεντα, κάπατας, κρυερὸν, πήνιον, μυρίῃαι, etc. Legere licet in hoc libro: ἐνσικυκράτῳ, τόπος σικυδίων, sed ex Iesaiae Cap. I. vs. 8. scribi debet ἐν σικυηράτῳ. Alibi: Μινύκιος, ποταμὸς Πύλου. Emendo: Μινυήϊος, *Il.* Λ. 721.

Ἔστι δέ τις ποταμὸς Μινυήϊος εἰς ἅλα βάλλων,
Ἐγγύθεν Ἀρήνης, — — —

Ex eodem fonte fluxit: Νύσα καὶ νύσκιον ὄρος οὐ καθ' ἕνα τόπον. Legendum fortasse: Νύσσα καὶ Νυσσήϊον. *Il.* Ζ. 133.

Σεῦε κατ' ἠγάθεον Νυσσήϊον —

Schol. Ν. τὴν λεγομένην Νύσσαν. ὄρος δὲ λέγει τῆς Θρᾴκης νῦν, ἐν ἄλλοις Νυσσήϊον ἡ Διονύσου διατριβή. Plurimos ex eadem origine natos errores detexit Cl. Alberti, *Miscellan. Crit. in Hes.* ad v. ἀμείλιχος. Quid haec, inquies, ad ἐνῆλαι? Plurimum. Certo enim adfirmare ausim,

istud ἐνῖῆλαι in ἐνικλᾷν esse mutandum. *) Hesychius infra κλᾷν exponit ἐμποδίζειν. Mecum sentiet, qui noverit, quanta Grammatici fuerit in Homero interpretando diligentia; is autem verbo ἐνικλᾷν eleganti in loco eodem sensu usus est, quo apud Hesychium exponitur ἐνιῆλαι, *Iliad.* Θ. 408. ubi de Junone quiritat Jupiter:

Αἰεὶ γάρ μοι ἔωθεν ἐνικλᾷν ὅ, ττι νοήσω.

Schol. reddidit ἐξ ἔθους ἔχει ἐμποδίζειν. Suidas: ἐνικλᾷν, ἐμποδίζειν. ut adeo dubitationi non sit locus. Tum apud Hesychium pro ἐπὶ τῶν κατασσομένων μ. legi debet ἀπὸ τῶν κ. μ. sicuti me monuit vir Celeberr. Homerus denique, quod observatu non fuerit indignum, verbi ἐνικλᾷν significatum non minori venustate expressit per μήδεα ἐπικείρειν, *Il.* O. 467.

— Μάχης ἐπὶ μήδεα κείρει
Δαίμων ἡμετέρης, — —

Schol. ἐμποδίζει τὰ βουλεύματα. Corrige Hesychium, ubi legitur: Μάχη ἐπιμήδεα κείρει, τὰ περὶ τῆς μάχης βουλεύματα κολοβεῖ, ac scribe: Μάχης ἐπὶ μήδεα (confer etiam pag. 360. b.) κ. τ. π. τ. μ. β. κολοβοῖ.

Ἐννύστῃ, τῷ καμπτῆρι.] Νύσσα, καμπτήρ. *Il.* Ψ. 332. Itaque pro ἐννύστῃ reponi debet: Ἐν νύσσῃ, τῷ κ. quod reperitur *Iliad.* Ψ. 338.

Ἐν νύσσῃ δέ τοι ἵππος ἀριστερὸς ἐγχριμφθήτω.

adde vs. 344.

Ἐντερόνιοι, αἱ χόρδαι.] Lapsus est Gruierus, qui ab ἔντερον, ἐντερῶν, όνος, ἐντερόνιος ortum credidit. Nusquam, mihi crede, istud ἐντερόνιοι usurpatum repererat Hesychius, qui sine dubio

*) Cod. Marcian. Ἐνῆλαν. Editor.

scriptum reli[quera]t ῎Εντερον οἰός. *) quod adhibuit Homerus, apud quem vir Musices peritus, *Odyss.* Φ. 408.

Ῥηϊδίως ἐτάνυσσε νέῳ ἐπὶ κόλλοπι χορδὴν,
Ἅψας ἀμφοτέρωθεν εὔστρεφὲς ἔντερον οἰός.

Voces seiungendae apud Hesych. nonnunquam in unam coaluerunt: Μωλονάριος, πόλεμος. pro Μῶλον Ἄρηος, πόλεμον. ex *Il.* Σ. 154. Μενοσάνιος, ubi Μένος Ἄρηος restituit Cl. Albertí.

Ἐξεκλίσθη, ἔπεσεν, ἀπεῤῥίφθη.] Scripserat Hesych. ἐξεκυλίσθη, quod legitur *Il.* Ψ. 394. et Ζ. 42.

Αὐτὸς δ' ἐκ δίφροιο παρὰ τροχὸν ἐξεκυλίσθη
Πρηνὴς — ἐπὶ στόμα· —

pronus — *volvitur in caput.* Et alibi et *Il.* Π. 742.

— ὁ δ' ἄρ', ἀρνευτῆρι ἐοικὼς,
Κάππεσ' ἀπ' εὐεργέος δίφρου· —

Ἐξονομήναις, ἐξ ὀνόματος εἰπών.] Quinimo; Ἐξονομήνῃς, ἐξ ὀνόματος εἴπῃς. ex *Il.* Γ. 166.

Ἐπέρυσα, ἐπόνησα.] Malo: Ἐπέρασα, (ex literarum serie.) ἐπώλησα. Conf. *Iliad.* Φ. 78. et Hes. in v. πέρασας.

Ἐπήσατο, ἐπήσκηται, ἐπικεκαλλώπισται, κεκόσμηται.] Bina postrema recte exponunt verbum ἐπήσκηται, quod Hom. adhibuit. *Od.* Ρ. 266.

— ἐπήσκηται δέ οἱ αὐλὴ
Τοίχῳ καὶ θριγκοῖσι, — —

Lege igitur, Ἐπήσατο. † Ἐπήσκηται. ἐ. κ.

Ἐπίβρεγμα, ἐπὶ στόμα καὶ κεφαλήν.] Duae voces detritae sunt, sicuti ex literarum ordine colligi potest. Repone: Ἐπὶ βρεχμὸν, ἐπὶ βρέγμα,

---

*) Cod. Marcian. Ἐντερόνιος. *Editor.*

ἐ. στόμα x. x. Explicat Homerum, qui ista usurpavit, *Il.* E. 586.

— εὐεργέος ἔκπεσε δίφρου

Κύμβαχος ἐν κονίῃσιν, ἐπὶ βρεχμόν τε καὶ ὤμους.

Schol. ἐπὶ βρεχμόν.] ἐπὶ τὸ βρέγμα τῆς κεφαλῆς.

Ἐπιδέψονται, ἐπακολουθήσουσιν.] Seiunge, quaeso, ἐπὶ δ' ἕψονται, uti editum *Il.* Δ. 63.

Ἐτίταινεν, ἔτινεν, εἷλε.] L. ἔτεινεν, εἷλκε. Hesych. infra: Τίταινον, ἕλκουσι, τείνουσι. *Iliad.* Θ. 69.

Καὶ τότε δὴ χρύσεια πατὴρ ἐτίταινε τάλαντα.

ibid. vs. 72.

Εἷλκε δὲ μέσσα λαβών, —

Nota sunt τόξα τιταίνειν, et τόξου πῆχυν ἀνέλκε ex *Il.* Λ. 375.

Εὔσεν, εὐδάμισεν.] Respexit *Odyss.* Ι. 389.

Πάντα δέ οἱ βλέφαρ' ἀμφὶ καὶ ὀφρύας εὖσεν ἀϋτμή. —

Licet varia tentaverim, veram nihilominus vocis εὐδάμισεν scriptionem prius nullo modo perspicere potui, quam sequentia vir clarissimus me edocefecerit: »Legendum est ἐμάδισεν ex μαδίζειν. Hesych. in Πυρσολεῖφοι. Εὔστραν. Schol. Aristoph. »*ad Equit.* v. 1233. exponit μαδιστήριον· τῶν δερ»μάτων ἀπομαδίζειν τὰς τρίχας. Idem ad v. »372. Vide H. Stephan. *Indice Thes.* in Μαδῶ. »Hoc ipsum voluisse Vorstium credo".

Ἧς οὔτοι *) χάριν οἶδε, παρ' ἧς ὀλβείαν χάριν ἔσχεν.] Licet in *Iliade* Λ. 243. fuerit editum; mortuus est seiunctus ἀπὸ

Κουριδίης, ἧς οὔτι χάριν ἴδε, πολλὰ δ' ἔδωκε·

---

*) Cod. Marcian. οὔτι. Editor.

Vix tamen dubitem, quin Hesychius edi voluerit ἧς οὐ χάριν οἶδεν. Novissimum enim vocabulum librariorum ingenium non redolet.

Θέμειλα, θεμέλιοι.] Vtraque vox opem poscit. Scribendum sine dubio: Θεμείλια, θεμέλια. Evolve, si placet, *Iliad.* M. 28.

Θῶν ἐπὶ ἀλλικολώνη, τόπος ἐστὶ τῆς Τροίας ὑψηλός.] Palmerius, qui Θεῶν legendum iussit, non debuisset gravius mendum intentatum relinquere. Legi debet: Θεῶν (sive θέων) ἐπὶ καλλικολώνῃ *) Infra etiam suo loco apud Hesychium καλλικολώνη reperitur. In nostris editionibus recitius legitur *Il.* Υ. 53.

Ἄλλοτε πὰρ Σιμόεντι θέων ἐπὶ καλλικολώνῃ. Aristarchi editionem sequitur fortassis Hesychius; is enim, quod ad istum l. docet Schol. ἀνέγνω περισπωμένως, τὸ χωρίον θεῶν λέγων. Erat autem *Callicolone* locus excelsus in campo Troiano, ab isto non longe remotus, qui Homero Θρωσμὸς dicitur *Iliad.* K. 160.

— Τρῶες ἐπὶ Θρωσμῷ πεδίοιο
Εἵαται ἄγχι νεῶν, —

Vbi Schol. locum fuisse monet in campo Troiano, ὃ ὀνομαστικῶς καλεῖται Θρωσμὸς, ὡς καὶ ἕτερος καλλικολώνη. Adde *Il.* Λ. 56. et Hesych. in: Ἐπὶ θρωσμῷ πεδίοιο.

Θρύον, πόλις ἐν Ἀρκαδίᾳ, ἣν Ὀθρυόεσσαν Ὅμηρος λέγει.] Vrbem Ὀθρυόεσσαν nusquam in Homero memoratam invenies. Scribe: ἣν Θρυόεσσαν Ὁ. λ. *Iliade* scilicet Λ. 710. Ταύτην enim, inquit ad istum locum Scholiasta, ἐν τῷ Καταλόγῳ (Il. B. 591.) Θρύον εἶπε. Cf. Steph. in v.

Ἰλαδὸν, ἀθρόως. κατ' ἀξίαν κατὰ σύστημα ἐπορεύοντο.] Verbum ἐπορεύοντο istius hominis

*) Cod. Marcian. Θεῶν ἐπὶ καλλι κόλωνη. *Editor.* (*

inscitiam prodit, qui egregiam Hesychii operam compendifecit. Sed bene est, quod in hoc loco damnum aliquomodo sarciri possit, legendo Ἰλαδὸν, ἀθρόως. † Ἰλαδὸν ἐστιχόωντο, κατὰ τάξιν, κατὰ σύστημα ἐπορεύοντο. Emendationis certitudo ex *Iliad.* B. 92, 93. patebit:

Ἠϊόνος προπάροιθε βαθείης ἐστιχόωντο
Ἰλαδὸν εἰς ἀγορήν —

Schol. ἐστιχόωντο) ἐν τάξει παρεγένοντο. Ἰλαδὸν, τουτέστι κατὰ ἴλας καὶ συστροφήν.

Ἰλύος, ὑλώδους, ὑποστάθμης ποταμοῦ.] Tangit *Iliad.* Φ. 318.

Κείσεθ' ὑπ' ἰλύος κεκαλυμμένα

Schol. ὑπὸ τῆς ἰλύος τοῦ ποταμοῦ, ὅ ἐστι τοῦ πλήθους τοῦ πηλοῦ. Eo facile delabetur, ut ὑλώδους in πηλώδους mutandum arbitretur, qui non animadverterit in vocis ἰλὺς scriptione non raro commissa a librariis peccata. Supra in v. ἀσιν legitur ὕλην pro ἰλὺν, ut et in v. Χέραδος. Pro ὑλώδους itaque ἰλυώδους legendum censeo.

Ἰράων ἐκκλησιάων, κ. λ.] Ne quis praepostera cogitatione praeceps actus, ista iunctim alicubi reperiri, sibi in animum inducat, emendatius scribam: Ἰράων, ἐκκλησιῶν. Homerus indicio est, veram hanc esse lectionem, *Iliad.* Σ. 531.

Ἰράων προπάροιθε καθήμενοι —

Schol. ἰράων π.) πρὸ τῶν ἀγορῶν, ὅ ἐστιν ἐκκλησιῶν.

Ἱστοδόκη, — Φράγμα, εἰς ὃ καταχλειόμενος ὁ ἱστὸς ἐντίθεται.] Istud καταχλειόμενος prorsus displicet. Qui κατακλινόμενος reposuerit, hac is sensum habebit planum et optimum. Scholiastes Homeri ad *Il.* A. 434.

Ἱστὸν δ' ἱστοδόκῃ πέλασαν —

Ἱστοδόκῃ.) τῇ ὑποδεχομένῃ τὸν ἱστὸν ἱστοδόκῃ

(Ι. ἱστοθήκη) λέγει δὲ τῷ κατὰ τὴν πρύμναν ἀνέχοντι ξύλῳ, καθ' οὗ κλίνεται ὁ ἱστός.

Ἰωγὴν σκέπη — καταγωγὴ, ἄδειν βορέω ὑπ' ἰωγῇ.] Quinimo legendum:

— εὗδον Βορέω ὑπ' ἰωγῇ. *)

Quae ultima verba sunt *Odysseae* Ξ.

Κακοσσόμενος, δεινῶς ἐμβλεψάμενος.] Rectius ex *Il.* A. 105. disiunges: Κάκ' ὀσσόμενος.

Κακὸν δὲ φέρτερον εἴη, ἤγουν τῶν κακῶν τὸ κρεῖττον.] Si fides Schrevelio, (exigua enim homini in istis notulis debetur) scribi iussisset Salmas. κακῷ δέ τε φέρτ. Genuina lectio ex *Il.* P. peti potest, ubi Menelaus inquit vs. 105.

— κακῶν δέ κε φέρτερον εἴη.

In Scholiis legere licet: κ. δ. κ. φέρτατον ε.) τῶν δὲ παρόντων κακῶν τοῦτο ἂν εἴη τὸ ἄριστον. κ. τ. λ.

Καριᾶται, κεφαλαί, τάξεις.] Gothofredus Sopingius legisse dicitur: κάρεια, αἱ κεφαλαί. Quanto rectius huc ex *Iliade* P. 437. καρήατα advocaretur.

Οὔδει ἐνισκήψαντε καρήατα· —

Altera explicatio τάξεις ad *Il.* Λ. 309. fuit efficta. Emendationem probat literarum series. **)

Καταδ ἤνεον, κατελάμβανεν.] Quae sequuntur huc non pertinent, et in editione Hagen. recte fuerunt avulsa. Per me quidem licet, ut istud Κατὰ δ' ἤνεον absque explicatione in hoc libro legatur;

---

*) Cod. Marcian. εὗδιν βορέων ὑπ. (sic) γωγῇ. *Editor.*

**) Occasione data corrigere liceat glossam, quae in cod. Marciano post Καρξμοί, κινήσεις legitur: Κάρθμοιο, μύρινες τραχεῖς τόπου. Medelam videre se negat Schowius, quam, si Homeri meminisset, facile poterat reperire. Scribendum ex Iliad. B. 814. Σῆμα πολυσκάρθμοιο Μυρίνης· ταχείας. τόπος. *Editor.*

modo quis meeum censeat, reponendum: † Κατὰ δ' ἤρεε, κατελάμβανε, ex *Il.* Φ. 327.

Κατὰ προτμηστὴν, κατὰ τὸν ὀμφαλόν.] Cave credas Salmasium scripsisse, quae in nota leguntur. Praestat enim, in erroribus huiuscemodi viris impingendis esse sobrios. Quidquid de eo fuerit, certam huius loci lectionem infra monstrat Hesych. Πρότμησιν, κατὰ τὸν ὀμφαλόν. Hic igitur procul dubio reliquerat scriptum: Κατὰ πρότμησιν, *) respiciens *Il.* Λ. 424.

Δουρὶ κατὰ πρότμησιν ὑπ' ἀσπίδος ὀμφαλοέσσης

Νύξεν. — —

Cur ita dictus fuerit umbilicus, Scholiastes docet.

Κατεκνέφαγε, κατέφαγε τὰ τέκνα.] Vera lectio est: Κατὰ τέκν' ἔφαγε. Literarum series ea de re nos dubios esse non sinit. Explicat Grammaticus Homerum, ubi in *Iliade* B. 317. inquit:

Αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ τέκν' ἔφαγε στρουθοῖο καὶ αὐτήν.

Κόρυθος φάον, περικεφαλαίας.] Si quid iudico, scribi debet: Κόρυθος ΦΑΛΟΝ, ἤδρν περικεφαλαίας. **) *Il.* Γ. 362.

Πλῆξεν ἀνασχόμενος κόρυθος φάλον.

Schol. exponit: ἀνάστημα τῆς περικεφαλαίας. Hesychius: Φαλὸς, ὁ λόφος τῆς περικεφαλαίας, — ἔνιοι λευκὸς ἧλος.

Κοτυληδὼν, ὄφις, ἐπὶ τοῦ πολύποδος τῶν πλεκτανῶν.] Lege: Κοτυληδονόφιν, ***) ἐπὶ etc.

---

*) Cod. Marcian. Κατὰ προτμιστήν. *Editor*.

**) Cod. Marcian. Κόρυθος, φαλὸν, περικεφ. Scribendum iudice Schowio: Κόρυθος φάλον, περικεφαλαίαν. Interpretatio, inquit, Lexicographi bene se habet, in poeta enim pars pro toto ponitur, crista galeae pro ipsa galea. *Editor*.

***) Cod. Marcian. Κοτυληδὼν, ὄφις. *Editor*.

quod et apud Suidam legitur, et ab Homero *Od.* E. 435. usurpatur:

Ὡς δ' ὅτε πολύποδος θαλάμης ἐξελκομένοιο
Πρὸς κοτυληδονόφιν πυκιναὶ λάϊγγες ἔχονται.

Κρυπταδίῃ, — κρυφιμαία.] Nollem sanam lectionem tentari: prius vocabulum inveniri potest *Il.* Z. 161. Alterum a κρυφαῖος eadem ratione descendit, qua λαθριμαῖος a λαθραῖος, quod etiam adhibuit Hesych. ubi male editum: Σκότιον, λαθρημαῖον.

Κυβηστῆρας, πηδητάς.] Homerus semper κυβιστητῆρας dixit, quod et in Hesychio reponendum censeo. Supra eiusdem formae vocabulum legitur decurtatum: ἀμαλλοτῆρες. ubi ex *Il.* Σ. 553. ἀμαλλοδετῆρες fuerat scriptum. Vide in v. Ἀρνευτῆρια. ubi male legi κυβιστήρια a nonnemine iam fuit adnotatum.

Λαῖτμα, — οἱ μὲν ὅρμημα, οἱ δὲ τὸ κῆτος.] Μέγα λαῖτμα θαλάσσης extat in *Od.* Δ. 504. Scholiasta reddidit βάθος ἢ διάστημα. Igitur κῆτος apud Hesych. in κύτος commutandum est, quod ipsum legere licet in *Scholiis* ad *Od.* H. 35.

Λευκελέφαντινα, λευκὰ ὡς ἐλέφαντινα.] Scripserat: Λεὺκ' ἐλέφαντι, siquidem respexit *Il.* E. 583.

Ἡνία λεύκ' ἐλέφαντι χαμαὶ πέσον ἐν κονίῃσιν.

Scholia similiter explicant.

Λιθάκῃ, πέτρῃ τῇ τραχείᾳ.] Iure merito ad oram Codicis sui adpinxit H. Steph. Λίθακι πέτρῃ. Emendationem adserit *Od.* E. 415.

Μήπως μ' ἐκβαίνοντα βάλῃ λίθακι ποτὶ πέτρῃ
Κῦμα μέγ' ἁρπάξαν, —

Confer ad istum locum *Scholia.*

Μελάνων, μελανῶν, καὶ ὀδυνάων ὀδυνῶν, μελανοποιῶν.] Quidni scriberetur, Μελαινάων ὀδυνάων, ὀδυνῶν μελαινῶν, μελανοποιῶν? Tangit *Il.* Δ. 191.

Ἕλκος δ' ἰητὴρ ἐπιμάσσεται, ἠδ' ἐπιθήσει
Φάρμαχ', ἅ κεν παύσῃσι μελαινάων ὀδυνάων.

Adde eiusdem *Iliad.* vs. 117.

Μεμορυχμένα, μεμολυγμένα.] Μεμορυγμένα legitur *Od.* N. 435.

Μὴ δὲ τ' ἀρ ὠνῇ, δὲ βοηθήσῃ. † Μηδέ τ' ἀρ ὠνοῦντες, μηδὲ βοηθοῦντες.] Locus certe depravatissimus, cuius priora verba facillimo opere emendari poterunt, modo quis mecum scripserit: Μήδ' ἐπ' ἀρωγῇ. Hesychium ita olim edidisse, dubitare non sinit *Il.* Ψ. vs. 574.

Ἀλλ' ἄγετ' Ἀργείων ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες,
Ἐς μέσον ἀμφοτέροισι δικάσσατε, μηδ' ἐπ' ἀρωγῇ.

Scholiasta: μήδ' ἐπαρώγῃ.) μήδ' ἑτέρῳ ἡμῶν βοηθεῖτε. Sed quid reliquis erit faciendum, quae non minorem opem requirunt? Hunc in modum integer locus constitui debet: Μηδ' ἐπ' ἀρωγῇ, μηδέ τις βοηθήσῃ, μήδ' ἐπαρήγοντες *), μηδὲ βοηθοῦντες. Egregiam emendationem illi debes, quem prae aliis observo atque veneror.

Μίγδαλοι, ἀναμεμιγμένοι.] Aut fallor, aut Μίγδ' ἄλλοις, ἄλλοις ἀναμ. ab Hesychio profectum: loquendi formula utitur Homerus *Il.* Θ. 437.

Αὐταὶ δὲ χρυσέοισιν ἐπὶ κλισμοῖσι καθῖζον
Μίγδ' ἄλλοισι θεοῖσι. —

Schol. Μίγδ' ἄλλοισι.) ἀναμεμιγμέναι ταῖς λοιπαῖς.

Νήθων ὕλην, σωρεύων ὕλην.] Licet recepta

*) Cod. Marcian. Μὴ δὲ ταρῶντες. *Editor.*

lectio habeat, quo se tueri possit, at tamen suspicor olim editum fuisse: Νήεον ὕλην, ἐσώρευον ὕλην. quod in funere Patrocli plus semel adhibitum *Il.* Ψ. vss. 139, 163. a diligentissimo Grammatico praetermitti non debuisset.

Νηλιτεῖς, ἀναμάρτητοι, παρὰ τὸ μὴ ἀλιτεῖν. καὶ Νηλίτινες, τὸ αὐτό.] Literarum series indicat legendum: Νηλητεῖς. Tum pro Νηλίτινες scribendum νηλίτιδες *). quam veterum exemplarium diversam lectionem ex Eustath. ad *Odyss.* T. vs. 498. a viro celeberrimo edoctus sum. Apud Homer. legitur *Od.* Π. 317.

— σε γυναῖκας ἐγὼ δεδάασθαι ἄνωγα,
Αἵ τέ σ' ἀτιμάζουσι, καὶ αἱ νηλιτεῖς εἰσιν.

Schol. in suo Codice repererat νηλητεῖς. Inter plura, quae ad hanc vocem notat, διὰ τοῦτο, inquit, τοῦ ἀλιτεῖν διὰ τοῦ ι γραφομένου, τὸ νηλήτης γράφεται διὰ τοῦ η, ὅτι οἱ Αἰολεῖς ἔτραπον τὸ ι εἰς η. Idem ad *Od.* T. 498. vocabulum interpretatur λίαν ἁμαρτωλοὶ, sed merito subiungit, rectius intelligi τὰς ἀναμαρτήτους, ἵν' ᾖ, ὅσαι ἁμαρτάνουσαι, καὶ ὅσαι οὔ. Postremam expositionem eventus verissimam esse monstrat. Vide, si tanti videatur, *Od.* X. vs. 418. et seqq.

Ὁμόδοξος, ἰσότιμος.] Repone ex *Il.* O. 186. Ὁμότιμος, ὁμόδοξος, ἰσότ. Praecesserat enim ὁμοτέρμων.

Ὀπάζει, — περιποιεῖ.] Vir eruditus περιέπει legendum censuit, sed frustra: illa enim λέξις πλείονα σημαίνει. (Schol. verba sunt ad *Il.* E. 334.) ποτὲ μὲν τὸ περιποιεῖν καὶ διδόναι, ὡς ἐκεῖ:

— Τρωσὶν δὲ καὶ Ἕκτορι κῦδος ὀπάζει.

Ita enim videtur legendum. vide *Il.* O. 327. et Π. 730.

---

*) Νηλητεῖς et νηλήτιδες Cod. Marcianus. *Editor.*

Ὀρῶνται, ἐφορμῶσιν.] Istud ὀρῶνται, quod ex ordine literarum in ὄρονται mutari oportuisset, nonneminem fefellit. ὄροντο reperitur *Od.* Γ. 471. Schol. ὥρμων.

Ὀῤῥὸς, τὸ ὑδατῶδες καὶ ἀφιστάμενον τοῦ γάλακτος, ἀπὸ τοῦ ὀρούειν ἀπ' αὐτοῦ.] Qui *cremorem lactis* hac voce designari credidit, Soping. ingeniose locum tentavit, legendo: Ὀ. τ. τυρῶδες καὶ ἐφιστάμενον τ. γ. ἀ. τ. ὀ. ἐπ' αὐτοῦ. Sed lapsus est vir egregius: ὀρὸς enim sive ὀῤῥὸς *lactis sedimentum*, γάλακτος τὸ ἀφύλισμα, uti in sequenti glossa posuit Hesychius, a Grammaticis exponitur. Ὀρὸς, quod in Hesychio reposuisse praestiterit, apud Hom. occurrit Od. I. ubi pastoritiam Cyclopis suppellectilem describit, vs. 222. Schol. ὀρῷ.) τῷ διεφθορότι γάλακτι, ἢ τῇ ὑποστάθμῃ τοῦ γάλακτος. ὀρὸς γὰρ λέγεται ἡ τοῦ γάλακτος ὑδατώδης ὑπόστασις. Adde *Od.* P. 225.

Καί κεν ὀρὸν πίνων μεγάλην ἐπιγουνίδα θεῖτο.

Schol. ὀρόν.) ἀντὶ τοῦ ὀῤῥὸν, — τὸ ἄπηκτον γάλα. κ. λ. Confer *Poll. L. I. Segm.* 251. et Iungerm.

Οὐδ' ἄλα οὐ δὲ τὸ ψυχρὸν καὶ ἄφθονον εἰς χρῆσιν.] Veram lectionem οὐδ' ἄλα δοίης certissime reduxerat Salm. ex *Od.* P. 455. petitam.

Οὐ σύ γ' ἂν ἐξ οἴκου σῷ ἐπιστάτῃ οὐδ' ἅλα δοίης.

Ita locum constituit Aristarchus, τοὺς ἅλας exponens; ubi Callistratus οὔδαλα legebat, τὰ κόπρια ἃ παρὰ τῷ οὐδῷ κεῖται explicans. Οὔδαλα quoque legit Hesych. Subiungit enim: Αἰγύπτιοι δὲ, τῶν ἄρτων τὰ φλογίσματα, quod, ut nuper didici, ab Apione profectum, qui sic Homeri locum fuerat interpretatus.

Οὐ μέν πως νῦν ἐστὶν ἀπὸ δρυὸς, οὐδ' ἀπὸ πέτρης.] Legitur versiculus iste *Iliad.* X. 126, ubi Schol. veterum opinioni, qua infantes ex arboribus

hominibus nasci stulte arbitrabantur, originem adsignat; Didymum sequutus. *Odyss.* T. 163. Ulyssi, qui tum pauperis gerebat habitum, haec inquit Penelope:

Οὐ γὰρ ἀπὸ δρυός ἐσσι παλαιφάτου, οὐδ' ἀπὸ πέτρης.

Hesychius: οὐδ' ἀπὸ παλαιφάτου δρυὸς, τῆς πάλαι φημιζομένης, — τινὲς δὲ γράφουσι παλαιφάτου, ἐπειδὴ παλαιόν ἐστι φυτὸν ἡ δροῦς. Postremo fecerunt, ut alterum παλαιφάτου levi opera in παλαιφύτου ab eruditis hominibus fuerit commutatum. Quid si veram lectionem monstret Homeri interpres, qui ad alterum, quem adduxi, locum, τινὲς δὲ, inquit, παλαιφάγου, ἐπειδὴ οἱ παλαιοὶ βαλανοφάγουν. Hoc loco audacior factus, parum abest, quin scribendum arbitrer: ΠΑΛΑΙΦΑΓΟΥ, ἐπειδὴ παλαιόν ἐστι ΦΑΓΙΟΝ ἡ δροῦς. Recepta enim scriptio perquam facile nasci potuit ex adfinibus literarum Γ et Τ ductibus. Earundem confusionis exemplum sit verbum στραγγεύεσθαι, quod plus decies minimum in hoc libro mutatum in στρατεύεσθαι. Inspice notas ad voces στρατευόμενοι, κυπτάζειν, κλοτοπεύειν, τριψημερεῖν. Adde: 'Οκιμβάζειν, διατρίβειν, ἢ στρατεύεσθαι. corrige: 'Οκιμβάζειν, δ., ἢ στραγγεύεσθαι. Antea legebatur: Οἰκιμβάζειν, στραγγεύσεσθαι, διατρίβειν. Liceat mihi paulisper extra glossas Homericas evagari, ut Hesychium immani mendo, quod ex eodem fonte originem repetit, liberem; suo loco reperire licet: 'Ανδροφῆτες, σύνθετον σῶμα ἐξ ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς ὑπὸ δημιουργοῦ γεγονός. Vix ullum invenies, qui dixerit, quid istud sit ἀνδροφῆτες, nisi fallacem tractum literae σ ante φ, qui in antiquis libris observari solet, sibi in memoriam revocaverit. Tum enim facili negotio deprehendet ΑΝΔΡΟΓΥΝΕΣ ab Hesychio positum,

qui absque ullo dubio respexit κολόσσους μεγάλους καὶ ἀνδρόσφιγγας περιμήκεας, quos Amasis ἀνέθηκε, sicuti scribit Herodotus, *L.* II. *C.* CLXXV. *Glossae Herod.* Ἀνδρόσφιγγα, σύνθετον ἀνθρώπος καὶ σφὶγξ δημιούργημα. Sed illuc redeo, unde discesseram.

Παρ' ἐκνόον ἤγαγέ μου.] Ita editio Hagen. L. με ex *Il.* K. 391.

Πεμποβόλους, πέντε ὀβελίσκους, ἐκ μιᾶς λαβῆς συνεχομένους τριαιονειδῶς.] Semel adhibuit Hom. Πεμπώβολα, quod apud Hesychium olim lectitatum, literae indicio sunt. Deinde τριαινονειδῶς mutari debet in τριαινοειδῶς. Confer omnino *Scholion* ad *Il.* A. 463.

Πεντηκοντόγυρον, πεντήκοντα γυιὰς ἔχον.] Credidissem legendum: πεντηκοντόργυιον, nisi apud Hom. extaret πεντηκοντόγυον *Il.* I. 575.

Πεφήσεαι, τολμήσεις, ὑπομενεῖς, τεθνήξης.] Exciderunt nonnulla. Non male poneretur forsitan: Πεφήσεαι, αἴκε ταλάσσεις, εἰ τολμήσεις, ὑπομενεῖς, τεθνήξῃ. Infra Hesychius Ταλάσεις exponit ὑπομενεῖς, τολμήσεις. Inspice iam quaeso *Il.* N. 829.

— πεφήσεαι, αἴκε ταλάσσῃς
Μεῖναι ἐμὸν δόρυ μακρὸν, —

Cave credas, sequentem glossam a Stephano tentatam. Verbum πεφήσεται, quod ibi exponitur, isto significatu occurrit *Il.* P. 155.

Πίονα ὄργανα, τὰ γεωργικὰ κατ' ἐξοχὴν, τὰ ἡμᾶς πιαίνοντα.] Binis in locis Homero memorantur πίονα ἔργα, hinc emendandus est Hesychius. Schol. νῦν γεώργια inquit ad *Il.* M. 283.

— πεδία λωτεῦντα, καὶ ἀνδρῶν πίονα ἔργα. *Od.* Δ. 518.

Ἐσθίεταί μοι οἶκος, ὄλωλε δὲ πίονα ἔργα.

Πλέωνυξ τῶν δύο μοιρῶν.] Quinimo ex Il. K. 252. legendum — πλέων νὺξ τῶν δύο μοιράων *), ad quem locum Grammatici veteres plura contulerunt.

Προβλήματι, ἐξέχοντι.] Quod praecesserat πρόβλημα erroris origo. Confidenter scribo: Προβλῆτι, ἐξ. Il. B. 396.

— ὅτε κινήσει νότος ἐλθὼν
Προβλῆτι σκοπέλῳ.

Schol. προβεβλημένῳ, ἐκκειμένῳ, ὅ ἐστι προέχοντι εἰς τὴν θάλασσαν. Il. Π. 407. πέτρῃ ἔπι προβλῆτι καθήμενος. Sequens glossa levi vitio ablato ex Il. M. 259. hunc ad modum constituenda est: Προβλῆτας, —

Στήλας τε προβλῆτας ἐμόχλεον. —

Προέρυσαν, προέλυσαν.] Lege ex Il. A. 435. et Schol. προέρυσσαν, προσείλκυσαν.

Πυλάρταο, κρατεροῖο, τοῦ τὰς πύλας ἰσχυρῶς ἐπαρτιοῦντος.] L. Πυλάρταο κρατεροῖο, — ἐπαρτῶντος. Od. Λ. 276.

Ἡ δ' ἔβη εἰς Ἀΐδαο πυλάρταο κρατεροῖο.

Confer ad h. l. Schol. et ad Il. Θ. 567. ubi notat sequentia: ἰσχυρῶς συναρμόζοντος καὶ κλείοντος τὰς πύλας, διὰ τὸ μηδένα ὑποστρέφειν ἐξ ᾅδου.

Σκαιούριον, χαλεπὸν, ἀκρωτήριον.] Corrige, sodes: Σκαιὸν ῥίον **), χαλεπὸν ἀκρωτ. Ecce tibi emendationis auctorem Homerum Od. Γ. 295.

Ἔνθα νότος μέγα κῦμα ποτὶ σκαιὸν ῥίον ὠθεῖ
Ἐς Φαιστόν — —

Schol. σκαιὸν, δεινὸν, χαλεπόν.

Στιχὸς εἶμι, δι' ὅλης τῆς τάξεως αὐτῶν πορεύομαι.] Cuieto στίχους δίειμι coniectanti

*) Cod. Marcian. Πλεώνυξ, τῶν δύνυρα. Editor.

**) Cod. Marcianus: Σκαιὸυριον. Editor.

minime adsentior, probe guarus Hesychium scripsisse:

— στιχὸς εἰμι διαμπερὲς, —

uti loquitur Achilles *Il.* Υ. 362. Schol. διὰ τῆς τάξεως ἐλεύσομαι. Vocabulum διαμπερὲς, quod supra δι' ὅλου ab Hes. exponitur, ob sequentia detritum est.

Σὺν δ' ἡμῖν δαῖτα ταράξῃ, σύνταράξῃ ἡμῶν τὴν εὐωχίαν.] Ita haec glossa pristino nitori est restituenda ex *Il.* Α. 579. Schol. συνταράξῃ ἡμῶν τὴν εὐωχίαν.

Συνοχωκότε, ἐπισυμπεπτωκότες.] Rectius editur *Il.* Β. 218. συνοχωκότε in notissimis versibus, quibus Thersiten expinxit.

Τὰ δ' ἔρημα φοβεῖται, τὰ δὲ πρόβατα ἔρημα γενόμενα τῇ τοῦ ποιμένος φυγῇ.] Adderem: φεύγει, quod ob praecedens φυγῇ loco potuit moveri. Descripsit *Il.* Ε. 140. cuius loci binas adtulit expositiones Scholiasta, quarum alteram, quam secutus est Hesychius, hic lubet adponere: Τὰ δὲ βοσκήματα ἠρημωμένα τῆς τοῦ ποιμένος βοηθείας φεύγει. Qui rationem scire desiderat, ob quam haec explicatio aliis minus placuerit, Scholiasten evolvat.

Τειχεσιβλῆτα, τείχη καταβάλλω.] Genuina haec est Grammatici scriptura, quam temere tentatam docere poterit Schol. ad *Il.* Β. 115. notans: Τειχεσιπλῆτα, τοῖς τείχεσι προσπελάζων, εἰ δὲ διὰ τοῦ β, γράφηται, ὁ τὰ τείχη καταβάλλων. Male editum.

Τεταρπέσθαι, ἐμπλησθῆναι, τερφθῆναι. τετάρπετο, ἐτρέπετο. † Τερπώμεσθα, ἐμπλησθῶμεν.] Haec multis modis distorta sunt; antiqua scriptura hoc modo posset revocari: Τεταρπέσθαι,

ἐμπλησθῆναι (ita quoque Aldus edi iusserat,) τ. † Τετάρπετο, ἐτέρπετο. † Τεταρπώμεσθα, ἐμπλ. Postremum tantum indiget, quo adseratur, loco *Il.* Ψ. 10, 98.

— — ὀλοοῖο τεταρπώμεσθα γόοιο.

Τίπτε δέ σε χρεὼν, τίς δέ σε χρεία καταλαμβάνει.] Sequor editionem Hagen. cum male τίττε ediderit Schrevel. Nescio, quo fato factum fuerit, ut glossa haec diverso modo scripta, alienissimo loco compareat pag. 906. ante v. Τηρεῖ. Τίπτε δέ σε χρεώ. τίς δέ σε χρεία καταλαβεῖν. L. κατέλαβεν. Loquendi formulam, quam interpretes intactam reliquerunt, bis, si bene memini, usurpavit Hom. *Il.* K. 85. et *Od.* A. 285.

Ἀλλ' ἄγε μοι τόδε εἰπὲ, καὶ ἀτρεκέως κατάλεξον,
Τίς δαὶς, τίς δὲ ὅμιλος ὅδ' ἔπλετο, τίπτε δέ σε χρεώ;

Τοῦ δὴ πολλοὶ ἀπὸ σπινθῆρες ἵενται, τοῦ καλουμένου κομήτου ἀστέρος.] Transscripsit *Il.* Δ. 77. ἀστέρα — — τοῦ δέ τε πολλοὶ ἀπὸ σπινθῆρες ἵενται.

Ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε.] Haec ex *Il.* H. 99. sunt desumta, ubi Schol. ἐξ ὧν ἐγένεσθε, εἰς ταῦτα, inquit, πάλιν ἀναστοιχειωθείητε. Tum eximium Xenophanis adfert locum:

Πάντες γὰρ γαίης τε καὶ ὕδατος ἐκγενόμεσθα.

ἐκ γῆς γὰρ, addit, πάντα, καὶ εἰς γῆν τελευτᾷ.

Ὑλακόμωροι, οἱ περὶ τὸ ὑλακτεῖν μεμορημένοι.] Certo constat, Guietum immerito postremam vocem in μαινόμενοι voluisse mutatam. Situe μεμορημένοι ab Hesychio profectum, an vera vocis

scriptura sit μεμωρημένοι *), nondum exploratum est. Posterius cernere datur in *Scholiis* ad vocem ὀλακόμωροι, *Od.* Ξ. 29. obviam; quin et ex Hesychio stabiliri posset, qui supra μωρὸν, — inquit, δηλοῖ καὶ τὸ πεπονηκὸς περί τι. Potius tamen ego μεμορημένοι apud Hesychium servandum putem, eodem quippe modo vocabulum istud et alibi, et in voce ἰόμωροι scriptum extat, imo μεμορημένον suo loco exponitur, ἠσκημένον, πεπονημένον.

Ὑπ' ἐκ διὸς αἶσαν, παρὰ τὸ ἐκ διὸς ἡμαρτημένον.] Quamvis ordo literarum obnitatur, attamen legi debet: Ὑπὲρ Διὸς αἶσαν, παρὰ τὸ ἐκ Διὸς εἱμαρμένον. Firmandae emendationi sufficiet *Il.* P. 321.

Ἀργεῖοι δέ κε κῦδος ἕλον, καὶ ὑπὲρ Διὸς αἶσαν. Schol. παρὰ τὴν τοῦ Διὸς γνώμην. Infra: Ὑπὲρ θεὸν, ὑπὲρ τὸ θεῖον, ἢ τὴν τοῦ θεοῦ γνώμην. ex eiusdem *Il.* vs. 327.

Ὑπέμβρυον, νεογνὸν βρέφος ὑπέβαλεν ἵνα εὕρῃ ἀμέλξαι.] Huiuscemodi locorum vera lectio difficulter revocabitur, nisi veteres scriptores diligenter cum hoc libro conferantur. Absque ullo dubio scriptum reliquerat Hesych. Ὑπ' ἔμβρυον ἧκε, sicuti legere licet *Od.* I. 245. (Adde vss. 309. 342.)

Ἑζόμενος δ' ἤμελγεν ὄϊς καὶ μηκάδας αἶγας,
Πάντα κατὰ μοῖραν, καὶ ὑπ' ἔμβρυον ἧκεν ἑκάστῃ.

Schol. Ὅμηρος, ait, ὑπεναντίον τῆς συνηθείας

*) Sic Cod. Marcianus. *Editor.*

βρέφος μὲν, λέγει τὸ κατὰ γαστρός. ἔμβρυον δὲ τὸ νεογνὸν, ἢ τὸ τέκνον. Quid vero novissimis faciendum: ἵνα εὕρῃ ἀμέλξαι? Nihil succurrit, quod ulla se verisimilitudine commendet, non utique ἵνα μῆλα ἀμέλξῃ, aut: ἵ. εὑρέας ἀμέλξῃ.

Ὑπερέσχεσθε γαῖαν. † Ὑπερέσχεν, ἀνέτειλεν.] Tolli debet signum distinctionis, et ad exemplum *Il.* Λ. 734. emendari:

— ἠέλιος Φαέθων ὑπερέσχεθε γαίης.

Eadem pag. glossae male leguntur divulsae: Ὑπέρεπτε, (*Il.* Φ. 271.) ἤσθιεν, ὑπενεδίδου, ὑπέσυρεν.

Ὑπογλωχίαν, ὑπὸ τὴν γωνίαν.] Scripserat forsan Salm. ὑπὸ γλωχῖνα. Quod enim in nota sub eius nomine editur, ineptum est. Hes. supra in v. γλωχῖνα, — κυρίως, inquit, γλωχῖνες αἱ τοῦ ζυγοῦ γωνίαι. Tangit *Il.* Ω. 274.

— ὑπὸ γλωχῖνα δ' ἔγναμψαν.

Ὑπονηΐῳ, τόπος δένδρον ἔχων, κ. τ. λ.] Praestiterit, credo: Ὑπὸ Νηΐῳ, τ. δένδρα ἐ. Aliter enim locus *Od.* Α. 186. legi non potuit:

Νηῦς δέ μοι ἥδ' ἕστηκεν —
— ὑπὸ Νηΐῳ ὑλήεντι.

Schol. Νηΐῳ.] τῷ πρὸς ὑποδοχὴν νεῶν εὐθέτῳ ὄρει τῆς Ἰθάκης. Meminit quidem Hom. Ἰθάκης ὑπονηΐου, *Od.* Γ. 81. verum id non pertinet ad hanc glossam.

Χίμαροι, οἱ ἐν χειμῶνι γενόμενοι ἔριφοι, καὶ οἱ ποταμοὶ, καὶ ῥύακες.] *Rapidus montano flumine torrens*, Graecis dicitur χείμαῤῥος, quod vocabulum ob similem pronuntiandi rationem cum χίμαρος confusum, (vide in voce Φαγλαὸς) nonnunquam tamen recte in hoc libro scribitur in vocibus Διϊπετέος, ἔναυλοι, χαράδρα, χερά-

δες. Locus, quem attuli, hoc modo videtur constituendus; Χείμαροι *), (id enim postulat literarum series) οἱ ἔριφοι, καὶ οἱ ποταμοὶ ἐν χειμῶνι γενόμενοι, καὶ ῥύακες. Vide Hesych. in v. Χίμαροι. Recotissime Suidas ad v. χείμαῤῥος notavit, χίμαρος δὲ ὁ τράγος, in voce χίμαρος vero, χείμαῤῥος δὲ ὁ ἐν τῷ χειμῶνι ῥέων ποταμός. Homerus *Iliad.* Δ. 452.

— χείμαῤῥοι ποταμοὶ κατ' ὄρεσφι ῥέοντες
Ἐς μισγάγκειαν συμβάλλετον ὄβριμον ὕδωρ.

Saepe quidem ὄβριμος Ἄρης ab Homero usurpatum, frequentissime etiam ὄβριμον ἔγχος, sed ὄβριμον ὕδωρ, nullibi. Quid si itaque legeretur ὄμβριον, (sive ὄμβριμον) ὕδωρ? In locis huic parallelis Διὸς ὄμβρος adhibuit *Il.* E. 91. Λ. 493. Adde N. 138, 139.

Χοροκάλη, καλῶς χωρεύουσα.] Verissimum rursus, quod literae monstrant. Legitur *Il.* Π. 180.

— χορῷ καλὴ Πολυμήλη.

Χρόος, χρὼς, καὶ ἀπὸ χροὸς ἀπὸ τοῦ σώματος διῆλθεν. † Χρωσάμενος, τοῦ σώματος κορεσθείς. † Χρὸς ἄσαι, τοῦ χρωτὸς κορέσαι.] In depravatissimis hisce glossis in ordinem cogendis audacior crisis tentanda est, sed in hoc lexico ferenda. Qui ista ἀποχροOC ΑΠΟ in οὔ πη χροὸς εἴσατο mecum censuerit commutanda, is difficilem se fortassis non praebebit, si hunc in modum glossas reformaverim: Χρόος, χρωτὸς, σώματος: καὶ, οὔ πη χροὸς εἴσατο, τοῦ σώματος διῆλθε **). † Χροὸς ἄμμεναι, τοῦ σώμα-

*) Χείμαῤῥοι cod. Marcianus. *Editor.*

**) Cod. Marcian. Χρόος, χρώς, καὶ τὸ εις ἀπὸ τοῦ σώματος

τος κορέσθῆναι. † Χροὸς ἄσαι, τοῦ χρωτὸς κορέσαι. Erunt, opinor, oppido pauci, quibus hae mutationes prorsus videbuntur alienae, si ad haec Homeri loca animum adverterint, *Iliad* N. 191.

Αἴας δ' ὁρμηθέντος ἀκόντισε δουρὶ φαεινῷ,
Ἕκτορος· ἀλλ' οὔ πῃ χροὸς εἴσατο, πᾶς δ' ἄρα χαλκῷ
Σμερδαλέῳ κεκάλυφθ' — —

Schol. χροὸς εἴσατο.) διὰ τοῦ χρωτὸς διῆλθε. *Iliad.* Φ. 70. ἐγχείη — ἱεμένη χροὸς ἄμμεναι ἀνδρομέοιο. *Iliad.* Λ. 573. et Ο. 317.

— λιλαιόμενα χροὸς ἄσαι.

Postea tamen, quam haec scripseram, vir clariss. me docuit, pro χρωσάμενος reponendum esse χροὸς ἀσάμενος, quum nihil obstet, quominus ista ex alio poëta, quam Homero, Hesychius hauserit.

Ὡς, — ὅτε· — χροὸς ἀσάμενος.

Ἕκτωρ δ' ὡς Σκαιάς τε πύλας καὶ πύργον ἵκανε.}

Nunc quidem apud Homerum legitur *Il.* Ζ. 237.

Ἕκτωρ δ' ὡς Σκαιάς τε πύλας καὶ φηγὸν ἵκανεν.

Recte tamen etiam ab Hesychio πύργον legi potuit; Scaeas enim portas, sive Dardanias eximie alibi πύργον dixit Homerus. Confer *Il.* Γ. 149.

Εἵατο δημογέροντες ἐπὶ Σκαιῇσι πύλῃσι, cum *versu* 153. ex eadem Iliade:

διῆλθεν. Unde restituit Schowius: καὶ τὸ χροὸς εἴσατο, διὰ τοῦ σώματος διῆλθε. Recte, nisi quod praepositio διὰ omitti potuisse videtur. *Editor.*

Τοῖοι ἄρα Τρώων ἡγήτορες ἦντ' ἐπὶ πύργῳ.
Prudenter enim veteres urbium portas locis altioribus imponebant. Ὑψίπυλον Τροίην dixit Hom. *Iliad.* Π. 698. Eodem nomine urbem patriam Ciliciae Thebas laudat Andromache, *Il.* Z. 416. Nihilominus fieri potest, ut Φηγὸν ab ipso Homero fuerit profectum. Vide quaeso *Iliad.* Λ. 170. et H. 22. ubi Apollo et Minerva sibi occurrisse dicuntur παρὰ Φηγῷ.

VII.

L. C. VALCKENAER

DE

HYGINI FRAGMENTO DOSITHEANO

SCHEDIASMA.

(E Miscell. Obss. Critt. Vol. X. T. I. p. 108. ss.)

Non dubito, quin plerique ad *Hygini* Genealogiae mentionem cupide evolverint [illegible] excerptum, quod in ultimo *Miscellanearum* Observationum fasciculo locum invenit; [illegible], ne spe, quam ad inexspectatum nomen con[illegible], delusa, propter insulsam nugacis Grammatici [illegible] reliqua non sine [illegible] tum ad editum *Hyginum*, [illegible] stili *Dositheani* subtilius [illegible] propius considerare noluerint [illegible], has saltem fabulas publice [illegible] non [illegible] judicaverunt. Quum vero [illegible] sit [illegible], qui fragmentum suppeditavit [illegible] negotium mihi datum credidi, [illegible] a Doctiss. *Editore* praestitum fuerit, si quid [illegible] culpa accidisse arbitretur, operose non [illegible]; modo ne quis suspiciosior ita in animum suum inducat, haec propterea a me adferri, ut [illegible] viri merita deprimerem, aut in tantilla re laudem [illegible] quaererem. Nihil hercle minus cogito. [illegible] non existimavi, quamquam [illegible] rerum satago, ut mea hac in parte diligentia [illegible] posset. *Primum* itaque ipsius Codicis, [illegible] Auctoris, *tum* materiae libri [illegible] notitiam, paucula *denique* subjungam, quae ad *Hyginum* propius spectant. [illegible], tametsi nonnullis videbuntur nihil quidquam magno opere ad hanc rem facientia, ego aliter censeo, et, de [illegible] Graecarum Auctore rite judicari non posse, contendo, nisi quis *Dosithei* scribendi rationem, et reliqua cognita habeat et prius exploratissima.

Non dubito, quin plerique ad *Hygini* Genealogiae mentionem cupide evolverint *Dositheanum* excerptum, quod in ultimo Miscellanearum Observationum fasciculo locum invenit; sed vereor, ne spe, quam ad inexpectatum nomen conceperant, delusa, propter insulsam nugacis Grammatici praefationem reliqua non sine fastidio legeriut, ac tres fabulas, tum ad editum *Hyginum*, tum ad inconditam stili *Dositheani* stribiliginem comparatas, paulo propius considerare noluerint: sin vanus hic est metus, has saltem fabulas publica luce non indignas iudicaverunt. Quum vero nulla facta sit Codicis, qui fragmentum suppeditavit, mentio, eius indicandi negotium mihi datum credidi: id quominus à Doctiss. *Editore* praestitum fuerit, si quis mea culpa accidisse arbitretur, operose non intercedam; modo ne quis suspiciosior ita in animum suum inducat, haec propterea a me adferri, ut Humanissimi viri merita deprimerem, aut in tantilla re laureolam quaererem. Nihil hercle minus cogito. Verum committendum non existimavi, quanquan aliarum etiam rerum satago, ut mea hac in parte diligentia desiderari posset. *Primum* itaque ipsius Codicis, *deinde* Auctoris, *tum* materiae libro contentae dabo notitiam, paucula *denique* subiungam, quae ad *Hyginum* propius spectant. Priora, tametsi nonnullis videbuntur nihil quidquam magno opere ad hanc rem facientia, ego aliter censeo, et, de fabularum Graecarum Auctore rite iudicari non posse, contendo, nisi quis *Dosithei* scribendi rationem, et reliqua cognita habeat et prius exploratissima.

Non dubito, quin plerique ad [illegible] Genealogiae mentionem cupide [illegible] excerptum, quod in ultimo Miscellaneorum Observationum fasciculo locum invenit; [illegible], ne spe, quam ad inexpectatam [illegible], delusa, propter insulsam nugarum [illegible] reliqua non sine [illegible] tum ad editum *Hyginum* [illegible] *Dosithei* studiligentia [illegible] considerare noluerint [illegible] saltem fabulas publi[illegible] runt. Quum vero [illegible] fragmentum suppeditat [illegible] tium mihi datum [illegible] a Doctiss. *Editore* praestitum [illegible], si quis [illegible] culpa accidisse arbitretur, operose non [illegible]; modo ne quis suspiciosior ita in animum [illegible], haec propterea a me adferri, ut [illegible] viri merita deprimerem, aut in [illegible] re [illegible] apparerem. Nihil hercle minus cogito. [illegible] non existimavi, quamquam [illegible] rerum satago, ut mea hac in parte diligentia [illegible] desiderari posset. *Primum* itaque ipsius Codicis, [illegible] Auctoris, *tum* materiae libro contentae [illegible] notitiam, paucula *denique* subiungam, quae ad *Hyginum* propius spectant. [illegible], tametsi [illegible] videbuntur nihil quidquam magno opere ad hanc rem facientia, ego aliter censeo, et, de [illegible] Graecarum Auctore rite iudicari non posse, contendo, nisi quis *Dosithei* scribendi rationem, et reliqua cognita habeat et prius explorata.

Non dubito, quin plerique ad *Hygini* Genealogiae mentionem cupide evolverint *Dositheanum* excerptum, quod in ultimo Miscellanearum Observationum fasciculo locum invenit; sed vereor, ne spe, quam ad inexpectatum nomen conceperant, delusa, propter insulsam nugacis Grammatici praefationem reliqua non sine fastidio legerint, ac tres fabulas, tum ad editum *Hyginum*, tum ad inconditam stili *Dositheani* stribiliginem comparatas, paulo propius considerare noluerint: sin vanus hic est metus, has saltem fabulas publica luce non indignas iudicaverunt. Quum vero nulla facta sit Codicis, qui fragmentum suppeditavit, mentio, eius indicandi negotium mihi datum credidi: id quominus a Doctiss. *Editore* praestitum fuerit, si quis mea culpa accidisse arbitretur, operose non intercedam; modo ne quis suspiciosior ita in animum suum inducat, haec propterea a me adferri, ut Humanissimi viri merita deprimerem, aut in tantilla re laureolam quaererem. Nihil hercle minus cogito. Verum committendum non existimavi, quanquan aliarum etiam rerum satago, ut mea hac in parte diligentia desiderari posset. *Primum* itaque ipsius Codicis, *deinde* Auctoris, *tum* materiae libro contentae dabo notitiam, paucula *denique* subiungam, quae ad *Hyginum* propius spectant. Priora, tametsi nonnullis videbuntur nihil quidquam magno opere ad hanc rem facientia, ego aliter censeo, et, de fabularum Graecarum Auctore rite iudicari non posse, contendo, nisi quis *Dosithei* scribendi rationem, et reliqua cognita habeat et prius exploratissima.

Codex, quo *Dositheanum* excerptum continetur, est inter Batavae Biblioth. *Vossianos*, Graecorum voluminum in quarto, ut vocant, septimum. Forma membranarum quadra est; singulae paginae (constat liber in universum LXXX.) in quatuor columnas ad amussim quales ita sunt distinctae, ut Graecis Latina vocabula adcurate respondeant. Literae vivida adhuc nigredine conspicuae, grato nitore lectorem prolectant, neque tamen recentem scriptionem produnt; character Graecus, accentuum et spirituum notis destitutus, uncialis est, sed neque ad vetustissimam scripturam accedit, neque cum ullo speciminum planissime conspirat, quae in Palaeographia Graeca exhibuit Vener. *Montfauconius*; nisi quod plerarumque tamen literarum tractus egregie cum illis conspirant, quos e Cod. Reg. p. 214. enotavit. Hinc si foret indicandum et ex accentuum absentia, ad summam antiquitatem Codex noster adsurgeret: verum ab istac cogitatione abducor, dum Latinam scripturam considero, et ad MS. specimina e Psalterio et Glossario depromta, quae in Palaeogr. prostant p. 257. et 248. comparo. Re tandem diligentius explorata, vix dubito, quin *Vossianus* Codex DCCCC annorum antiquitate sit commendabilis Saec. VIII. sive IX. conscriptus, et quidem a Librario Latino, qui, dum Graecas literas scienter pingere didicerat, Linguae inscius fuit et rudis. Graecae voces mirabiliter mendosae eiuscemodi passim vitiis scatent, quae difficulter emaculari possent absque Latinae versionis subsidio, si Graeca spectes, paucissimis mendis inquinatae; unde facile dignosci potest, uter sermo Calligrapho fuerit nativus, Graecus, an Latinus.

Salmasius, qui hunc Codicem utendum acceperat a *Christiano Rumpfio*, Medico, e cuius Bibliotheca in *Vossianam* devenit, librum vocat ve-

tustissimum Observ. ad Ius Att. et R. c. XXIII. p. 505., quaeque inde idem protulit, *vetusto auctori anonymo* accepta refert, quem in Plinianis p. 916. *Veterem Grammaticum* nuncupaverat. Auctoris nomen Codex *Vossianus* nuspiam praefert, olim fortasse initio adpositum, quatuor enim priorum paginarum scriptura, non temporis diuturnitate fuit detrita, sed data opera ab otioso homine, ut nescio quibus inaniis excipiendis inservirent, inducta. Catalogus *Dosithei* nomine librum commendat p. 395. *Glossae Dosithei Graeco-Latinae, qui sub Hadriano vixit, cuius complura recenset apophthegmata egregie scripta.* Credibile, non aliter fuisse in *Vossiano* indice: *Isaacus* certe *Vossius* ad Catull. p. 97. e *Dosithei* Glossis profert, quae hoc in libro reperiuntur, si unum exceperis Ποδεχμαγεῖον, *pedale*, ex alio eiusdem libri apographo forsan desumtum, e quo non nullas insignis bonitatis glossas edito *Philoxeni* Glossario sub *Dosithei* nomine adscripserit *Vossius*, quae in Leidensi Cod. frustra quaesiveris; veluti sunt sequentia: *Deliquo*, διηθῶ. *Palor*, ῥέμβομαι, πασσαλοκοπῶ. *Palpor*, κροτῶ. *Praesidior*, βοηθῶ. *Racemor*, κοκκολογῶ. *Sannor*, μυκτηριάζω. *Subdor*, ἐφεδρεύω, βοηθῶ. et quae plura ad manum sunt. Certiora, quae librum nostrum *Dositheo* auctori vindicent, indicia is Codex subministrat, quo usus fuit *Cujacius*, quemque apud *Cujacium* vidisse sese adfirmat *Scaliger* in *Scaligeran.* p. 128. e quo postea *Dosithei Magistri Liber III. continens D. Adriani Imperatoris sententias et epistolas* vulgatus est a *Goldasto*; et cum eiusdem notis *Iurisprudentiae Veteri Ante-Iustin.* ab *Antonio Schultingio* V. C. subiectus. Vbi in Gloss. Graec. Barb. *Dosithei sentent. Lib. III.* citat *Ioannes Meursius*, a levi errore non est inmunis. Quae a *Goldasto* edita

sunt, universa, non sine aliqua scripturae diversitate, in Vossiano Codice continentur, et eundem Auctorem produnt. Quo argumento nitatur Catalogi *Vossiani* Auctor, qui *Dositheum* sub Hadriano vixisse adfirmat, exputare nondum potui; incertae aetatis Scriptor videbatur *I. A. Fabricio*, qui inter Grammaticos Graecos *Dositheo* etiam locum concessit Bibl. Gr. Vol. VII. p. 59. et 60. Si qua *Dositheo* fides, neque succurrit, quod eam labefactet, nulla amplius de eius aevo poterit remanere dubitatio, quum *Apro et Maximo Coss.* id est sub initium saeculi III. anno post C. N. CCVII. *Hygini* Genealogiam a se descriptam, liquido adseveret; quod non parum *Reinesii* confirmat sententiam, a qua non abhorruit *Schultingius* in praefat. p. 15. argumento in rem suam usus minime spernendo.

Is itaque *Dosithei* liber *bina* primum continet *Glossaria*, deinceps *Hadriani responsa*, *Fabulas Aesopias*, *Iuris antiqui fragmentum*, *Excerptum ex Hygini Genealogia*, tandem *belli Troiani historiam*. Singula praefationibus a se invicem discernuntur; omnia Graece et Latine a Magistro conscripta, pueris erudiendis inserviisse, ex variis indiciis certo constat. Integro operi Auctor titulum videtur fecisse: Ἑρμηνεύματα, *Interpretamina*. In praefatione secundo Glossario praefixa, ἐν τῷ πρώτῳ, inquit, βιβλίῳ τῶν ἑρμηνευμάτων ὡς πρῶτα συνηνέγκαμεν ῥήματα, *in primo libro interpretamentorum*. Libro primo subiungitur: *Impletum est primum interpretamen.*

Primus, quem dicit, liber in *Voss.* Cod. hac ratione incipit:

Ἔτι πλέον, *aut amplius.*
Καὶ μεῖζον, *et majus.*
Καὶ ἐλευθεριώτερον, *et liberius.*
Καὶ πληρέστερον, *et plenius.*

Καὶ ὑπέρμεστον,	*et cumulatissimum.*
Δαψιλέστερον γὰρ,	*largitius enim.*

Eadem mox pagina sequitur:

Ἀποδώσω οὖν,	*reddam ergo.*
Τὰ λοιπὰ,	*cetera.*
Κατὰ στοιχεῖον,	*per literas.*

Nihil est causae, cur moneam in MS. legi *ταλῶπα κατάστυχιον*. Literarum *ει* et *ι*, *υ* et *οι*, *αι* et *ε* permutationem hoc in libro, uti in aliis, perpetuam in numerum mendarum, quas memoravi, ne quidem retuli; earum etiam, si quid in medium proferam, nulla a me habebitur ratio. Ista autem, quae posui, verba breve excipit Glossarium ad ordinem literarum digestum, quo vix quidquam continetur, quod non sit pervulgatum et in editis Gloss. obvium. Quae subjiciam tametsi mendis non vacant, haud indigna videbantur, quae inde enotarem:

Ζώνη,	*Simicinthium.*
Θυμαντικὸς,	*Animosus.*
Ἰκεσία,	*Supplicatio, Praefatio.*
Κλάννει,	*Frangit.*
Κυβευτὴς,	*Stlactarius.*
Λάωμεν,	*Micemus.*
Τύπτει,	*Foedit.*

Absoluto hoc Glossario, atque adeo primo interpretaminum libro, in MS. p. 7. laudat Magister *diligentiam suam*, et *studium, quo transscripserit librum omnibus dignissimum*, et quae huiusce farinae plura sunt; ἐν τῷ δευτέρῳ, addit, βιβλίῳ ἐροῦμεν, ὧν καὶ θελήσει πρόνοια, *in secundo libro dicimus, quorum et vult providentia.* Secundus iste liber Glossarium complectitur, nisi Onomasticon mavis vocare. ' Veteris notae et ex optimis libris a *Dositheo* decerptum, non ad Alphabeti seriem dispositum, sed in capita XXXVII. distinctum.

cuiusce generis Glossarium ab *H. Stephano* vulgatum Thesauro utriusque Linguae inseruit *Vulcanius*, quocum scriptus libellus ita convenit, ut et edito sit auctior, et ad mendas, quibus is oppletus est, detegendas et emendandas facillimam viam non raro aperiat. In capite *de spectaculis* in *Vulc.* Ed. Col. 274. reperies: *Tubicines*, Κήρυκες. *Puerili*, Πιεαύδη. *Coraule*, Χοροαύλη. Eo haec posui, quod *Puerili* ista in sede non conveniant, et *Vulcanio* atque *Meursio* caliginem obiecerint. Dubium non est, quin pro *puerili* legendum sit *Pythaulae.* En, quae MS. suppeditat: Σαλπισταὶ, *Tubicines.* Κήρυκες, *Curiones.* Πυθαύλαι, *Pythaulae.* Χοραύλαι, *Choraulae.* Primum Glossarii caput, e quo de reliquis constare possit, non pigebit descripsisse:

ΠΕΡΙ ΘΕΩΝ.	DE DIIS.
Θεῶν ὀνόματα,	Deorum nomina.
Θεοὶ ἵλεοι,	Dii propitii.
Οὐράνιοι,	Celestis.
Ἐπίγειοι,	Terrestris.
Θαλάσσιοι,	Marini.
Θεοὶ καταχθόνιοι,	Dei inferni.
Δαίμονες,	Demones.
Σκιά,	Umbra.
Κρόνος,	Saturnus.
Ζεὺς,	Iovis.
Ζεὺς βροντῶν,	Iovis tonans.
Ζεὺς ἀστράπτων,	Iovis coruscans.
Ζεὺς κεραύνιος,	Iovis fulminans.
Ζεὺς μέγιστος,	Iovis Maximus.
Ζεὺς Κτήσιος,	Iovis Specularus.
Πυλαῖος,	Ianus geminus.
Ὀρθώσιος,	Stator.
Στρόφιος,	Bulturnus.
Πόσειδῶν,	Neptunus.

Ἥλιος,	Sol.
Χάρων,	Orcus.
Πλούτων,	Ditis pater.
Σέραπις,	Serapis.
Διόνυσος,	Liber pater.
Ἀπόλλων,	Apollo.
Ἀσκληπιός,	Aesculapius.
Ἡρακλῆς,	Herculis.
Ἑρμῆς,	Mercurius.
Πὰν,	Silvanus.
Διόσκοροι,	Castores.
Πρίηπος,	Priapus.
Ἄρης,	Mars.
Βαίπυλος,	Abaldir.
Ἔρως,	Cupido.
Καρποφόρος,	Frugifer.
Ἐφιάλτης,	Incubus.
Αἰὼν,	Aeternus.
Δαίμων,	Genius.
Σίληνος,	Ingenis.

Huius non est operae, in mendis eluendis diutius morari: unum attingam, ne quis, si id praetermisissem, postea mihi vitio vertat. Pro Βαίπυλος, *Abaldir*, scribi debet: Βαίτυλος, *Abaddir*. *Priscianus* Lib. V. p. 647. *Abadir Deus est; dicitur et hoc nomine lapis ille, quem Saturnus dicitur devorasse pro Iove, quem Graeci Βαίτυλον vocant.* Hunc locum, et ad peregrinam utriusque nominis formam declarandam plurima, notavit *S. Bocharlus* Geogr. S. P. II. L. II. c. 11. col. 707. et 708. Etymologi notam in Βαίτυλος eadem ratione praefert MS. *Leidensis*, qua eam emendandam Vir Eruditissimus admonuit.

Glossario, quod secundi Interpretamentum libri vices praestat, eadem illa: Θαυμαστόν ἐστι καὶ ἐπαινετὸν et reliqua subnectuntur in MS. p. 50.

Q 2

et seqq. quae sub *Dosithei* nomine edidit *Goldastus*. Ab his nec Graeca neque etiam Latina nisi in levioribus discedunt; Graecae autem quae vocantur *Hadriani* sententiae a praefationum stilo non deflectunt, et eam movent suspicionem, Auctorem Latinum habuisse, e qua nonnulla Lexicorum istius aevi subsidio, Graece verterit *Dositheus*, qui ad istam postea versionem in usum puerorum Latina etiam vocabula adiecerit.

Tandem ad fabulas *Aesopias* in MS. p. 40. deveni, non infimam libri *Dositheani* partem. Primae fabulae initium tantum dedit *Goldastus*, in cuius apographo reliqua omnia deerant. In *Vossiano* fabulae occurrunt XVIII. ab illis, quae vulgo sub *Aesopi* nomine circumferuntur, longe diversae, quaeque eorum sententiam, qui has *Planudae* deberi censuerint, minime labefactent. Prudenter itaque adsensum sustinuit *J. A. Fabricius* Bibl. Gr. Lib. II. c. IX. §. II. *Vossianus* Codex, quem ibidem indigitat *Boylius*, dubium non est, quin is ipse sit qui prae manibus versatur, quem melius vocasset Codicem 500. annis ante *Planudae* aetatem conscriptum. Fabulae, quas continet, *Aesopiae* non sunt invenustae, et ab homine Graece scientissimo conscriptae, raro a *Dositheo* interpolatae, sed iam eodem in Latinum sermonem versae. Unam et alteram e MS. producam, postquam nonnulla de *Hygini* fragmento monuero.

Fabulas *Aesopias* nova iterum excipit Praefatio p. 47. diversi generis materiae inserviens, quam propterea non indicabo, ut hanc partem Amico meo integram relinquam, qui pulcerrimo munere Iuris antiqui studiosos brevi sibi demerebitur. Praefationis describendae molestiam non insumam, cum nihil distet ab editis, e quibus hominis ingenium,

quantum pro *Hygini* fabulis sufficiat, perspici potest atque dignosci.

Sequuntur p. 58. quae ad *Hyginum* spectant in Miscellaneis vulgata: ultimam fabulam continuo sequitur belli Troiani enarratio, e periochis *Homericis* consarcinata, et ob Latinam versionem, in qua formae subinde occurrunt insolentiores, haud spernenda.

Redeo, unde discesseram, et in *Hygini* fragmento, cuius causa hanc operam, quantulacunque ea est, insumsi, aliquantisper subsistam. Praemonendum tamen videtur, quod plerique me tacente suspicabuntur, Indicem Excerpto in Miscellaneis p. 418. praefixum, non legi in MS. neque inibi *Hygini* fabularum fieri mentionem, quam p. 419. aliquoties offendes. Haec et alia apographo adscripseram, quorum in censum inportunum istud ἄζυγος referri debet, quod a me inconsiderate libri orae adscriptum, evulgari non debuisset. In vitiis porro, quae in excerpto remanserunt, tollendis male sedulam diligentiam non ponam, neque etiam, quae ab *Hygino* aliena videntur, attingam, sed vero paucis inquiram, quid per *Hygini Genealogiam* intellexerit *Dositheus*, et si quid commodi hinc ad editum *Hyginum* derivari possit. Primum adscribam *Dosithei* verba: Μαξίμῳ καὶ Ἄπρῳ ὑπάτοις πρὸ γ' εἰδῶν Σεπτεμβρίων Ὑγίνου Γενεαλογίαν πᾶσιν γνωστὴν μετέγραψα, ἐν ῇ ἔσονται πλείονες ἱστορίαι διερμηνευμέναι ἐν τούτῳ τῷ βιβλίῳ. *Maximo et Apro Consulibus Tertio id. Septemb. Ygini Genealogiam omnibus notam descripsi, in qua erunt plures istoriae interpretatae in hoc libro.* Si fabulas, earumdemque indices consideres, nihil offendas, quod non ad Mythologiam potius, quam ad Genealogiam pertinuisse, censeri possit; nam, quod in dissert. de Script. Mythol. contendit *Tho-*

mas Galeus, proprie utrumque genus a se invicem diversum, verissimum est; nihil tamen impedit, quominus quis, utrumque simul complexus, Genealogiam conscripsisse dici queat. In Genealogiis elaborasse *Hyginum*, ex Poët. Astronom. II. c. XII. inter omnes constat; num vero istud opus perierit, nec ne, non una est sententia. Genealogias ab *Hygino* vocari, quarum epitome sub fabularum nomine in vulgus fuerit edita, suspicabatur *Galeus*, id ipsum *Iacobus Micyllus* et in dissert. *Hygino* praemissa *Ioannes Schefferus* videntur credidisse. Horum sententiam non parum commendat *Dositheus*, qui, postquam *Hygini* Genealogiam a se descriptam fuisse monuerat, addit: ἐν ᾗ ἔσονται πλείονες ἱστορίαι διερμηνευμέναι ἐν τούτῳ τῷ βιβλίῳ. Credibile itaque, indidem fabulas a *Dositheo* fuisse descriptas, quarum indices tantum, sive ignavia seu membranarum penuria posuerit librarius; bonum factum, quod non omnes omiserit, ex iis, quae supersunt, de reliquis iudicandum. Quae inter Latinas *Hygini* fabulas leguntur, 138. 141. 144. eaedem sunt cum *Dositheanis*, et in his vix quidquam occurrit, quod in illis non reperiatur.

Prima Fabula, *de Prometheo*, apud *Hyginum* CXLIV. iisdem fere verbis concepta, et quae ibi praemittuntur, servum etiam interpretem produnt, *ignem*; — *quod*. τὸ πῦρ. — ὃ. In fine legitur: *hanc aquilam post triginta annos Hercules interfecit* etc. *Dositheus*: τοῦτον οὖν τὸν ἀετὸν.. reliqua deerant in MS. in quo, absque ullius lacunae indicio, sequebantur, quae ad aliam fabulam olim pertinuerint. Clariss. *G. A.* in literis nuperrime ad me datis, »*Hiatus*, inquit, est in historia Pro»methei, post verba enim τοῦτον οὖν τὸν ἀετὸν, »desiderantur finis illius fabulae et integrae quinque

» sequentes cum parte sextae; verba enim τὰ κάλ-
» λιστα τῆς ὀπώρης etc. ad fabulam Tantali per-
» tinent, intra quam et primam Promethei de Ve-
» nere egerat, de Minerva et Neptuno, de Actaeone,
» de Daedalo, de Apolline et Cassandra, uti ex
» indice ab ipso Dositheo adposito manifestum."
Secunda fabula, quae *de Philyra* agit in cognomi-
nem arborem demutata, apud *Hyginum* est 138.
In Graeca de Chirone dicitur: ὃς πρῶτος ἰατρικῆς
ἐπιστήμης εὑρετὴς ἐγένετο. *Hygin. qui artem me-
dicam primus invenisse dicitur.* in Latina *Dosithei*
versione MS. *qui primus medicinae artis disciplinae
adinventor fuit.* Observari potest, unam Graecam
vocem duabus eiusdem usus Latinis reddi, atque
adeo de Graecis Latinam factam versionem: deinde
notanda locutio, *medicinae artis*, apud *Hyginum*
plus semel obvia, et de Graecis ἰατρικῆς ἐπιστήμης
satis inperite expressa. Vltima tandem fabula lon-
gius videri posset ab *Hygin.* fab. 141. recedere, nisi
ex *Dositheo* hac ratione emendandum *Hyginum*
censueris: *Sirenes — Proserpinae raptum lamen-
tantes ad Apollinis petram venerunt.* quae quidem
licentia in Hygino facile ferenda, mirum in modum
mendoso, et ad scriptum Codicem post primam
editionem nunquam explorato: neque etiam novi,
qui *Hygini* fabulas in vetusto Codice uspiam gen-
tium reperiri, tradiderit, quod non immerito quis
miretur, praesertim cum Astronomicum *Hygini*
opus, sub titulis pro librariorum libidine diversis,
passim in Bibliothecis latitet.

Dignum vero, quod peritiores diligentius per-
sequantur, fuerintne *Hygini* fabulae Latine pri-
mum conscriptae et a *Dositheo* Graece redditae,
an contra Graecas fabulas sub *Hygini* nomine legerit
Dositheus, et hinc nonnullas Latine reddiderit. *Hy-
gini* fabulas e Graecis Latine versas ad nos devenisse,

haud absurde cogitari potest, et fuerunt, quibus istaec sententia non displicuerit. Multum hac in re disputare, huius non est loci: ausim tamen contendere, Graecas, quae sub *Hygini* nomine prostant in Miscellaneis, *Dositheo* non deberi. Earum stilus pro materiae ratione simplex, sed nitidus est, et a *Dositheano* immensum quantum diversus et disparatus. Contendat modo quis *Dosithei* praefationes cum in Miscell. tum a *Goldasto* vulgatas, quin ipsas, quas vocat, *Hadriani* sententias, et hominem agnoscet Graecarum literarum rudem et plane expertem: sicubi enim ex inconditu scribendi forma et sordidi ingenii faece seso videtur emergere, veluti in lege de Parricidis §. 15. Graecos, quos descripserit, Auctores habuisse existimari debet. Eiusdem generis occurrunt §. 17. ed. *Schult.* p. 877. a reliquis, quorum vix quisquam sensum adsequatur, alio plane colore dissita: πρῶτον πάντων Θεοὺς σέβεσθαι, οὐ λιβάνῳ, ἀλλὰ συνειδήσει. Γονεῖς τιμᾶν. Τέκνοις ἐγγλυκαίνειν. quorum ultimum, si vel MS. huic lectioni non adsentiretur, ex sagaci *Tornaesii* coniectura in textum debuisset a *Goldasto* recipi, quem a legitima hac consuetudine nulla alias religio removit.

Sola itaque Latina fabularum *Hyginianarum* versio *Dositheo* videtur tribuenda, qui pari ratione in *Aesopiis* fabulis versatus, ab alio Graece conscriptas in Latinum sermonem transfudit. Harum is nitor, ea est elegantia, ut Graeca *Dositheo* deberi, nulla ratione mihi persuadere potuerim. Fieri tamen facile potest, ut fallar, et propterea, ut liberam omnibus faciam cogitandi copiam, ex *Aesopiis* fabulis primam et ultimam describam, ea ratione, ut in Graecis scriptionem, quoad eius modeste fieri potuit, emendatam repraesentem, Latinam versionem non attingam. Prima fabula apud *Phae-*

drum, Locmannum et alios obvia; postremam vivide in notissima Satira expinxit *Horatius.* Neutra occurrit in *Aesopi* fabulis.

DE CERVO.

Ἔλαφος εὐμεγέθης ὥρᾳ θέρους, δίψῃ λειπόμενος παραγίνεται ἐπί τινα πηγὴν διαυγῆ καὶ βαθεῖαν, καὶ πιὼν ὅσον ἤθελεν, προσεῖχε τῇ τοῦ σώματος, καὶ μάλιστα μὲν ἐπῄνει τὴν φύσιν τῶν κεράτων ἀνατεταμένων τε εἰς πολὺν ἀέρα, καὶ ὡς κόσμος εἴη παντὶ τῷ σώματι· ἔψεγε δὲ τὴν τῶν σκελῶν λεπτότητα, ὡς οὐχ οἵων τε ὄντων αἴρειν τὸ βάρος· ἐν οἷς δὲ πρὸς τούτοις ἦν, ὑλαγή τε κυνῶν αἰφνιδίως ἀκούεται, καὶ κυνηγεταὶ πλησίον· ὁ δὲ πρὸς φυγὴν ὥρμα, καὶ μέχρις ὅπου διὰ πεδίων ἐποιεῖτο τὸν δρόμον, ἐσώζετο ὑπὸ τῆς ὠκύτητος τῶν σκελῶν· ἐπεὶ δὲ εἰς πυκνὴν καὶ δασεῖαν ὕλην ἔπεσεν, ἐμπλακέντων αὐτοῦ τῶν κεράτων ἑάλω, πείρᾳ μαθὼν, ὅτι ἄρα ἄδικος

Cervus bonae magnitudinis aestivo tempore siti deficiens advenit ad quendam fontem limpidum et altum, et cum bibisset, quantum volu- erat, adtendebat a corpori, et maxime quidem laudabat naturam cornuorum excelsissimam in multo aëre, et quod ornamentum esset omni corpori, culpabat autem crurum exilitatem, quasi non essent ferre pondus: sed cum in his esset, latratus canum subito audiit, et venatores proximo: at ille in fugam ibat, et quamdiu quidem per campos faciebat cursum, liberabatur a velocitate crurum, sed ubi in spissam et condensam silvam incidit, obligatis ei implicatus cornibus captus est, modo perdiscens, quod iniustus esset suorum iudex, culpas

ἣν τῶν ἰδίων κριτής, ψέγων μὲν τὰ σώζοντα αὐτόν, ἐπαινῶν δέ, ὑφ' ὧν προδέδοται.

quidem vituperans, quae salvabant eum, laudans autem, a quibus deceptus esset.

Quod in initio fabulae legitur, ὅσον ἤθελεν, a *Dositheo* videtur adiectum. Προσεῖχε τῇ τοῦ σώματος sensum non perficit. Paulo aliter vulgavit *Goldastus*. A MS. lectione non recessi, quia videbatur a *Dositheo* profecta. Pristina, nisi fallor, *Auctoris* scriptura fuit: προσεῖχε τῇ τοῦ σώματος εὐφυΐᾳ. Haec propria vocabuli, secundario usu ad mentis virtutem translati, sedes. Apud *Homer.* Il. Δ. vs. 147. εὐφυέες μηροί. *Euripides* Iphig. Aul. vs. 1516.

— εὐφυῆ τε σώματος
Δέρην σφαγεῖσαν. —

Facete *Alexis* apud *Athen.* XIII. p. 568. C.

Εὐφυεῖς ὀδόντας ἔσχεν; ἐξ ἀνάγκης δεῖ γελᾶν.

Quae quidem a *Dositheo* aliena sunt, minime vero ab hac fabula, in qua omnia ad optimorum scriptorum usum posita sunt et conformata. Inferius pro ἐν οἷς δὲ π. τ. ἦν probem legi ἐν ᾧ δὲ π. et pro μέχρις ὅπου, μέχρις οὗ. In fine MS. praefert ἐνπλακεντων αὐτω. quod versionis rationem declarat. Ecce Tibi ultimam fabulam.

DE MVRE RVSTICO ET VRBANO.

Μῦς ἀρουραῖος ἐκάλεσεν ἐπ' ἑστίασιν μῦν ἀστικόν, καὶ παρεῖχεν αὐτῷ σιτεῖσθαι τὰ ἐν ἀγρῷ σύκων τε καὶ στα-

Mus silvester vocavit ad cenam murem urbanum, et praestabat ei vesci quae in rure, ficus et uvas et cetera poma;

φυλλῶν καὶ τῶν ἄλλων ἀκροδρύων· ὁ δὲ πολλὴν αὐτοῦ πενίαν κατεγίνωσκεν, ἐκέλευέ τε τῇ αὔριον ἀφικνεῖσθαι πρὸς αὐτόν, καὶ ὃς εἰς πλουσίου ταμεῖον αὐτὸν εἰσαγαγὼν παρεῖχεν εὐωχεῖσθαι, τοῦτο μὲν κρεῶν παντοδαπῶν, τοῦτο δὲ ἰχθύων, ἔτι δὲ καὶ πλακούντων. ἐν ᾧ δὲ πρὸς τούτοις ἦσαν, ἡ Ταμιοῦχος ἐπεισῆλθεν, καὶ τούτους δέος τε καὶ φυγὴ καταλαμβάνει, καὶ ὁ ἀρουραῖος πρὸς τὸν ἀστικόν, σὺ μὲν, ἔφη, ταύτης ἀπόλαυε τῆς τροφῆς, μετὰ τοσούτων ἐδεσμάτων, ἐγὼ δὲ χαίρω τῇ μετὰ ἀδείας καὶ ἐλευθερίας τροφῇ.

at ille multam eius paupertatem agnoscebat, iubebat ei in crastinum venire ad se et ille in divitis cellarium eum induxit, praestabat epulari hac et quidem carnium omnium diversitatem, etiam et piscium; super et placunctarium dulciorum: in quo autem ad eos erant, Cellaria introivit, et eos necessitas et fuga conprehendit, et silvester ad urbanum, Tu, inquit, eas fruere epulationes cum tantis cibis, ego autem gaudio soluto et libero cibo.

Vnicam adiiciam, quae postremam in MS. proxime antecedit, quia *Planudae* fab. 154. videtur observata.

DE FORMICA ET CICADA.

Χειμῶνος ὥρα σῖτον ἐκ μυχοῦ σύρων ἔψυχε μύρμηξ, ὃν θέρους σεσωρεύκει, τέττιξ δὲ τοῦτον ἱκέτευσε λιμώττων, δοῦναί τι καὶ αὐτῷ τῆς τροφῆς, ὅπως ζήσῃ, τί

Iemis in tempore, frumentum e cubo trahens siccabat formica, quod per aestum collegerat, cicada autem eam rogabat esuriens dare aliquid sibi ex cibo unde et vivat,

οὖν ἐποίεις, φησὶν, τῷ θέρει τούτῳ, οὐκ ἐσχόλαζον, ἀλ ἀ διετέλουν ᾄδων, γελάσας δὲ ὁ μύρμηξ, τόν τε πυρὸν ἐγκλείων, χειμῶνος ὀρχοῦ, φησὶν, εἰ θέρους ᾖσας.

quid ergo faciebas, inquit, per aestatem hanc, non mi vacabat, quia perseveravi cantando, ridens ergo autem formica, et frumentum includens, iberno salta, dixit, si per aestum cantasti.

Octoni, ut vides, sunt choliambi non invenusti:

Χειμῶνος ὥρᾳ σῖτον ἐκ μύχου σύρων
Ἔψυχε μύρμηξ, ὃν θέρους σεσωρεύκει,
Τέττιξ δὲ τοῦτον ἱκέτευσε λιμώττων
Δοῦναί τι καὐτῷ τῆς τροφῆς, ὅπως ζήσῃ·
Τί οὖν ἐποίεις, φησί, τῷ θέρει τούτῳ,
Οὐκ ἐσχόλαζον, ἀλλὰ διετέλουν ᾄδων,
Γέλασσε μύρμηξ, τόν τε πυρὸν ἐγκλείων
Χειμῶνος ὀρχοῦ, φησίν, εἰ θέρους ᾖσας.

VIII.

LVDOVICI CASPARI VAKCKENAERII

OBSERVATIONES,

QVIBVS VIA MVNITVR

AD

ORIGINES GRAECAS INVESTIGANDAS

ET

LEXICORVM DEFECTVS RESARCIENDOS.

Ab eo usque tempore, ex quo, praeiudicatis opinionibus, quas immoderata priorum patrum reverentia, liber et vacuus, perspicere coepi ipse patentem et nunquam exhauriendam scientiarum amplitudinem, atque adeo, ex quo ad Graecas potissimum litteraturam, ducta Magni Viri, Tiberii *Hemsterhusii*, animum meum applicui; ea saepius mentem subiit cogitatio, quid tandem esset causae, quapropter *Graecae linguae*, quae mihi tam tum ad eam lucem, quam divinum *Hemsterhusii* ingenium spargebat, admodum facilis videbatur et expedita, tanta vulgo existimaretur difficultas, quae ab eius studio, severa lege tractando et persequendo, plerosque, etiam nobilioris animi, iuvenes deterreret et averteret: cui cogitationi inhaerenti mihi potissima patuit ratio, quam, re altius repetita, hic explicabo.

Linguarum, quae ex usu recesserunt, cognitio, sine subsidiis et adminiculo Grammaticorum et Lexicographorum, hauriri ac percipi non potest. Tum vero ad linguam Graecam addiscendam subsidia subministrare posse videntur *Grammatici* et *Lexicographi* tum veteres tum recentiores. Verum enim vero veteres quod attinet *Grammaticos* et *Lexicographos*, natione Graecos, eos interiorem linguae patriae naturam et indolem, ac *primigenias* et fere obsoletas verborum *potestates*, non satis esse perspectas, admirandum non est, quandoquidem res humanae ita sunt comparatae, ut, qui primi artem et scientiam tradere, et in *systema*, quod vocant,

---

Ab eo usque tempore, ex quo, praeiudicatis opinionibus, quas immoderata priorum parit reverentia, liber et vacuus, perspicere coepi late patentem et nunquam exhauriendam scientiarum amplitudinem; atque adeo, ex quo ad *Graecam* potissimum *litteraturam*, ductu Maximi Viri, *Tiberii Hemsterhusii*, animum meum applicui; ea saepius mentem subiit cogitatio, quid tandem esset caussae, quapropter *Graecae linguae*, quae mihi iam tum ad eam lucem, quam divinum *Hemsterhusii* ingenium spargebat, admodum facilis videbatur et expedita, tanta vulgo existimaretur difficultas, quae ab eius studio, severa lege tractando et persequendo, plerosque, etiam nobilioris animi, iuvenes deterreret et averteret: cui cogitationi inhaerenti mihi potissima patuit ratio, quam, re altius repetita, hic explicabo.

Linguarum, quae ex usu recesserunt, cognitio, sine subsidiis et adiumento Grammaticorum et Lexicographorum, hauriri ac percipi non potest. Iam vero ad linguam Graecam addiscendam subsidia subministrare posse videntur *Grammatici* et *Lexicographi* tum veteres tum recentiores. Verum enim vero *veteres* quod attinet *Grammaticos* et *Lexicographos*, natione Graecos, eos interiorem linguae patriae naturam et indolem, ac *primigenias* et fere obsoletas verborum *potestates*, non habuisse perspectas, admirandum non est, quandoquidem res humanae ita sunt comparatae, ut, qui primi artem et scientiam tradere, et in systema, quod vocant,

redigere aggrediuntur, non possint non lubricis multiplicium errorum ambagibus implicari. Praeterea veritatis est exploratissimae, veteres, tam Graecos, quam Latinos, in linguae vernaculae natura et indole coecutivisse universos; quin imo in plerisque etiam rebus patriis antiquis: cuius rei, praeter alia, illustre documentum suppeditabit homo, natione Graecus, *Dionysius Halicarnasseus*, quippe qui Romanorum res antiquas ipsis Romanis, quod inter litteratos constat, tradiderit diligentius et enucleatius.

Ergo, ad linguae Graecae hauriendam cognitionem, a recentioribus eruditis, inter quos multi eam pulchre calluerunt, plus videbatur adiumenti exspectandum. Certe dubitari non debet, quin, inter hos recentiores, fuerint plurimi, quibus tota divitis linguae ratio, et natura atque analogia, penitus fuerit perspecta: quales fuerunt, ut e multis viros tantum principes nominem, *Isaacus Casaubonus, Iosephus Iustus Scaliger, Claudius Salmasius*, quibus triumviris, siquid auguror, ventura saecula *Tiberium Hemsterhusium* quartum adnumerabunt. Horum virorum ingenia (Optimo Maximo *Deo* rem litterarum bonarum, in Ecclesiae commodum, ita sapienter moderante) diviniora, difficultatum, quibus obsepta videbatur interior linguae Graecae cognitio, claustris et tenebris perruptis, lucem suam intulerunt, eamque adeo lucem veluti facem nobis in multis vocibus praetulerunt. Nec dubitandum est, quin, si ex illis heroibus aliquis eo se demittere voluisset, ut Grammaticam Graecam conscriberet, ac linguae Graecae divitias incredibiles, commode digestas, in Lexico explicaret, lautissima nunc foret Graecae linguae ac beatissima conditio, omniumque linguarum ipsa sua copia videretur facillima, atque adeo pul-

chritudinis suae amatores atque admiratores frequentissimos adliceret.

Id vero dolendum est, Grammaticos Graecos recentiores ac Lexicographos plerosque omnes minus fuisse eruditos, et ab ista egregia iudicandi virtute, quae omnibus quidem in rebus, sed in linguis rite tractandis, valet maxime, non fuisse paratissimos.

Recentiorum *Grammaticae*, ut vocantur, *Graecae*, ad prima linguae rudimenta facili methodo discenda vix ac ne vix quidem accommodatae, regulis ineptis, tortuosis anomaliarum tricis, et vanorum ac nugantium hominum spinosis deliramentis, sunt refertissimae. De ista turba merito suo est segregandus *Angelus Caninius*, qui, admodum adolescens, anno MDLV. Parisiis, in quarto, edidit Grammaticam nomine *Hellenismi*, quam editionem in commodum publicum anno MDCC in octavo recentavit *Thomas Crenius. Caninium* illum *Iosephus Scaliger doctissimum linguarum interpretem* appellitavit in primis *Scaligeranis*, p. 25. (edit. Ultraj. MDCLXX) ubi haec verba prostant: *criticus ingeniosus, sed et nimium in sacris nostris libris luxurians. Tanaquillus Faber* inter alia haec manu sua adscripsit: *is est Angelus Caninius, quem nos, si quid in hoc genere sapimus, omnibus Grammaticis Graecis, quot sunt, quot fuerunt, longe anteponendum esse iudicamus.* Quae etsi satis calide dicta videri queunt, fatendum tamen est, in *Caninii Hellenismo*, quaecunque ad dialectos spectant, accurata diligentia fuisse pertractata, atque ex ea, veluti fonte, derivatum esse, quidquid boni in sequentibus grammaticis reperiri datur. Vel sic tamen confidenter adfirmare non dubito, in *Caninii* libro magnam et enervem esse ariditatem,

atque adeo paucissima, quae ad *intimam* linguae cognitionem percipiendam nihilum conducere videantur.

Quod si nunc *Lexica* respiciamus Graeca; qualia multa fuerunt, laudabili instituto magnoque labore a recentioribus consarcinata, ne unicum quidem huc usque prodiit, non dico omnibus suis numeris absolutum, sed ne quidem unicum, quod viam patefaciat, ad *primam verborum indolem* et *formam* detegendam, atque adeo, quod videatur valde commendabile. *Thesaurum* illum copiosum *Henr. Stephani gustulum modo praebere divitiarum Graecarum*, verissime affirmavit illustris auctor operis, nunquam satis laudandi, *De defectibus hodiernis linguae Hebraeae* p. 1090.

Quod autem nos in lingua *Graeca* desideramus, id in *Hebraea*, multis voluminibus editis praestare adgressus est idem vir excellentissimus *Albertus Schultensius*, — *Cui quoque, quod vivo detraxerit invida turba, Post obitum duplici foenore reddet honos.*

Vtinam tandem aliquando orireturs, qui, ad eandem methodum, *Graeci Sermonis* naturam et analogiam panderet, et explicaret! Vtinam eo perduci magnus posset *Hemsterhusius*, ut, quae super hoc studiorum genere, *quadraginta* annorum labore, in privatos usus collegerit, nobiscum, atque adeo cum publico, communicare dignaretur! Haec vero potius optanda, quam quidem speranda sunt.

Interea temporis, dum quis hanc materiam pro dignitate tractandam suscipiat, nos, pro nostrae cognitionis modulo, qui sane per est exiguus, nonnulla tradere aggredienur huc spectantia. Rem (quod sine vanitatis aut ambitionis suspicione dictum velim, a cuius vitii contagione remotissimus

sum) difficilem primum ordiri nobilis spiritus, qui iuventutem nostram Academicam vegetare videtur et ad hacc sacra invitare, suasit, et induxit noctes vigilare serenas. Minime tamen est arbitrandum, nos integrum systema tradituros, omniaque, ad linguae indolem declarandam facientia, et huc usque in situ tenebroso intricata, explicaturos esse et in ordinem digesturos. Minime gentium. Animo non nimis vano semper obversari debet monitum prudens *Horatii*, in Arte Poët. vs. 38.

Sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam
Viribus, et versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri.

Id autem, quod dixi, non, nisi multorum opera per centum annos combinata, perfici posse, nostrasque adeo vires longissime superarc videtur. Itaque nos tantum dabimus observata, quae quidem ad origines Graecas investigandas pertinent generaliora. Nos tantum scintillas spargemus, in tantis tenebris certe aliquid lucis daturas; nos tantum semitam ducemus, sive, ut minus ambitiose loquar, semitam ab *Hemsterhusio* et *Schultensio* monstratam nonnihil dilatabimus: quae semita postea erit via facienda: ad *origines Graecas* detegendas; ad *primitiva* paene fugitiva reprehendenda; ad *propriam* vocum *significationem* a *figuratis* et *metaphoricis* discretam constituendam; ad *Lexicorum*, quae in nostris manibus versantur, resarciendos nonnullos *defectus*. Pauculas dabimus observationes: ad hanc enim rem rite ordineque perficiendam aliquot centenae requirerentur. Sed et hae, quantulaecunque observationes, si fuerint a peritioribus ponderatae et adhibitae, utilitatem praestabunt (nisi fallor) ingentem, et, ad uberiorem lucem aliquando acquirendam, veritatemque detegendam plurimum conducent. Hae autem observationes,

quo videbuntur simpliciores (quum color veritatis simplex sit) eo veriores erunt reputandae. Eo certe maiore labore nobis constiterunt. Sed, ne in limine diutius moremur, ad rem ipsam accedo.

In *lingua Graeca*, ut in *Orientalibus* linguis ac reliquis omnibus, *partes orationis* tantum sunt *tres*, *Nomen*, *Verbum*, *Coniunctio*. Ab isto numero, quem simplicem naturae ductum secutus fecerat vir, in rebus humanae menti non praeclusis, artifex admirabilis *Aristoteles*, *Dionysius Thrax* eumque insecuti Grammatici, temere recesserunt. Imo, si rem rite spectamus, ad *verbum* et *nomen* omnia commode revocari possunt.

OBSERVATIO I.

Verba *simplicia* (nam de *compositis* non loquemur, verum demum postea paucis dicemus) apud Graecos sunt vel *primitiva*, vel a primitivis per varios flexus *derivata*.

OBSERVATIO II.

Primitiva verba admodum sunt *pauca*: *derivatorum* numerus *infinitus*.

OBSERVATIO III.

Binae literarum syllabae verbum *primitivum* constituunt.

OBSERVATIO IV.

Verba primitiva, secundum observationem tertiam, *dissyllaba* vel sunt *bilittera*, vel *trilittera*, vel *quadrilittera*.

OBSERVATIO V.

Primitiva *bilittera*, per rei naturam, dari possunt in universum (si vel totam linguam perscruta-

mur) tantum quinque, nempe ἄω, ἕω, ἴω, ὄω, ὕω. Primitiva *trilittera* sunt, quae a *vocali, quadrilittera*, (pleraque saltem) quae a *consonante* incipiunt. Hoc certum est: sed de eo etiamnum addubito, an nonnulla verba, *quinque* litteris constantia, pro *primitivis* debeant haberi?

OBSERVATIO VI.

Quaecunque verba per totam, qua late patet, linguam diffusa, *pluribus* constant syllabis *quam duabus*, pluribusque litteris quam *quatuor*, vel ad summum (secundum dubitationem ante memoratam) *quinque:* illa omnia a primaeva simplicitate deflexerunt, et pro *derivatis* certo censeri debent; ac per certas analogiae leges ad suam singula originem, unde remanserunt, reduci possunt.

OBSERVATIO VII.

Ad verba primitiva a ceteris dignoscenda, naturae et veteris aevi simplicitas est consideranda.

OBSERVATIO VIII.

Naturae *simplicitatem* voco simplex illud et admirabile priscorum hominum artificium, quo ex literarum, diversimode positarum, artificiosa coniunctione verba *primitiva* confecerunt paucissima.

OBSERVATIO IX.

Ea res exemplis potius, quam multis verborum ambagibus, videtur declaranda. Centena aliquot in lingua Graeca dantur verba, a littera α incipientia. Inter illa omnia *simplicia primitiva* admodum sunt pauca. Neque per rei naturam fieri aliter poterat. Praeter unicum verbum ἄω, (observatione V. memoratum) reliqua omnia primitiva ab α incipientia (secundum eandem observationem)

sunt *trilittera.* Ex *tribus* autem, quibus constant, litteris *unica* tantum, nempe *media*, variari poterat. Iam vero consonantes, in *veteri* Graecorum Alphabeto, tantum fuerunt *undecim*, quum *duplices* Z, Ξ, Ψ, et *adspiratae* Θ, Φ, X, aevo recentiori demum in Alphabetum fuerint introductae. Itaque, si vera est (admodum certe probabilis) nostra coniectura: verba primitiva, ab α incipientia, in antiqua et simplici lingua fuerunt tantum duodecim; nempe: ἄβω, ἄγω, ἄδω, ἄκω, ἄλω, ἄμω, ἄνω, ἄπω, ἄρω, ἄσω, ἄτω et ἄω. In talibus naturae simplicitas ac certus primitivorum character elucet. Nunc porro ab aliis litteris incipientia paucula primitiva protulisse suffecerit, ad quorum ductum et colorem omnia facili negotio queant postea, ubi opus fuerit, detegi et eruderari.

Primum speciminis ergo aliquot producam, etiamnum *primitiva*, *trilittera.* Talia sunt ex. gr. ἕδω, et ἕδω, (unde Lat. EDO et SEDEO) ἕχω, ἕλω, ἕμω, ἕπω, ἕρω. Porro sunt δάω, δέω, δίω, δόω, δύω. Πάω, πέω, πίω, πόω, πύω. Τάω, τέω, τίω, τόω, τύω.

Primitiva etiam dantur *quadrilittera*; ubi tamen observandum est, illa non nisi a consonante incipere: quaecumque enim, primam litteram *vocalem* habentia, sunt *quadrilittera*, illa certe primitiva non sunt. Itaque primitiva *quadrilittera simplicia* sunt ex. gr. sequentia, quae partim nunc exstant, partim, *Schultensiana* methodo, restituenda sunt: γάνω, γένω, γέρω etc. δάκω, κάμω, δάπω, δέκω, δέλω, δέμω, δέρω, δίκω, δίνω etc. κάκω, κάλω, κάμω, κάπω, κέλω, κέπω, κέρω, κίνω etc. λάβω, λάκω, λάλω etc. πέπω, πέρω, πένω etc. τάλω, τάμω, τέλω, τέμω, τίνω, τέρω, τέγω, τίλω, τίνω, τύκω, τύλω, τύπω etc. Atque ita, in omnibus reliquis litteris pergendo,

primaevus linguae priscae adspectus, si quid iudico, exhiberi et facili opere repraesentari poterit. Atque similiter, si ad calculos sedeamus, investigari poterit, quot probabiliter a primis sapientibus illis linguae conditoribus simplicia primitiva fixa fuerint et constituta; atque adeo, quot verbis primitivis lingua Graeca constiterit? Huius observationis, quum utilitas primum videatur perexigua, usum esse incredibilem, sequentia declarabunt.

Haec de primitivis dicta sunto. Plura addemus, ubi primum *derivata* verba habuerimus perspecta.

OBSERVATIO X.

Ex verbis primitivis, tanquam totidem stirpibus et radicibus, amoeno linguae horto insitis, derivatorum verborum, tanquam totidem ramorum, foecunda propago emicuit et propullulavit.

OBSERVATIO XI.

Verba *derivata simplicissima* vocamus illa, in quorum primitivis *unica* tantum *littera*, seu *consona*, seu *vocalis* interseritur. Ex. gr. (ex observatione IX.) primitiva sunt τίγω, τίλω. Iam derivata voco simplicissima τίγγω, τίλλω etc. Secundum eandem observationem primitiva sunt ex. gr. πέρω, τέρω, ἄρω, κάπω, τύπω. Horum derivata simplicia sunt πείρω, et πέρνω, τείρω, αἴρω, κάπτω, τύπτω, et millena similia. Porro *derivata* simplicia, sed *paullo* tamen *magis producta*, dicimus foecundam istam verborum copiam, *a suis primitivis*, per *quinque* sonos, quos ipsa natura dictat, formatam, nempe A, E, I, O, Υ. Hoc posterius, ut rite percipiatur, res clare, exemplis in medium prolatis, est explicanda. Secundum observationem IX. primitivum est, ex. gr. verbum

ἄρω. Ex isto primitivo per *quinque sonos*, seu *vocales*, totidem emanarunt simplices verborum derivatorum formae, nempe ἀράω, ἀρέω, ἀρίω, ἀρόω, ἀρύω. Primitivum est verbum ἄλω. Hinc totidem formae emanarunt, nempe ἀλάω, ἀλέω, ἀλίω, ἀλόω, ἀλύω. Secundum eandem observationem primitiva sunt ἄκω, ἔλω, πέλω, πέρω, πέτω, τέρω. A singulis, per eosdem sonos productae, *quinque* nascuntur verborum formae.

Ab ἄκω: ἀκάω, ἀκέω, ἀκίω, ἀκόω, ἀκύω.
Ab ἔλω: ἐλάω, ἐλέω, ἐλίω, ἐλόω, ἐλύω.
A πέλω: πελάω, πελέω, πελίω, πελόω, πελύω.
A πέρω: περάω, περέω, περίω, περόω, περύω.
A πέτω: πετάω, πετέω, πετίω, πετόω, πετύω.
A τέρω: τεράω, τερέω, τερίω, τερόω, τερύω.

OBSERVATIO XII.

In istis derivatorum formis, per *quinque sonos* productis, frequentissima est *primae syllabae*, per vocalis elisionem, *contractio*, ad hanc normam: quum a verbo πέλω, ut vidimus, nascantur quinque, πελάω, πελέω, πελίω, πελόω, πελύω, formarunt hinc, per contractionem, πλάω, πλέω, πλίω, πλόω, πλύω. Sic formarum, a τέρω productarum, *primam* syllabam contraxerunt, et usurparunt olim τράω, τρέω, τρίω, τρόω, τρύω. A πέτω, praeter formas, (observatione XI. memoratas) formarunt etiam πτάω, πτέω, πτίω, πτόω, πτύω. a πέρω (pro περάω etc.) πράω, πρέω, πρίω, πρόω, πρύω etiam dixerunt. Sic a κέρω (pro κεράω etc.) posuerunt quoque κράω, κρέω, κρίω, κρόω, κρύω, atque ita in centenis aliis. Ad eam itaque rationem in verbis etiam *dissyllabis*, sed in αω, εω, ιω, οω, υω, desinentibus, (quae secundum observationem XI. sunt derivata) semper etiam de contractione est cogitandum. Ista autem,

quam dico, contractio *primae* syllabae in iis tantum verbis, quae a consonante incipiunt, obtinere potuit; si quidem in iis, quorum prima littera est vocalis, rei natura contractionem istiusmodi respuit.

OBSERVATIO XIII.

Ex derivatis *simplicibus*, in αω, εω, ιω, οω, υω, desinentibus, incredibilis novarum formarum seges, per omnem linguae amplissimae ambitum late dissipata, succrevit. Verbum pone ex. gr. ἄγω, cuius est, in lingua Graeca aeque ac Latina, usus frequentissimus, (ex observatione IX.) *primitivum*, et (ex observatione XI.) per *quinque* sonos productum, ἀγάω, ἀγέω, ἀγίω, ἀγόω, ἀγύω. Iam vero harum formarum singulae maximam ex se sobolem propagarunt. Ab ἀγάω ex. gr. derivantur, secundum consuetas formandi leges, ἀγάζω, ἀγαίω, ἀγάλλω, ἀγαύω, quae *quatuor* formae verborum, coniugua virtute pollentium, in omnibus, qui supersunt, veterum libris et in lexicis nostris reperiuntur. Quod dico de ἀγάω, ad reliqua, similiter desinentia, transferri potest et debet.

OBSERVATIO XIV.

Non tantum a verbis in αω istae *quatuor* (quas proxima observatione commemoravi) formae αζω, αιω, αλλω, αυω emanarunt, sed multo plures fuerunt natae. Quot vero formas linguae Graecae indoles et prisca natura admiserit, tum demum finiri et certo constitui poterit, quando totius linguae conspectum habuerimus sub oculos positum.

Interea formas maxime usitatas hac observatione complectar. Itaque, praeter alias formas minus obvias, a verbis in αω (secundum observationes XI. et XII.) derivatis, formae novae derivantur sequentes, quae desinunt in αζω: veluti ab ἄγω

ἀγάω, ἀγάζω, a πτοάω· πτοάζω, a κολάω· κολάζω. In αιω: ut ab ἀγάω· ἀγαίω, a δάω· δαίω, a μάω· μαίω. In αίνω: ut a χάω· χαίνω, a βάω· βαίνω, ab ὑφάω· ὑφαίνω, ab ὀρμάω· ὀρμαίνω etc. In αλλω: ut ab ἀγάω· ἀγάλλω, ab ἀτάω· ἀτάλλω, ab ἰάω· ἰάλλω, a ψάω· ψάλλω etc. In ανω: ut a λαβάω· λαβάνω, a μαθάω· μαθάνω. In ασκω, ut ab ἡβάω· ἡβάσκω, δάω· δάσκω, πάω· πάσκω, χάω· χάσκω, πράω· πράσκω. In αυω, ut ab ἀγάω· ἀγαύω, ab ἰάω· ἰαύω, a τάω· ταύω, a ψάω· ψαύω. In ημι, ut ab ἀγάω· ἄγημι, a πιπλάω· πίπλημι, ab ἄω· ἄημι.

OBSERVATIO XV.

Dubitari nullo modo debet, quin verborum, a verbis in αω derivatorum, formae in libris veterum reperiantur longe plures atque illae sunt, quas modo recensuimus. Verum enimvero universa illa, ad hanc lucem, a judice non penitus rudi, et harum rerum imperito, facile usu animadverti poterunt, et ad suas classes reduci.

Usus autem, penes quem in omnibus linguis loquendi est regula, voluit, ut verba derivata in ιω, οω, υω, inter Graecos, in sermone quotidiano minus fuerint frequentata. Hinc peti debet ratio, cur pauciores in libris nostris reperiantur verborum formae, a derivatis in ιω, οω, υω desinentibus, deductae. Reperiuntur tamen a verbis in ιω derivatae formae in ιζω, ιλλω, ινδω, ισκω. A verbis in οω desinentibus manarunt verba in ουω, ωμι, et ωσκω. A verbis in υω oriuntur, quotquot desinunt in υτω, υλλω, υμι, υσκω et sine dubio plura alia.

OBSERVATIO XVI.

Porro usus inter Graecos voluit, ut verba in *αω* et *εω*, cum pleraque omnia (secundum observationem XI.) a primitivis fuerint derivata, maxime usurparentur. Itaque etiam a verbis in *αω* magna descendit derivatorum copia, quorum paucas formas observatione XIV. posuimus. Similiter a verbis in *εω* totidem fere formae fuerunt propagatae, e quibus etiam nonnullas, potissimum usurpatas, huic observationi includam.

Igitur verba in *εω* pepererunt desinentia in *έζω*· ut *πιέω*, *πιέζω*, *χέω*, *χέζω*, etc. In *έθω*, ut *τελέω*, *τελέθω*, *νεμέω*, *νεμέθω*, *Φλεγέω*, *Φλεγέθω*. In *είω*· ut *τελέω*, *τελείω*, *ὀκνέω*, *ὀκνείω*, *κλέω*, *κλείω*, *χέω*, *χείω*, etc. In *έλλω*, ut *ἀέω*, *ἀέλλω*, *σκέω*, *σκέλλω*, *βδέω*, *βδέλλω*. In *έσκω*· ut *ἀρέω*, *ἀρέσκω*, *κρέω*, *κρέσκω*, (unde Lat. CRESCO) etc. In *εύω*· ut *κελέω*, *κελεύω*, *λαβέω*, *λαβεύω*, etc. In *ήθω*· ut *ἀλέω*, *ἀλήθω*, *κνέω*, *κνήθω*, *πλέω*, *πλήθω*, etc. In *ημι*· ut *εἰδέω*, *εἴδημι*, *σβέω*, *σβῆμι*, *θέω*, *θῆμι*. Quod iam ante monui, hic est repetendum, naturam linguae longe plures verborum derivatorum formas admittere. Omnes enumerari non possunt, nisi ab eo, qui integrum linguae ambitum oculo critico perlustraverit.

OBSERVATIO XVII.

Vidimus, cuius formae ac moduli, aevi prisci rudem simplicitatem referentia, verba sint *primitiva*. Eorum primitivorum numerus, (sunt autem paucissima) si sederemus ad calculos, (ad ductum observationis IX.) probabiliter posset constitui. Ad istam observationem viam nobis aperuit celeb. *Schultensius*, in libro *De Defect. hodiern. ling.*

Hebr. pag. 8. 9. 10 et 11. Si ponamus, per linguae naturam fieri potuisse, ut singula illa primitiva minimum *quinque* novas ex se verborum formas propagarent, (secundum observationem XI.) primitivorum numerus *quinqales* multiplicatus magnus evadet. Porro ab istis derivatis, per *quinque* sonos naturales α, ε, ι, ο, υ, productis, maxima succrevit novorum derivatorum sylva, (secundum Observationes XIII. XIV. et XVI.) Ponamus, ista derivata in αω, εω, ιω, οω, υω, singula *octonas* tantum novorum derivatorum formas exhibuisse, quod (secundum observationes XIV. et XVI.) sine ulla temeritatis suspicione adfirmari potest, secundus numerus *quadragies* multiplicatus verborum copiam efficiet immensam, et paene incredibilem. Copia autem ista incredibilis verborum, si porro ad linguae foecundae divitias spectemus, eius minimam tantum ob oculos ponet et levissimam particulam. Id non inconsiderate aut iuveniliter dici, sequentes observationes patefacient.

OBSERVATIO XVIII.

A *secundis* derivatis, quorum aliquot formas exhibuimus (observationibus XIV. XV. XVI.) *nova* iterum oriuntur *derivata*, paene infinita, solo usu et iugi exercitatione dignoscenda.

OBSERVATIO XIX.

Atque ea, quae attigimus, derivata verba pleraque oriuntur tantum ab aliorum verborum *tempore praesenti*. Nascuntur autem, e reliquis etiam temporibus, multiplices verborum derivatorum propagines, ex *Futuris* maxime et *Praeteritis*. E *Praeteritis activis* ex gr. oriuntur plurima in χω, et φω terminata. A *Futuris* verborum derivatorum propagantur classes minimum *quinque*.

Primam classem verborum, a *Futuris* deductorum, constituo formas, quae vocantur *Atticae*, ut sunt verba αὔξω, ἀλέξω, et caetera istius moduli. Ista autem proprie *Futura* sunt, ab αὔγω (unde Lat. AUGEO), et ἀλέγω, secundum analogiam linguae formata.

Secundam classem talium derivatorum conficiunt verba omnia in σκω, qualia millena forte in libris nostris etiamnum supersunt. Verba in σκω a *Futuris* derivari, alia item hanc in rem idonea, nobis observavit *Angelus Caninius*, in *Hellenismo*, p. 355. cui viro observationis, si qua ea est, laudem acceptam referimus.

Tertia classis eorum, quae a *Futuris* derivantur, est verborum in σσω desinentium, *Futuri* characteristica duplicata. Ad hanc itaque classem sunt reducenda verba omnia, quotquot supersunt, terminata in ασσω, εσσω, ισσω, οσσω, υσσω, deducta a *Futuris* ασω, εσω, ισω, οσω, υσω, verborum in αω, εω, ιω, οω, υω, desinentium. Huiuscemodi verba prope sunt infinita. Huc etiam referenda sunt omnia, quae *Attice* terminantur in ττω.

Quartam classem derivatorum a *Futuris* ponimus verba raro obvia, quorum primitivorum *Futuris*, post characteristicam σ, littera ϑ inseritur, atque adeo terminata in σϑω, qualia sunt ἀΐσϑω, βιβάσϑω, ἔσϑω, formata a *Futuris* ἀΐσω, βιβάσω, ἔσω, verborum ἀΐω, βιβάω, ἔδω. Linguae autem natura patiebatur, ut haec derivata a *Futuris*, nova iterum ex se propagaverint (secundum observationem XI.) derivata. Ab ἀΐσϑω certe in Lexicis supersunt nostris αἰσϑάω, αἰσϑάνω, αἰσϑέω: ab ἔσϑω remansere derivata nova ἐσϑίω et ἐσϑέω, quorum prius frequentissime est obvium, alterum ab auctore *Etymologici* magni servatum est.

Quintam classem derivatorum a *Futuris* exhibent verba omnia desinentia in ψείω, σείω, ξείω, ut sunt ex. gr. ab ὄπω· ὄψω, ὀψείω, a δράω δράσω, δρασείω, ab ἀλλάσσω· ἀλλάξω, ἀλλαξείω.

OBSERVATIO XX.

Quae huc usque consideravimus, *verba* sunt tantum *a verbis* deducta. Atqui dantur, in sermonis Graeci complexu, verborum derivatorum centena forte millia, *a nominibus prognata*: quin et plurima *a particulis* orta. Illa autem universa, secundum solemnes et certas formandi leges progenata, facillimo opere tum poterunt discerni et in suas classes reduci, quando *nomina* a *verbis*, secundum certos itidem canones, deducta habuerimus cognita. Nos autem, quod in initio dixi, hic tantum scintillas spargimus, postmodo demum lucem daturas.

OBSERVATIO XXI.

Observationes, quas huc usque ex interiore linguarum indole, similitudine exemplorum, quam nos *analogiam* vocamus, subnixi eruimus, ad *verba* spectant *primitiva* et *derivativa*, sed tantum *simplicia*. Iam vero nulla datur lingua (ex iis certe, quae vocantur mortuae) adeo ferax compositorum, quam quidem Graeca. Imo haec est sermonis Graeci dos et virtus eximia ac singularis, ut mirabili glutine, et nexu prope admirabili, voces diversas nectat et colliget, adeo ut una voce Graeci ea plerumque exprimere valeant, quae in alias linguas non nisi ambitioso vocabulorum multorum tractu commode verti possunt aut transfundi. Nondum loquimur de *nominibus*. In *verbis* tantummodo considerandis in his observationibus fuimus occu-

pati. *Verba* autem *cum verbis*, *verba cum nominibus*, modo tam vario, et tam multiplici, artificiose componi queunt, et sibi invicem innecti et illigari, ut componendi et glutinandi rationes, quas primi conditores linguae admirabilis fixisse videntur, nullis regulis includi posse videantur. Omnibus, qui vel a limine auctorem Graecum quemcunque, sive sacer sit seu profanus, salutaverunt, luculenter patere arbitramur, *numerum compositorum prope esse infinitum*, atque adeo quam longissime superare immensum numerum verborum simplicium, quorum levem tantum particulam, sub observatione XVII, dedimus introspiciendam.

OBSERVATIO XXII.

Ut autem id, quod modo dicebamus, nemini non sit exploratissimum: hac observatione pauca complectar, ab instituto sermone nonnihil remota. Non tantum *verba cum verbis*, *verba cum nominibus*, sed et *verba cum* variis *particulis*, quae singulae suum retinent in compositione significatum, eleganter apud Graecos possunt connecti. Componendi ratio maxime usitata ea est, qua *verbis praepositiones*, ut vocantur, praeponi et praefigi solent. Praepositiones numero *octodecim* sunt omnibus, qui has literas tractant, notissimae. Singula autem verba simplicia, per linguam late diffusa, per primaevam linguae indolem, cum singulis praepositionibus potuerunt coniungi, nisi quarum copiam indoles et significandi virtus, verbi propria, respueret. Si quibus autem licet in hisce conjectasse, aliter tamen, in verbis componendis in universum magnam fuisse inter populos, omnibus in rebus libertatem amantes, licentiam. Arbitror enim, scriptoribus linguae patriae callentibus quam maxime licuisse nova introducere composita, prioribus in-

cognita atque inaudita. Sed, ut credam, ex. gr. omnia verba cum octodecim praepositionibus composita, apud Graecos antiquissimos, primaevo tempore, fuisse in usu, non facile inducor. Quantopere autem Graeculi, linguae perpoliendae semper studiosi, venuste luxuriari amaverint, unico tantum e multis exemplo demonstrasse utile erit: ut hinc simul etiam clarius copia Graecae linguae incredibilis patescat.

Dico itaque audacter et confidenter, *unicum verbum simplex*, per linguae indolem, potuisse ex sese propagare non tantum XVIII, sed XXX, XL, LX, C, etiam forte plura, *tantum cum praepositionibus* composita. Quandoquidem autem praepositiones tantum sunt XVIII, adeoque id, quod dico, incredibile videri posset et paradoxum: unico exemplo, in medium prolato, defungemur. Exemplum sit verbum *βάλλω*. Id primum ex se peperit XVIII composita: quae universa in libris veterum vigent atque inde diligenter ab *Henr. Stephano* in thesaurum linguae Graecae relata fuere, *ἀμφιβάλλω, ἀναβάλλω, ἐπιβάλλω, ἀποβάλλω, διαβάλλω, εἰςβάλλω, ἐκβάλλω, ἐμβάλλω, ἐπιβάλλω, καταβάλλω, μεταβάλλω, παραβάλλω, περιβάλλω, προβάλλω, προςβάλλω, συμβάλλω, ὑπερβάλλω, ὑποβάλλω.* Graeci, vel ista necdum copia contenti, ex istorum compositorum singulis formarunt *nova*, mirum in modum variata, singularum praepositionum *composita.*

Ne ab hoc verbo discedamus, sequentia (quae, veterum usu trita, in Lexicis reperiuntur) ad divitias copiosae linguae in ceteris porro etiam spectandas, utile fuerit ante oculos posuisse, secundum Alphabeti ordinem: *ἀντεμβάλλω, ἀντιπαραβάλλω, ἀντιπροβάλλω, διεκβάλλω, διεμβάλλω, ἐμπαραβάλλω, ἐνδιαβάλλω, ἐπαναβάλλω, ἐπεμ-*

βάλλω, ἐπικαταβάλλω, ἐπιπροβάλλω, παρακαταβάλλω, παρειςβάλλω, προςαναβάλλω, προδιαβάλλω, προεκβάλλω, προεμβάλλω, προεπιβάλλω, προκαταβάλλω, προςαναβάλλω, προςαποβάλλω, προςδιαβάλλω, προςεκβάλλω, προςεμβάλλω, προςπαραβάλλω, προςπεριβάλλω, συμμεταβάλλω, συναποβάλλω, συνειςβάλλω, συνεκβάλλω, συνεπιβάλλω, ὑπαναβάλλω, ὑπεκβάλλω, ὑπερεμβάλλω. Ex unico hoc exemplo, ut opinor, liquebit, quantam silvam compositorum solarum praepositionum numerus, non magnus, linguae sufficere potuerit et subministrare.

Neque tamen hic subsistit luxuriosa Graecorum licentia; quâ tempore iam antiquissimo non *binas* tantum praepositiones, sed et *tres*, verbis praefixisse sibi licitum crediderunt, siquidem apud *Homerum* (quo nihil habemus antiquius) istiusce generis complura reperire licet, quique id studeret, in omnibus veterum scriptis eius generis inveniret plurima.

OBSERVATIO XXIII.

Ex paucis, quae posuimus, attendenti clarebit, immensam esse sermonis Graeci amplitudinem, sed et simul (si quidem animum habuerit ingenuum, et libertatis plenum) suspicabitur, in hoc novo studiorum genere remanere latifundia, ab hominibus eruditis, qui huc usque obscuritatem lumine suo illustrarunt, minime exhausta, neque etiam aliquot venturis seculis exhaurienda. Quem itaque prior cogitatio nonnihil concusserit, illum altera sustinebit et recreabit. Ipsa difficultas in omnibus scientiis, in quibus sententias libere licet dicere, ingenia nobiliora semper ad eam improbo labore perrumpendam adegit et irritavit. Verum nihil etiam est, quod difficultas aut magnus verborum cumulus

quemquam deterreat a nobili studio, sine quo nullus patet ad ullam scientiam aditus. Etenim rite est animadvertendum, sermonem Graecum nihilominus facilem esse et expeditum, imo tanto faciliorem, quanto maioribus divitiis ceteras linguas, quae quidem ad nostram cognitionem pervenerunt, longissime superat. Quando huic cogitationi altius inhaereo, linguam Graecam comparare soleo domui amplae et spatiosae, in qua omnia sunt ad usum eleganter accommodata; sed cuius domus singula conclavia, secundum normam et regulam a peritissimo architecto fabricata, multiplicia, sed eadem habeant ornamenta. Quod rem penitus intuenti mihi inciderit, sub allegoriae non longe petitae tegmine declarabo. Consideramus linguam Graecam tanquam hortum, simplici ac naturali pulchritudine amoenissimum, grata florum diversissimorum copia cultissimum, et mirificum in modum variegatum; sed cuius horti prae caeteris hortis natura duplicem ob rationem est admirabilis: primum, quod, si spectemus horti amplitudinem et capacitatem, arbores ferat numero paucissimas, arbores vero per eosdem ordines directas; arbores, quarum proceritas et late spatiosa ac in longum diffusa ramorum amplitudo spatium horti totum opacet. Deinde id arboribus huius horti peculiare est, quod truncus omnium arborum sit simillimus, quod rami in omnibus arboribus numero pares ad eandem lineam videantur educti, quodque in singulis ramis omnium truncorum totidem reperiantur folia, nullis lineamentis disparia, adeo ut qui unius rami folia, unius trunci ramos, oculo curioso et philosophico consideraverit, ac probe perspexerit, is eadem opera mox noverit, singularum arborum rami quot foliis gravati luxurientur, quot rami e singulis truncis propullulaverint. Hanc allegoriam, systemati nostro, ut opinor,

congruam, iudicavimus hic interserendam, ut ingenia experiremur, his rebus, de quibus nos tractamus, concipiendis ac postea in meliorem lucem proferendis, idonea. Nunc, ut in sermonis instituti orbem, e quo fuimus evagati, revertamur, tuemur fortiter, linguam Graecam facilem esse, et celeriter addisci posse, ab iis nempe, qui cogitare didicerunt, verba *derivata* (namque primitiva oppido sunt pauca) *quidem plurima*, sed *secundum easdem regulas a suis primitivis* singula deducta. Si in uno verbo percipiamus rationem componendi, omnium verborum, quae quidem usurpari potuerint, composita eadem opera habebimus explorata.

Sed ad naturam sermonis priscam spectandam, atque adeo etiam ad ea, quae nos hic tradimus (et in laboribus, in quibus versamur, maxime in scriptore ad Hebraeos, copiosius illustravimus) ad ea, inquam, nemini patet aditus, nisi qui prima linguae Graecae rudimenta, maxime autem *coniugandi*, ut vocant, et *tempora* e temporibus legitimo ordine deducendi, rationes puer tenaci memoria combiberit, adeo ut nullo tempore ea sibi elabi patiatur. Haec qui puer neglexerit, aut adolescentior, vir factus in scriptoribus Graecis legendis versatissimus ubique locorum haeret, saepe pedem offendit ad minimos scrupulos, et in parvis graviter labitur. Si desideramus nucleum, cortex frangendus est, et cum aliqua amaritudine perrumpendus. Studium linguarum in universum in ipsis primordiis triste est et ingratum, sed, primis difficultatibus labore improbo et ardore nobili perruptis, postea, ubi sanctissima antiquitatis monumenta versare licet, cumulatissime beamur.

OBSERVATIO XXIV.

Quando de verbis *primitivis* et *derivatis*, de-

que his ad originem deducendis, loquimur, videri possit, ac si nemo hoc sibi studium sumsisset decurrendum. Ne quis ergo cogitatione animi praepostera labatur praeceps, nunc dabimus operam.

Inter *Lexicographos* recentiores Graecos, post litteras, barbaria et superstitione domitis, in Italia renatas, multi difficile munus fuerunt aggressi; sed ante *Henricum Stephanum* nemo de derivatis ad originem deducendis, ac tantum primitivis secundum ordinem Alphabeti digerendis unquam ita cogitavit, ut hoc in genere Lexicon Graeco-Latinum vulgaverit.

Qui Lexicis Graecis consarcinandis primi manum admoverunt, *triplici* hac in parte *via* insistunt. Vel enim, nullo originis habito respectu, omnia, quae quidem norunt, vocabula *secundum litterarum ordinem* disponunt, sive *derivata*, sive *composita*. Vel omnia *ordine indigesto*, neque originis, neque etiam seriei litterarum, habita ratione, disposuerunt. Vel tandem voces quisque pro sua sapientia *ad originem* deducere tentarunt.

Qui prae caeteris, quotquot fuerunt inter recentiores, Lexicographi, longissime eminent, ad *secundam classem* pertinere sunt existimandi, *Budaeus* et *Camerarius*. *Guilielmus Budaeus*, vir muneribus in Francisci I. Galliarum Regis aula conspicuus, magis autem eruditione exquisita nobilis et sui seculi facile princeps, Parisiis anno cIↃIↃXXIX, Lexicon edidit, seu, ut ille vocat, *Commentarios Linguae Graecae*. In his infinitae voces docte illustrantur, nulla tamen ratione habita ordinis litterarum. Huius libri, omnibus, qui ad eruditionem viam affectant, valde commendabilis, saepius repetita fuit editio. Omnium optima est illa, quam *Robertus Stephanus* anno cIↃIↃXLVIII, Parisiis in *folio* excudi curavit. Eadem ratione indegestos commentarios utriusque linguae, Basileae anno cIↃIↃLI, in *folio*

vulgavit vir litterarum callentissimus et eruditissimus *Joachimus Camerarius.*

Priorum, quos commemoravi, Lexicographorum, qui voces omnes secundum seriem alphabeti disposuerunt, turba est maxima, a nobis non commemoranda. Sed de turba ista merito est segregandus vir itidem primarius, *Robertus Constantinus*, qui (anno cIↄIↄCV mortuus, anno aetatis CIII, ut notat Teissierus ad Elogia Thuanea) itidem secundum alphabetum confectum, sed tamen luculentum et egregium, dum in vivis erat, vulgavit Dictionarium linguae Graecae, editum Genevae anno cIↄIↄLXII, duobus voluminibus in folio, cuius compendium consarcinavit *Iohannes Crispinus* in lexico saepius obvio. *Rob. Constantinus* in praefatione dictionarii sui tabulam memorat artificiosam aliquando a se edendam, in qua origines linguae Graecae occurrerent et primitivis subiecta collocarentur derivata, alphabeti ordine tantum servato in primitivis. Sed promissis non stetit vir optimus, neque unquam ista tabula artificiosa in lucem hominum prodiit.

Haec itaque laus *Henrico Stephano* illibata est conservanda, qui, quantum ego sciam, primus omnium verborum derivata et composita ad *radices* suas reducere ac primitiva rariora colligere fuit aggressus, edito thesauro linguae Graecae, IV voluminibus in *folio* anno cIↄIↄLXXII. Huius Lexici compendium fur litterarius *Iohannes Scapula* anno cIↄIↄLXXIX, uno volumine complexus, edidit, atque isto facinore praeceptorem et dominum suum ad restim adegit. *Scapulae* Lexicon, saepe vulgatum, accuratissime prodiit apud Elzevirios et Hackium anno cIↄIↄCLII. Verum quaevis huius libri editiones studiosorum hominum commodis queunt inservire.

De *Thesauro Stephani* haec bina scitu digna probe animadvertenda sunt. 1) In lexico, ad eam, quam dixi, rationem digerendo, *Roberti Stephani*, *Henrici* parentis, labores filio plurimum profuisse. Vastum autem illum eruditionis Graecae Thesaurum non ab unis *Stephanis*, sed collata plurium opera, fuisse congestum, monuit vir summus *Tiberius Hemsterhusius* ad *Luciani* Promethea, operum, quae etiamnum sub prelo sudant, Vol. I. pag. 191. et ante *Hemsterhusium* id ipsum non latuerat divino *Scaligero*, quem vide in *Scaligeranis*. 2) Non est arbitrandum, omnes linguae Graecae divitias, (quae temeraria est et minime recta quorundam cogitatio) Thesauro *Stephani* fuisse inclusas. Minime. Qui levi tantum oculo amplas capacis linguae copias introspexerit, mecum confitebitur, ad eas ordine decenti reponendas volumina requiri eiusdem molis minimum duodecim. Si quidem vero in rebus magnis sufficit voluisse, magnae laudi reputandum est *Henrico*, quod primus, laborum non fugitans, opus immensum ausus fuerit inceptare, quodque primus instituto laudabili derivata sub primitivis posuerit. Hinc subit admirari, quam diversa sint hominum in litteris versantium iudicia. Nonnulli enim istam rationem, ad quam *Stephani* digestum fuit Lexicon, adeo improbaverunt, ut eruditissimus *Moyses Solanus*, notis in *Lucianum*, ut speramus, brevi nobilitandus, dicere non fuerit veritus, caussam neglectae litteraturae Graecae ex ista ratione Lexicorum digerendorum esse repetendam. Plurimi tamen, inter quos nomen nostrum modeste reponimus, Thesaurum *Stephani*, in quo primitiva tantum secundum ordinem alphabeti sunt disposita, vel ideo potissimum vehementer collaudandum esse autumant. Nunc hoc, quod ad nostrum spectat institutum, addamus. Existimandum minime est, in isto

Thesauro singulis vocabulis derivatis suam adsignari originem, singula verba derivata ad suam radicem et priscum fundum reduci. Neutiquam. Hac in parte milles peccavit *Stephanus*; hac in parte Thesaurus iste amplissimus scatet erroribus. Neque tamen propterea insigni viro, et prae aliis forte omnibus praeclarum in modum de litteratura Graeca, atque adeo etiam de nobis omnibus, merito, temere et proterve insultandum est. Huiuscemodi errores sine ulla stribiligine aut verborum acrimonia sunt reformandi, quoniam, per rei naturam et humani ingenii modum, aliter fieri non poterat, quin multiplicibus errorum ambagibus impediretur, qui securus incedebat integra, priorum nemini contrita, atque adeo intricata et squalida. Etsi autem *Stephano* erroris sui tributum erat solvendum, istis tamen erroribus tantum debemus, ut nobis nunc, expeditis tricis, via ad veritatem plana et simplex pateat.

Quantus vero hac in parte in *Stephani*, atque adeo etiam *Scapulae* Lexicis sit defectus, paucis explicari non potest. Quae nos observatione IX. proponebamus tanquam *primitiva*, in *Scapulae* Lexico si quis forte se reperturum putet, is opinione sua errabit plurimum. Si quis itaque nunc quaerat, quae ergo tanti defectus sit caussa et origo, eam dico ex fonte duplici derivandam esse. 1) Quod verecunde dictum sit, *Henricus Stephanus*, aliis rebus multiplicibus nimium occupatus, veram linguae indolem minime habuit perspectam, neque etiam homini aliter licet; nisi enim is ab aliis rebus liber uni rei totus vacet, fieri non potest, quin ingenium hebescat, quin frequentissime in minimis pedem offendat. 2) *Stephanus* ea tantum verba primitiva in Lexicon suum recepit, quae in libris veterum, qui ad eius notitiam pervenerant, reperisset.

OBSERVATIO XXV.

Verba *primitiva* et *derivata* plurima, *maxime primitiva*, perierunt; seu, ut clarius loquar, in libris veterum, qui supersunt, non reperiuntur verba plurima primitiva et derivativa, quae tamen olim inter Graecos antiquissimos viguisse, e certa similium verborum norma ac plana totius *linguae analogia* concludere licet. Quid autem caussae sit, cur tot verba e lingua Graeca perierint, sive, cur tot verba, olim in prisca lingua Graecorum usitata, in libris Graecorum, quos hodie habemus, non amplius exstent, nunc porro est indagandum. Res profundae inquisitionis et a cognitione hominum longe videri possit remota, neque tamen est, si rite consideretur. Nam Graecae linguae accidit, quod omnibus linguis in usu hominum vigentibus accidere consuevit, ut verba *vetera primitiva* lapsu temporis ex usu recesserint, aeque ac primigeniae significationes a sapientibus illis linguae conditoribus verbis impressae; hae enim, labentibus annis, deleri coeperunt, et priscae istae verborum notiones virtutibus figuratis et metaphoricis locum cedere. Vti experientia illud et quotidianus nos docet in auctoribus tractandis usus, ita etiam prius veritatis est non minus exploratae. Quod si naturae sequamur ductum fidelem, animadvertemus facile, per linguarum indolem non posse fieri, ut verba primitiva penitus nova in linguam semel inter homines receptam introducantur. Animi mei sententiam clarioribus verbis explicabo.

Opinio est inter homines receptissima, linguas viventes, ut vocantur, novis vocabulis a scriptoribus linguae peritissimis augeri posse et ditari. Id vero, ubi rem attentius coepi revocare ad animum, mihi quidem visum fuit a rei natura alienum atque adeo

falsum. Prae caeteris omnibus hominibus linguarum proprietatis maxime studiosos semper fuisse Poëtas praestantissimos, pono tanquam rem veritatis cognitae. Poëtis tamen nunquam licuit, neque etiam nunc licet, verba usurpare priorum nemini audita, adeoque plane nova. At Poëtis aliisque scriptoribus licet verba vetera, quae olim usitata ex usu recesserunt, reprehendere, et instaurare, ac sua auctoritate efficere, ut sermoni vulgi quotidiano restituantur. Vere tamen loquendo, universa ista verba vetera sunt, quae vulgus hominum nova nuncupat. In verbis secundum aliorum analogiam a primitivis deducendis, adeoque novis derivatis constituendis, paullo maior fuit et est etiamnum linguarum callentibus licentia. Maxima quoque libertas semper fuit et etiamnum est in verbis felici iunctura amabiliter componendis, et in significationibus figuratis verborum omnium, pro cuiusque ingenii modulo, propagandis et locupletandis. Id tamen firmum esto, truncum linguae semper manere unum et eundem; nisi quod verba primitiva interdum recedant ex usu hominum, et postea, viris doctissimis obstetricantibus, in lucem reducta renascantur.

Haec universa, pro dignitate materiae paullo altius deducta, accepta referimus linguae Graecae patriaeque spectatori minime vulgari *Horatio*, in *Arte poëtica*, digna, quae decies lecta omnium, qui quantulamcunque eruditionis particulam consectantur, memoriae alte infigatur. Ad hanc autem rem, quae nunc in manibus est, legendus est Horatius in admirabili illo libello a versu 45. ad 73: deinde singula verba ad mentem Auctoris sapientissimi rite sunt ponderanda. Nostra nunc animadversione bina loca prae caeteris dignissima videntur, quae indicem descripsisse non poenitebit; vs. 60—69.

Vt sylvae foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt: ita verborum vetus interit aetas,
Et iuvenum ritu florent modo nata vigentque.

Ad istam enim rationem legendum hunc locum, adversus illustrem *Bentleium* docuit *Alb. Schultens*, Tom. II. Originum Hebr. p. 48 et 49. Paucis versiculis interiectis, ad hunc modum persequitur Poëta:

— — — mortalia cuncta peribunt:
Nedum sermonum stet honos et gratia vivax,
Multa renascentur, quae iam cecidere, cadentque,
Quae nunc sunt in honore, vocabula: si volet usus,
Quem penes arbitrium est et ius et norma loquendi.

Elegantem tractationem ita adortus fuerat *Horatius*:

In verbis etiam tenuis cautusque serendis.

Quod Scholiastes recte explicat: *Si facienda sunt tibi nova verba, observa, ut ea dicas, quae habent auctoritatem.* Ita quippe pergit Auctor ratiocinari. *Si res prioribus incognitae, quas ille vocat abdita rerum, forte indiciis seu novis rebus videantur monstrandae, laudem mereberis, si verbum notum et usu tritum iunctura callida seu compositione novum reddideris.* Paucis interpositis:

— — — licuit semperque licebit
Signatum praesente nota producere nomen.

Quae lectio non satis considerate tentatur. Si quid video, sensus est: licere nomen, tanquam nummum olim signatum, nonnihil ad analogiam aliorum producere et prolongare, atque adeo quasi novum producere. Hinc non longe recessit idem

Scholiastes, inquiens recte, *hoc a nummis tractum, qui in nova fusura iuvant inopiam.* Recte quoque *Quintilianus* Inst. Orat. L. I. c. 6. quem locum debemus indicio *Bentleii: consuetudo, inquit, certissima loquendi magistra: utendumque plane sermone, ut nummo, cui publica forma est.* Primitiva vero, ut dixi, penitus *nova* in linguam introduci non possunt.

OBSERVATIO XXVI.

Multa vocabula tam *primitiva* quam *derivativa* perierunt una cum libris veterum. Iam linguae eo sunt ditiores, eoque amplioribus terminis circumscriptae, quo plures supersunt veterum libri, istis linguis exarati.

Id ut omnibus constet, exemplo uno alterove illustrandum est. Nisi quis, male ingeniosi cerebri coniectatiunculis, (quibus totus constat *Gussetianismus*) et splendidis *Rabbinicantium* deliramentis, quae schola produxit *Buxtorfiana*, longum valere iussis, opportuno utatur dialectorum *Chaldaeae*, *Syrae*, et *Arabicae* subsidio, atque earum radices fugitivas restituat: lingua Hebraea omnium linguarum, quotquot sunt vel fuerunt, censenda erit pauperrima. Cur? Quia unus tantum codex mole exiguus ad nos pervenit, ea lingua conscriptus. Utile videtur pauca maximi *Schultensii* verba e libro *de Defect. linguae Hebr.* descripsisse. *Omnes,* inquit ille litterarum stator, *qui aliquid in litteratura Hebraea vident, mecum consciscunt, magnam veteris linguae partem intercidisse, atque in uno codice sacro haud sane voluminoso neutiquam omnem eius amplitudinem sese conspiciendam praebere. Hoc ut ultro viri docti confitentur, ita minus videntur attendisse ad amplitudinem illius cladis, quae aliquot millia radicum nobis subtraxit, multo-*

que adhuc plures formas derivatus suarumque stirpium propagines. Huc usque ille.

Lingua *Latina* minime est verborum primitivorum locuples. Huius rei caussa non e lingua ipsa, sed e defectu ac penuria veterum librorum est repetenda, qui magnam partem nobis nunc in aeternum perierunt. *Graeca* lingua, prout in Lexicis circumfertur, longe quidem magis verborum est dives. Verum tamen et illa, si spectemus ad priscas eius copias, valde hodie in Lexicis est imperfecta. Si enim omnia superessent veterum Graecorum monumenta, linguarum reputaretur perfectissima, et plurimos admiratores ad se pelliceret. Verum enimvero scriptores veteres Graeci maximam partem universi perierunt, eorumque ne centesima quidem pars typis vulgata ad nostram usque memoriam servata est. Hinc aestimari potest non difficulter, quantam nos fecerimus, quando cladem perpessa est veterum bibliotheca in excidio maxime *Constantinopolitano*, verborum simul primitivorum iacturam. Neque illud suspicionibus permoti asseveramus; sed validis rerum argumentis subnixi. Nam, cum post editum a Stephano Graecae linguae thesaurum plurimi auctores Graeci in lucem e tenebris, in quibus delituerant, fuerunt protracti, ne unicus quidem prodiit, in quo non nova verba ab eruditis hominibus fuerint detecta, quibus facies linguae tristis ista, quae e Lexicis cognoscitur, pulcherrimis incrementis potuerit augeri, ac turpes defectus egregie resarciri. Neque adeo ulla etiam ratione potest in dubium vocari, quin multo laetior foret sermonis late patentis forma, si, excussis diligentissime obscuris desidiosorum monachorum claustris et bibliothecarum latibulis, antiqua monumenta Graeciae veteris, quae hic illic latent araneoso situ horrida, manu perita

obstetricante educerentur et in publicam lucem ac manus hominum, harum deliciarum cupidorum, pervenirent. Quin imo *B. Montfauconius*, tum alibi, tum in *Bibliotheca* sua *Coisliniana*, satis ostendit, quantum supersit in Bibliothecis auctorum nondum editorum. Praeterea saepe rem expertus valide affirmare non erubesco, ex ipsis auctoribus, quos *Stephanus* et *Lexicographi* adeo versasse reputantur, adeo ut nihil, verborum saltem primitivorum, videatur fuisse reliquum, *infinitos* suppleri posse linguae *defectus*, si quis oculo diligenti et animo ab aliis curis vacuo eos, istum in finem, sibi sumeret retractandos. Itaque id ex iis, quae dissertavimus, immotum maneat et fixum, cum libris veterum multa etiam periisse verba *primitiva*.

OBSERVATIO XXVII.

Id nunc a nobis potissimum hic quaeritur, an verba *primitiva*, quae (secundum observationes XXV. et XXVI.) perierunt, seu quae in libris veterum non amplius supersunt, commode possint restitui, et an defectus Lexicorum ita possint resarciri, ut nullo supersit dubitatio, utque adeo certum sit, ea verba primitiva olim in lingua exstitisse, et olim fuisse inter Graecos veterrimos usurpata. Id enim nisi sit certum, totum nostrum systema, quod huic innititur fundamento, necesse est labascat. Id interea in antecessum, ne quem fallat sui animi cogitatio, videtur praemonendum, nos, quando quid dicimus in nostro studiorum genere, certum et veritatis exploratissimae, summum tantum indicare probabilitatis et verisimilitudinis gradum, ultra quem in paucis scientiis licet procedere.

Eam hic laudem non adfectamus, ut haecce cogitata tanquam veriloquia et oracula obtrudamus,

Eam hercule laudem "*realium*," ut sese venditant, scientiarum doctoribus scientificis non invidemus. Nos didicimus, quid verum a probabili, quid verisimile distet a summo verisimilitudinis gradu. Mathematice loquendo, nihil est, in hoc certe genere, quod nos tractamus, certum, nihil exploratum. Quaecunque nos opinionibus, quas pueruli combibimus omnes, nimium quantum adsuefacti tanquam certa proponimus, vere loquendo, nihil sunt, nisi probabilia ista. Itaque, qua explicuimus ratione, dicimus, idque validis rationibus inducti valide contendimus, plerosque omnes defectus, pleraque verba omnia *primitiva* deperdita, secundum *analogiam* linguae, seu *certam rerum ad res proportionem ac similitudinem*, posse restitui: defectus etiam maximos unius analogiae subsidio posse resarciri. Tanta superest tamque incredibilis derivatorum, tum nominum, tum verborum, in Graeciae veteris, quae ad nos pervenerunt, monumentis copia, ut illud omne, quod dicebam, aliquando praestari possit, atque adeo iucunda illa spes animum subeat, linguam hanc fore aliquando omnibus numeris absolutissimam et linguarum caeterarum, quae eruditae vocantur, latissime reginam. Hoc autem non eo a me dicitur, ac si ea quemquam opinione vellem imbuere, nos tandem id praestituros. Nihil minus cogito, probe guarus, id non nisi adunata multorum opera ad perfectionem posse duci. Quod plus semel memini me dicere, repetitum nihil nocebit; id unum adnitimur, ut semitam ducamus perexiguam, e qua latius deducta et extensa via aliquando fiat regia. Paucis itaque exemplis erimus contenti; nam si per totam vitam laboraremus, nunquam esset huic labori terminus. Istis exemplis nova, pedetentim progrediendo, in exercitiis adiungemus domesticis, quae iis, qui quidem

altius spirent, possint esse tanquam scintillae, postmodo demum in lucem emicaturae.

OBSERVATIO XXVIII.

Quomodo nunc verba primitiva, seu etiam proxima derivata, si quidem perierunt, commoda possint ratione restitui, porro est investigandum. Id adfirmamus fieri posse tum *ex analogia*, tum *ex derivatis* nominibus, tum *aliunde*. Per analogiam quid intelligamus, nunc ponimus notum esse, et exemplis conferendis clarius fiet. Verum, quum dicimus, verba *primitiva* et verba *derivativa* simplicia, quae natura per *quinque* istos sonos formata dictabat, quaeque in libris non supersunt, restitui posse *ex nominibus derivatis*, nemo, ut opinor, non intelligit, ad hanc rem bina requiri.

Primum est, nomina derivata a verbis propagari secundum leges fixas et nunquam variabiles, aut ullis exceptionum ludibriis expositas. *Secundo* requiritur, ut istae leges nobis notae sint et exploratae.

Primum etsi e domesticis exercitiis plerique vestrum perceperint, tamen e multis derivatorum nominum formis, quas quidem memoria nobis subministraverit, usitatiores commemorabimus: quandoquidem sine hoc fundamento rite iacto, quicunque porro a nobis insumeretur labor, vanus foret.

Cum a variis verborum temporibus varia nascuntur nomina, ad suos singula fontes referenda *ex charactere littera*, qualia ex. gr. millena aliquot eodem indicio cognoscenda a *Praeteritis* nascuntur *Mediis*; nunc tantum, quoniam id, pro sermone instituto, sufficere arbitramur, considerabimus *derivata* verborum quae appellamus *proxima*, ac deinde *derivata a tribus personis Praeteriti passivi.* Derivata nomina verborum primitivorum proxima

sunt omnia *dissyllaba*, nonnulla e *trisyllabis* orta, seu contracta; nam (secundum observationem III.) *binae* literarum syllabae verbum conficiunt primitivum. Iam vero nomina *derivata* ab istis verbis *proxima* numerum istum binarium vix excedunt. Considerari autem possunt proxima derivata formae *triplicis*. *Prima* eorum forma nominum est, in *ων* desinentium, *Participialis*. *Secunda* constat simplici literae ω mutatione in ος. *Tertiam* proximorum derivatorum seriem nunc quidem constituemus *dissyllaba* nomina in ρος, ρα, ρον, desinentia, quorum nempe prima syllaba ab illa verbi naturali non deflectat: quanquam ad hanc classem multo plures formae nominum dissyllabae pertineant, atque illae, ut verbo dicam, universae omnes, in quibus terminatio verbi in illam nominis, quaecunque tandem sit, fuerit deflexa.

Nomina derivata proxima *Participialis formae* in *ων*, quae usu hominum diuturno faciem nominum substantiae induerunt, longe sunt plurima. E multis ea duntaxat subiiciam, quae et pro nostro opere satis sint, et auribus vestris accidant non inexspectata. Ad eam itaque, praeter centena alia, pertinet ἄκων *iaculum*, ἑκὼν *voluntarius*, γέρων *senex*, ἀγὼν *certamen*, κρέων et μέδων, *rex*, quaeque alia exercitatio subministrabit quotidiana. Sive nunc in Lexicis nostris exstent, seu minus, ex istis nominibus novimus, antiquitus inter Graecos verba fuisse primitiva ἄκω, ἕκω, γέρω, ἄγω, κρέω et μέδω.

Nominata derivata proxima *secundae classis* in libris supersunt multo plura, quorum terminatio ος in ω mutata verbum primitivum suppeditat. Huius generis sunt, praeter millena facile a vobismet ipsis cognoscenda, νέος, δέος, μένος, γένος, ἄκος, νέμος, ἔθος, ἔρος, ἕδος, ἔπος, τύπος, κάπος, λέ-

πος. Terminationem ος apud Latinos in us mutari, is non mirabitur, qui noverit, Aeolas nomina in ος enunciavisse per υς, et linguam Latinam, si excipiamus pauca verba *Sabina* et externa vocabula, nihil aliud esse quam Aeolico-Graecam. Ex istis iam, quae posuimus, verba nobis subnascentur vetera (utrum in Lexicis exstent an minus, id huc nihil facit) olim usitata, νέω, δέω, μένω, γένω, ἄκω, νέμω, ἔθω, ἔρω, ἔδω, ἔπω, τύπω, κάπω et λέπω.

Ad *tertiam* classem tandem nominum proxime derivatorum referri debent nomina adiectiva, atque adeo quae per ος, α, ον possunt inflecti, ab ἄγω, ἀγρὸς, ab ἄδω, ἀδρὸς, ἄκω, ἄκρος, σάπω, σαπρὸς, νέκω, νεκρὸς, quaeque alia istiusmodi sunt infinita.

Alia derivata, a nobis saepius commemorata, atque ea etiam, quorum *prima* vocalis littera aliquam subiit mutationem, nunc quidem praetermittimus, vt omnia haec plana sint, seseque commendent non specie, sed sigillo veritatis, quod, semper simplex, animum ingenuum et liberum ictu ferit.

Tantum de *derivatis proximis*. A *tribus personis* Praeteriti passivi multiplex nascitur nominum derivatorum series et soboles, omnibus vobis cognitissima, neque adeo a nobis frustra exemplis stabilienda. Ne tamen videatur nihil dixisse, haec teneantur. *Index* seu character derivationis a *prima persona* Praeteriti passivi est μ, ultimam syllabam nominis incipiens. Vsitatissima forma nominum inde derivatorum est triplex, μα, μη, μος. Dantur tamen, non aliunde orta, desinentia in μων, μας, μιν, μις, etc., uti πνεύμων, ἑρμᾶς, ῥηγμὶν et φορμὶς etc. Modo littera μ ultimam vocis istiusmodi syllabam oriatur, dubitari non debet, quin

nomina indidem manaverint, dummodo non sint *derivata proxima*, aut a *Praeterito Medio* orta: quod e prima dissyllabarum vocum syllaba cognosci debet. Eadem cautela semper est adhibenda: nam in his rebus tractandis ea semper animi nostri facultas est intendenda, qua cernimus. In his porro nominibus littera σ, praecedens litteram μ, aliquam saepe mutationem subiit.

A *secunda persona* Praeteriti passivi, secundum solennes regulas, omnia illa descendunt nomina, quorum syllabam ultimam exorditur *secundae personae character* littera σ, sive desinant in σις, sive in σος, seu quocunque modo. Illa vero, quae in σσα terminantur, huc non pertinent, et proprie loquendo ad eorum classem referenda sunt, quae vocantur *denominativa*.

Derivationis a *tertia* persona Praeteriti passivi character est τ. Vt autem formas nominum proxime inde derivatorum, quas quidem nos observaverimus, hac observatione complectar: hinc orta est copia per linguam late diffusa nominum non tantum in της, τηρ, τος, sed quomodocunque etiam desinentium, dummodo terminationi proximus praefigatur character τ. Notandum est igitur inde deduci nomina in της, τηρ, τος, τη, τις, τυς, τες, τωρ, τρος, τρα, τρον. Priora vulgata sunt. Reliqua exemplis firmanda. Id tamen prius monendum est, quam pergamus: ad hanc classem nominum non esse referenda, quae desinunt in τήριον, τεια et τειρα. Haec quidem ab *eadem persona* derivantur; sed mediantibus aliis inde proxime derivatis. Nomina in τηριον, quae notissima sunt, universa a *Dativis* nominum in τηρ oriuntur. Nomina in τρια omnia sunt formae foemininae masculorum nominum in τηρ. Talia supersunt centena, veluti sunt ex. gr. ἀθήτρια, ποιήτρια, ἐράστρια,

βάπτρια, φονεύτρια, quod postremum a Lexicis male exsulat. Similiter nomina in τειρα sunt *foeminina* nominum in της. Istae iam formae rariores occurrunt in libris veterum, cuiusmodi sunt σώτειρα, μάστειρα, εὐνήτειρα etc.

Vt igitur formas, proxime ab ista *tertia* persona Praeteriti Passivi ortas, rariores aliquot teneamus, haec notanda sunt. Diximus, inde deduci nomina in τη. Illa proprie loquendo sunt *foeminina* adiectivorum in τος inde derivatorum. Verum ideo potissimum hanc formam commemoravimus, quia varia reperiuntur nomina in τη, quorum formae in τος obsoleverint, veluti sunt ἀρετὴ *virtus*, quod derivatur ab ἤρεται verbi ἀρέω, unde ἀρέσκω *placeo*; δαίτη *epulum*, a δέδαιται verbi δαίω; κίστη *cista*, a κέκισται verbi κίω *iacio*; μελέτη *cura*, a μεμέλεται verbi μελέω, quod a μέλω, ut γενέτη a γεγένεται verbi γενέω, quod a γένω. Deinde forma est rarior nominum in τις, qualia sunt πίστις *fides*, a πέπισται verbi πείθω, μάντις proprie *vates furibundus*, a μέμανται verbi antiqui μάνω, cuius loco nunc legitur μαίνω vel μαίνομαι *insanio*. Proximum tamen derivatum verbi μάνω superest μανὸς *rarus*. Φρόντις eiusdem est formae, a πέφρονται.

Verum ab his probe sunt secernendae formae foemininae in τις, proxime ortae a nominibus in της, ut sunt δεσπότις, πολῖτις, μεσίτις etc. Hic iterum virtute opus est discernendi. Porro nomina in τυς, proprie loquendo, formae sunt Aeolicae, usurpata pro nominibus in τος. Huiusmodi, praeter alia, supersunt ἐδητὺς, quod derivatur ab ἤδηται, verbi ἐδέω, a veteri ἔδω; γραπτὺς, a γέγραπται verbi γράφω, πρακτὺς a πέπρακται verbi πράσσω, et, quod sedem suam fixit in sermone quotidiano, μάρτυς, cuius loco, ut notum est,

usurpabatur μάρτυρ, quae forma proprie est Lacedaemonica: nam Lacones ς finale mutabant in ρ, quod Graece scientissimus *Casaubonus* exemplis firmavit in Animadv. ad *Athenaeum* L. VIII, 17. Ista observatio magnum praestat usum in rationibus etymologicis linguae Latinae deducendis. Graecum κέλης est Lat. CELER, κρύος Lat. CRUOR, χὲς vel χθὲς, χθεσὶ Latinis antiquis HESI. Ita enim olim dixisse pro *heri*, si vel *Festus* nos non doceret, nosceremus ex producto adiectivo *hesternus*, contracto ex *hesiternus*.

Porro, ut pergamus, orta sunt a *tertia* persona Perfecti passivi nomina in τωρ, qualia sunt a κέχρησται verbi χράω, χρήστωρ *vates*, a δεδύνασται verbi δυνάω, δυνάστωρ *potens*, a κέκτηται verbi κτάω, κτήτωρ *possessor*, a πέπρακται verbi πράσσω, πράκτωρ *actor*, a μεμέλεται verbi μελέω, μελέτωρ *curator*; a βεβωταί verbi βόω *alo*, βώτωρ, *pastor*, quod ipsum, nunc Latinum, olim Graecum fuit πάστωρ, a πέπασται verbi πάω *nutrio* deductum: uti in lingua Graeca superest a μέμασται verbi μάω, *studiose investigo*, μάστωρ *quaesitor*. Atque haec et quae forte centena alia nomina sunt in τωρ, aeque ac in τηρ, et της, et τος, ut ἰατρὸς etc. virtute pollent activa, et *personam* notant *agentem*.

Tandem ex eodem fonte, quo praecedentia, manant nomina in τρον, quaeque rariora sunt in τρα. Illa, quod etiam alias iam dixi, significant, vel *mercedem* ac *pretium illius rei*, quae primitivo designatur; vel *rem, qua* hoc illudve *peragitur*. Prioris generis sunt sequentia, δίδακτρον *minerval*, a δεδίδακται, μήνυτρον *indicii pretium*, λύτρον *pretium redemtionis*, ἴατρον *merces*, quam *medico solvimus*, θρέπτρον *merces nutritionis*. Posterioris generis sunt ex. gr. ἄρατρον, sive *id, quod*

glebas scindit, adeoque terram parat, nam ἄρω, unde ἀράω, est paro: κέντρον a κέκενται id quod boves stimulat; μέτρον a μέμεται, verbi μέω (unde et μεστὸς plenus) id quo metimur, πλῆκτρον id quo caedimus, flagellum. Haec pro specimine nunc quidem sufficiant: nam vastum, qui hic patet a nemine tritus, campum ingredi nihil opus est.

OBSERVATIO XXIX.

Tandem ostendemus paucis exemplis, qua ratione formae verborum primitivorum, seu e primitivis proxime productae, quae quidem creduntur periisse, debeant restitui. Primum exemplum ponere lubet in isto, quod paullo ante memorabam, verbo ἄρω apto, paro. Hoc primitivum (secundum observationem IX) in veterum libris superstes, itidem ut in Lexicis, (secundum observationem XI) proxima et simplicia derivata primum produxit verba ἀράω, ἀρέω, ἀρίω, ἀρόω, ἀρύω. Ex his quinque, tria tantum exstant in libris veterum, et in Lexicis, nempe ἀράω, ἀρόω et ἀρύω. Vnde nunc constat, in veteri lingua itidem verba ἀρέω et ἀρίω exstitisse? Dicat forte quispiam, ex analogia totius linguae. Recte: sed id nunc non sufficit, atque adeo firmiori tibicine est stabiliendum. Addimus ergo, non tantum ex analogia, sive ex proportione, quam hae formae habent ad similes, sed et ex derivatis, quae supersunt. Reperio in Lexicis verbum ἀρέσκω placeo. Atqui ponimus tanquam rem exploratam, omnia verba Graeca in σκω desinentia oriri a Futuris, inserto κ. Itaque ἀρέσκω placeo ab ἀρέσω, quod ab ἀρέω, forma antiqua, quae nunc est restituenda. Praeterea vox usitatissima, ἀρετή, non potuit non ab ἀρέω deduci. — Omnibus notum est vocabulum ἀριθμὸς numerus, quod, secundum

observationem praecedentem, ab ἤρισμαι derivatur; nam σ ante μ, in hac derivatione, frequenter mutatur in ϑ. Illud autem ἤρισμαι non potuit formari nisi ab ἀρίω. Itaque formae *quinque*, per naturales istos sonos productae, a veteri verbo ἄρω olim fuere usitatae. Quodsi nunc verbum ἄρω in libris nostris non amplius esset superstes, an eo minus dubitaremus, olim fuisse, dum lingua vigeret, tritum? Minime gentium. Haec in aliud exemplum nunc sunt transferenda.

In Lexicis non tantum vulgatis, sed et in Thesauro Stephani, in quo verba creduntur ad suas origines reducta, reperiuntur verba *quinque*, veterum testimoniis firmata, et a se invicem male divulsa, ἀλάω, ἀλέω, ἀλίω, ἀλόω, ἀλύω. His et eiusmodi omnibus Poetae Latini illud adplicari potest:

— — — Facies non omnibus una,
Nec diversa tamen, qualem decet esse sororum.

Si non facies nativa vocum satis ostenderet, sorores esse: finitima et vere germana significatuum proximitas, quam natura singulis impressit, ne Lexicographis quidem incognita, satis, ut opinor, debuisset declarare, ex uno utero, ex una matrice fuisse prognatas. Verba tamen ista sororia sine matre iacent, male dissipata. Nusquam in Lexicis horum verborum reperietur primitivum. Ecquis vero vestrum in hac, quam spargimus, luce dubitet, quin antiquitus fuerit usitatum verbum primaevum ἄλω? Sane, ut ego arbitror, nemo. Sicuti praecedentia ἀράω et ἀρέω etc. derivantur certissime ab ἄρω, quod in libris fuit conservatum: ita verbum ἀλάω, et sororia reliqua, non potuere on nasci ab ἄλω. Hoc itaque primiti-

vum linguae restituimus. Quod vero in libris non reperiatur (si quidem non reperitur) sola facit monumentorum veterum penuria.

Contra ea usu quotidiano Graeco tritum verbum primitivum ἄγω, non poterat fieri, quin ad nos perveniret. Eius vero derivata simplicia, per *quinque* vocales sonos formata, perierunt universa, praeter unum ἀγάω cum sua sobole. Itaque e sedibus male eiecta redeant postliminio in prisca iura. Formae fuerunt ab ἄγω productae, praeter ἀγάω, etiam ἀγέω, ἀγίω, ἀγόω, ἀγύω. Talia tamen Lexicis non probem restitui, nisi reliquiis, quas habemus, linguae veteris impressa maneant vestigia, quorum ductu possint erudera- ri: nisi, inquam, supersint indicia, quibus constet liquido, in priscis Graecis libris ea exstitisse: nisi e suis singula derivatis possint resarciri. In his autem, quae dicebam, suppleri potest hiatus. Ἀγέω linguae reddi potest e nomine inde derivato ἄγημα: quin et Medium ἀγέομαι ab *Herodoto* fuit custoditum. Ἀγίω restituendum e verbis, certa lege inde ortis, ἀγίνω et ἀγινέω. Remansit nomen verbale ἀγοστὸς, secundum canones nominum verbalium ortum ab ἤγοσται verbi veteris ἀγόω. Tandem redeat et in suas sedes ultima forma ἀγύω: huius quippe propagines remansere in Lexicis ἀγύρας ἄγυρις et ἀγυρέω.

OBSERVATIO XXX.

Priusquam nunc ulterius pedem promoveamus, nodus, quem quis forte acutior quaerat, solvendus videtur. Rogitet forte quispiam, quid tandem ex his exemplis, et ex iis, quae porro videmur dicturi, lucri sit et commodi redundaturum; si vel maxime, ad istam normam, verba *primaeva* pleraque omnia restituerimus: nisi simul eadem

opera patefiat, quae *primitivo* isti verbo *pri*
sit et *propria virtus significandi*; nisi simul
stetur, inter simplicia ista derivata, finitimun
gnatae significationis vinculum; quo plaue co
inter universa derivata amicam esse et ex
origine ortam significationum conspirationem
ego vanus sum coniector, aut hic scrupulus no
lorum, in quorum gratiam hunc laborem in
simus, animis fuit obversatus. Is scrupulus
u eximatur, haec scienda sunt. Nihil aeque
scientias corrupit, quam quod earum professor
versas partes confuderint; vera et probabilia,
et obscura, male commiscuerint. Linguarum
arum, prout id nos philosophice consider
duabus partibus concluditur, diligenter a se in
secernendis.

Harum partium altera *externum corticem*
ae, et *externam verborum formam* spectat,
penetrat in *nucleum*, sive in *internam in*
borum, secundum multiplices figuratarum
onum formas variegatam. Harum altera di
rum formarum origines et flexus retegit, altera
em variorum pandit significatuum: harum h
or altera, altera sublimior; altera a viro a
rite tractari potest, altera rite pertractari non
est, nisi ab eo, qui, huic rei totus vacans, pe
os quinquaginta vetustis libris impalluerit.
ad hanc aditus non patet nisi per illam. No
ae, nostro nos metientes modulo, primam
dii partem in hisce praelectionibus leviter s
s delibandam. Cum hac parte si altera,
origines significatuum recludit, commisceatur, t
hoc studium corrumpatur necesse est. Ne nos
li animum nostrum obruamus, res diversi g
s separatim sunt considerandae: ut mens libera
cogitationi infixa vacet, neque diversis perturb

Origines verborum, quae ad *externam* formam pertinent, ita sunt spectandae, ut altera cogitatio, de *significationibus*, *ex origine digerendis*, tunc quidem animum nostrum non subeat. Hoc nisi fiat, ubique locorum nos pedem offendemus, neque umquam veram formam externam nobis repraesentabimus. Ponamus ex gr. significationes verborum ἀλάω, ἀλέω, ἀλίω, ἀλόω, ἀλύω, ita esse pugnantes, ut plane nullo modo in concordiam redigi possint: tum nemo unquam eam sibi induceret cogitationem, verba, significatu tanto opere dissidentia, unius tamen esse et eiusdem originis. Ita homines sumus nos natura comparati, ut mens nostra facile opiniones ante concipiat, quibus ita fit caliginosa, ut in ipsa demum luce coecutiat. A cogitatione de significationibus verborum diversis vacui in eam opinionem venimus, quam huc usque explicuimus, de *derivatis verbis ex uno trunco* deducendis. Ista si vera sunt, postea origo significatus, et consensus figuratarum significationum, sponte sua patefient. Sed est lente festinandum, et res diversae, in animo nostro, semper sunt separandae.

OBSERVATIO XXXI.

Quantumvis videri possimus sategisse rerum nostrarum, atque viam patefecisse, qua incedendo ad *defectus Lexicorum supplendos*, et ad *verba primaeva restituenda*, perveniri possit: modo quis sibi eam cautelam proponat ob oculos, quam observatione XXX. explicuimus, ac praecedentes observationes habeat in numerato; nihilo secius paullo ulterius in amplissimo hoc campo decrevimus progredi, et, exemplo illustriori in medium prolato, viam adhuc omnibus facere planiorem. Itaque nonnulla, Lexicographis ignota, adiiciemus, et quidem ita, ut, de significationis origine studiose in-

daganda aut operose deducenda minus sollicitj, paucula tamen, ut materiae tristitiam mitigemus, interspergamus, e quibus significationum in derivatis conspiratio quodammodo elucescat. Cum enim haec nos potissimum ad eam rationem, quam indicavimus observatione XXX, separata consideraverimus, nihil impediet, quo minus aliqua ex parte commisceamus. Id modo firmum maneat, ut, qui in eodem hoc stadio nobiscum voluerit decurrere, ac proprio Marte deperdita investigare, eam semper, quam dixi, cautelam sollicite adhibeat. Sine ulteriore praefamine ad ipsam rem accedimus.

Observatione IX. tanquam *primitivum* consideravimus verbum ἄκω, et observatione XI. diximus, inde emanasse simplices verborum derivatorum formas *quinque*, ἀκάω, ἀκέω, ἀκίω, ἀκόω, ἀκύω. At vero nec *primitivum* ἄκω, neque *ulla e formis*, quas dixi, *derivatis*, si excipiamus unicum ἀκέομαι, in Lexicis, etiam optimis, reperitur. Huius quidem verbi ἄκω, in exercitiis domesticis, frequenter meminimus. Nunc vero res enucleatius est explicanda: ut pateat, primum ea in antiqua lingua viguisse et emanasse ex eadem origine; deinde ut illud, quod in observatis ad Epist. ad Hebraeos dixi, unicuique liquido constare possit, vetus verbum illud ἄκω incredibilem ex sese propagasse derivatorum, tam *verborum* quam *nominum*, segetem. Quod si enim dixero, istius verbi, quod in Lexicis non exstat, hodiedum in Lexicis superesse, praeter composita multo etiam plura, minimum *centum* nominum, tam substantivorum, quam adiectivorum, *formas* simplices, a se invicem male divulsas; quae omnes e veteri trunco, tanquam totidem rami, emicuerint, quaeque adeo ad eandem debuissent reduci originem; nihil dixerim, quin facile, ubi opus esse

indicavero, affirmari et stabiliri queat. Agedum igitur, ut patescant copiae nostrae linguae, et flexus, quos nomina subiere, mirabiles, inconditam nominum simplicium (postea ad suas classes referendorum) materiem, in cumulum, quasi per saturam, congeramus. Itaque, sive mediantibus aliis verborum formis, seu immediate, ab ἄκω derivata fuerunt sequentia, in quibus ordinem litterarum tantum observabimus.

ἀκὰ.	ἀκεστὸς.	ἀκόντισις.
ἄκαινα.	ἀκέστρα.	ἀκοντιστὴς.
ἄκανθα.	ἀκέστρια.	ἀκοντιστικὸς.
ἀκανθεὼν.	ἀκεστρὶς.	ἀκοντιστὺς.
ἀκανθήεις.	ἀκεστρὸν.	ἄκος.
ἀκανθικὸς.	ἀκέστωρ.	ἀκοστὴ.
ἀκάνθινος.	ἀκὴ.	ἀκουὴ.
ἀκάνθιον.	ἄκημα.	ἄκους.
ἀκανθὶς.	ἄκινος.	ἄκουσμα.
ἄκανθος.	ἀκὶς.	ἀκουστὴς.
ἀκανθώδης.	ἀκμὴ.	ἀκουστικὸς.
ἀκάνιτον.	ἀκμαῖος.	ἀκουστὸς.
ἄκανος.	ἀκμαστὴς.	ἀκουτιστικὸς.
ἀκανικὸς.	ἀκμηνὸς.	ἄκρα.
ἀκέσιμος.	ἀκοὴ.	ἀκραῖος.
ἀκέσιος.	ἀκόνη.	ἄκριος.
ἄκεσις.	ἀκόνημα.	ἄκρις.
ἄκεσμα.	ἀκονητὴς.	ἀκρίσιον.
ἀκεσμὸς.	ἀκόνιον.	ἀκρόαμα.
ἀκέσμιος.	ἀκόνιτον.	ἀκροαματικὸς.
ἀκεστὴρ.	ἀκοντίας.	ἀκρόασις.
ἀκεστήριος.	ἀκοντικὸν.	ἀκροατὴρ.
ἀκεστὴς.	ἀκόντιον.	ἀκροατήριον.
ἀκεστικὸς.	ἀκόντιος.	ἀκροατικὸς.
ἀκεστορία.	ἀκοντιστὺς.	ἄκρον.
ἀκεστορικὸς.	ἀκόντισμα.	ἄκρος.

ἀκρότης.	ἀκρωνία.	ἀκρωτηριασμὸς.
ἄκρων.	ἀκρωτήριον.	ἄκυλος.
		ἄκων.

Vt autem vocum, ab ἄκω derivatorum, quae in Stephani Thesauro prostant, adeoque in libris veterum occurrunt, numerus fiat *centenarius*, etiam verba, ab ἄκω deducta, simplicia *adiiciemus quindecim*, ad eundem ordinem disposita, sive, ut verius dicam, absque ordine congesta:

ἀκάζω.	ἀκμάζω.	ἀκουτίζω.
ἀκανίζω.	ἀκονάω.	ἀκούω.
ἀκανθίζω.	ἀκοντίζω.	ἀκρίζω.
ἀκέομαι.	ἀκοστέω.	ἀκροάομαι.
ἀκίζομαι.	ἀκουάζω.	ἀκρωτηριάζω.

Ingratam hanc et sane nobis permolestam vocum colligendarum ac describendarum molestiam consumsimus easque ante oculos posuimus, ut haec haberemus ante oculos et eius exemplo constaret, qua ratione male confusa et permixta in suas sint classes et sedes digerenda.

OBSERVATIO XXXII.

Exhibuimus (sub observatione XXXI.) conspiciendas formas diversas nominum verborumve simplicium *centum*, quae universae ab H. Stephano ad unam debuissent radicem et originem reduci: quae tamen pleraeque ab eodem male sint divulsae ac separatae. Verum enimvero utrum haec omnia nomina et verba *ex una origine* sint producta, nec ne, his quaerendum.

Prius ut stabiliatur, *bina* requiruntur. *Primum* est, secundum leges linguae solemnes et consuetas, ista universa a se invicem profluxisse: *deinde* requiritur, inter *centena* ista, et si quae dantur plura, esse unicum significationis vinculum, quo, tanquam

consanguineo nodo, eorum nominum ac verborum clare constet adfinitas. Posterius etiamsi proxime non sit huius loci, nunc tamen penitus praetermittendum non censuimus. Prius vero huc omnino pertinet.

Vt ergo ordine procedamus, primum proxima nomina, a verbo *primitivo* ἄκω derivata, spectabimus, eademque opera ostendemus, ex omnibus propaginibus, verbum hoc deperditum olim in lingua Graeca viguisse, et in sermone quotidiano contritum fuisse. Potestas propria primum figenda est in Latino verbo ACVO, quod hinc analogice productum esse postea ostendemus. Iam vero notio *acuendi* est potestas verbi nostri naturalis, corporea: et haec primaeva, ac propria, notio *acuendi* consideranda est, tanquam vinculum, cuius medio significationes derivatorum secundariae in universum omnes possint conglutinari, aut certe olim, si qua nobis nunc deficiat, potuerint.

Istius verbi nomina derivata proxime supersunt non pauca: imo vero *tres* classes nominum proxime derivatorum, sub observatione XXVIII. memoratae, in libris veterum hodiedum vigent, (I.) forma participialis ἄκων, (II.) forma simplex in ος, ut ἄκος, (III.) tandem forma in ρος, ut ἄκρος. Iam vero ex harum formarum terminatione, si vel unica superesset, certo colligeremus, primitivum verbum fuisse olim ἄκω, per analogiam, seu proportionem linguae ad alia exempla, quorum partem in ista observatione commemoravimus: nam plura dari, et infinita paene, vel unius libelli lectio diligens abunde monstrat. Nunc itaque consideremus ista paullo accuratius.

Primam formam dicimus ἄκων (quae vox probe discernenda est ab ἄκων, voce contracta ex ἀέκων, *invitus*; quae plane huc non pertinet) qua voce

nihil aliud denotatur, quam *res acuta*, *spiculum*, *iaculum*. Quandoquidem vero saepius notio Latinae vocis *spiculum* nobis usu veniet, in antecessum observari velim, veteres *spicum* vocavisse, *quidquid in acumen desineret*: inde enim ortum Diminutivum *spiculum*, et verbum *spicare* et *inspicare*. Optimam hanc observationem debemus *Ios. Scaligero*, ab eodem heroë maximo propositam in Castigat. ad Propert. L. IV. p. 276. De ea voce ἄκων plura diximus ad *Plutum Aristophanis*, ostendimusque, non tantum eam poëtis, sed et prosae scriptoribus, eo usu fuisse contritam.

Huius iam voculae ἄκων derivata ordine recensuit *Henr. Stephanus*. Inter ea autem nullum est, quin proxime nascatur a Dativo ἄκοντι. Hinc ἀκόντιον Diminutivum, significans, teste *Hesychio*, δοράτιον, μικρὰν λόγχην, *hastile*, *spiculum breve*. Hinc *serpentis*, instar *iaculi velocissimi*, nomen ἀκοντίας, et (quod Lexicographis fuit incognitum) ἀκοντιὰς, auctore *Hesychio*, βοτάνη τις, οὕτω καλουμένη, τοὺς κύνας θεραπευομένη τῆς δάκης τῶν ὄφεων, *herba*, *cuius ope canes sanantur a morsu istorum serpentum*, qui vocantur ἀκοντίαι, seu *iaculi*. Rationem derivationis, auctores priscos secutus, tradidit *Isidorus* Orig. L. XII, 4. ubi de serpentibus agit. *Iaculus*, inquit, *serpens volans*, *de quo* LUCANUS *iaculique volucres*. *Exsiliunt enim in arboribus*, *et dum aliquod animal obvium fuerit*, *iactant se super illud et perimunt*; *unde et* IACULI *dicti sunt*. Comparari poterit scriptor longe melior, *Aelianus* in Hist. Anim. L. VI, c. 18. Porro ab ἄκοντι est verbum ἀκοντίζω, *iaculum* vel *spiculum vibro*, ubi iterum *spiculi* notio probe est attendenda. Ab ἀκοντίζω remanserunt nomina ἀκόντισμα, ἀκοντισμὸς, ἀκόντισις, ἀκοντιστὴς,

ἀκοντιστὺς, ac tandem ἀκοντιστικὸς, quae latius nunc non persequar. Tantum de *prima* classe.

Nominum *secundae classis* proxime ab ἄκω derivatorum multiplex est, obvia in libris veterum, copia, ἄκος, ἀκὴ et ἀκὶς.

Primum ἄκος non occurrit apud Graecos, nisi in ista significatione, quae ab origine paullo longius deflexit, de qua paucula dicemus, quando verbum ἀκέω considerabimus. Verum hic egregie nos iuvat lingua Latina, quae ipsum illud nomen non tantum, sed et propriam eius nominis virtutem, custodivit; nam in Latio, terminatione ος in us mutata, ACUS frequentatur. Huius foemininum ἀκὴ notat *acumen, aciem ferri*, imo cuiusvis *rei partem acutam* ac *superiorem*. Hinc puto rationem esse repetendam, cur *extremam* et *summam civitatis partem*, ἀκρόπολιν, vocatam fuisse ἀκὴν scribat *Demetrius*, teste *Harpocratione*, in voce Ἀκὴ, quocum omnino est comparandus *Stephanus Byzantinus* in Ἀκή. Doricam nominis formam in Dictionariis, quae quidem viderim, omnibus praetermissam, subministravit nobis *Hesychius*, apud quem Ἀκὰ exponitur τὸ ὀξὺ, καὶ ἄκρον τῆς φάλαγγος, *pars phalangis extrema et in acutum desinens*. Porro occurrit in libris ἀκὶς, ἀκίδος, itidem pro *acumine* cuiusvis generis positum. Ab huius Genitivo ἀκίδος formarunt verbum ἀκιδόω, unde remansit derivatum nomen ἀκιδωτὸς, *acuminatus*. Ab hoc autem ἀκὶς proxime ortum crederem Latinum ACIES, secus atque opinabatur *G. I. Vossius* in Etymologico Linguae Latinae.

Tertiam nominum, ab ἄκω proxime derivatorum, *classem* constituimus ἄκρος, ἄκρα, ἄκρον, ἀκρὶς et ἄκρων, atque reliqua porro inde deducta; in quibus omnibus non minus, quam in praecedentibus, virtus est conspicua *acuendi*. Ἄκρος, ἄκρα,

ἄκρον proprie notat *acutum*, et, notione secundaria, *summum*, *extremum*. *Acumen* enim *rei extremum* est ac *summum*: quod necesse non est ut multis exemplis firmetur. Nam neminem opinor esse adeo hebetis ingenii, quin, semel monitus, ista omnia illico percipiat. Propria virtute enim *mucro* seu *acies gladii* vel *cultri* dicitur ἄκρον ξίφους, μαχαίρας. Nihil vetat observavisse, figurata significatione *homines*, in quacunque re *excellentes* ac *praeclaros*, ab Atticis appellari ἄκρους, quasi dicas *acutissimos*. Talia sunt ποιητὴς ἄκρος, κυβερνήτης ἄκρος, δικαστὴς ἄκρος, et in *Platonis* Polit. p. 292. ἄκροι πεττευταὶ, *qui egregie et apte ludunt calculis*. Apud eundem in Theaeteto p. 152. τῶν ποιητῶν οἱ ἄκροι. Structura variata, dicere potuisset τὰ ἄκρα τῶν ποιητῶν: quod disci potest e nota summi *Hemsterhusii* ad *Xenoph. Ephes.* in Miscell. Observ. Vol. V, tom. I, p. 30. Caeterum ἄκρα et ἄκρον, ubique locorum, tanquam substantiva ponuntur. Propriam tamen *adiectivorum* indolem non exuere, nihil est quod moneam.

Ab ἄκρος deductum nomen ἀκρότης, *acumen* et *cacumen*: ab ἄκρα, ἀκραῖος. Ἄκρα saepe subintellectam habet vocem πόλις, ac ponitur pro ἀκρόπολις, *loco urbis editissimo* et *summo*. Hinc Dii, urbium praesides, quorum imago eximia religione in ἀκροπόλει erat consecrata, ἀκραῖοι θεοί. Porro notanda forma rarior ἄκρων, ἄκρωνος, obvia apud *Auctorem Etymol. magni* p. 226, 38. Inde ἀκρωνία, eiusdem atque ἀκρότης significatus.

Tertia forma est ἄκρις, ἄκριος, *acumen* vel *cacumen* montis. *Etymologus* p. 62, 29. ἄκριας, inquit, τὰς ἀκρωρείας, ἀπὸ τοῦ ἄκρις ἄκριος, οἷον, Αὐτίκα δ' ἀκροτάτας ὑπερέσχεθεν ἄκριας ἀστὴρ, Ἀπολλώνιος: ubi vox ἀκρώρεια *cacumen*

montis cum his, in quibus versamur, non communicanda est; quippe composita. Ab ἄκρις deductum adiectivum ἄκριος, ἀκρία, ἄκριον. Ἀκρία non tantum epitheton *Minervae* apud Argivos, sed et *Veneris*, *Iunonis* et *Dianae*. Docta est adnotatio *Hesychii*: Ἀκρία, ἡ Ἀθηνᾶ ἐν Ἄργει, ἐπί τινος ἄκρας ἱδρυμένη, ἀφ' ἧς καὶ Ἀκρίσιος ὠνομάσθη. Ἔστι δὲ καὶ ἡ Ἥρα, καὶ Ἄρτεμις, καὶ Ἀφροδίτη, προσαγορευομένη, ἐν Ἄργει κατὰ τὸ ὅμοιον ἐπ' ἄκρῳ ἱδρυμέναι. Ab ἄκρις verbum formarunt, κρίζω, *in acumine incedo*. *Etymologus*: ἀκρίζειν, σημαίνει τὸ ἄκροις ποσὶ πορεύεσθαι, *significat summis pedum digitis*, seu *in eorum acumine*, *incedere*, quod omnium, quotquot fuerunt, castissimus Latinitatis auctor expressit *suspenso gradu placide ire*, in Phormione, Act. V, sc. 6, 27. Verum in singulis non nimis est inhaerendum.

Ab ἄκρος manavit duplex verbum ἀκρόω, et ἀκροάω. Prius Lexicis restituendum est. Ab ἀκρόω analogice defluxit ἀκρωτὴρ, quod deperditum; sed unde vocabulum superest ἀκρωτήριον, cuius vocis variae, quae prostant, notiones a significatu *acuminis* manarunt. Insita vocis virtute ἀκρωτήριον, *locum* indicat, *ubi* aliquid *eminet* et *in acutum* desinit. Ita *pars* montis *promitens*, *promontorium*, item *rostrum* navis, dicitur ἀκρωτήριον, et eximia et singulari quadam ratione ἀκρωτήρια istas *corporis humani partes* notant, *quae prae caeteris eminent ac prominent*. Atque inde repetenda est ratio, cur verbo ἀκρωτηριάζω, per varios flexus ab ἄκω derivato, tantum adhaeserit significatio *nasum* vel alias corporis *partes eminentes mutilandi* et *amputandi*. Eo usu id verbum *Apollodorus* posuit, Biblioth. L. III. p. 141, ἀκρωτηριάσας ἑαυτὸν ἐσωφρόνησε, *cum extremas et in acutum desinentes partes corporis*

sui amputasset, ad meliorem mentem rediit. Qui enim antiquitus caedem commiserant, cadaveris *partes* aliquot *prominentes* praecidere solebant, easque de collo suspendere, rati, ut erat mala sana ista religio, id ad vindictam Divinam avertendam plurimum valere: proprieque id vocabatur ἀκρωτηριάζειν, et *partes amputatas* ἀκρωτηριάσματα dicebantur. Hunc antiquae memoriae ritum veterrimum eo lubentius memoro, quod nesciam, fueritne ab antiquariis recentioribus memoratus. Scholiastes *Apollonii Rhodii* ad Lib. IV, 478. οἱ δολοφονοῦντες ἀρχαίως ἀκρωτηριάσματα τινὰ ἐποίουν τοῦ ἀναιρουμένου, καὶ ταῦτα λαβόντες ἐξῆρτων τοῦ τραχήλου αὐτῶν. Inter alia plurima in hanc rem valde scribit opportuna Scholiasta *Sophoclis* ad Electr. vs. 447. εἰώθασι οἱ δρῶντες ἐμφύλιον φόνον ἀκρωτηριάζειν τοὺς ἀναιρεθέντας, ἐκ παντὸς μέρους τοῦ σώματος ἀποτεμνόμενοι, καὶ περιάπτειν ἑαυτοῖς τὰ ἄκρα συναίροντες. Conferri poterit *Auctor Etymologici magni* p. 118, 22, et *Mich. Apostolius* Proverb. Centur. XII, Proverb. 40., ubi paucula notavit doctissimus *Pantinus*. Verum, ut iam incepi dicere, ἀκρωτηριάζειν in genere etiam positum fuit pro *mutilare* et *inutilem reddere*. Inde *Hesychius* ἀκρωτηριάσαι recte explicat κόψαι ἢ ἀχρειῶσαι. *Homero* id inter alia vitio vertunt veteres, quod deum Vulcanum claudicantem et mutilatum in scenam produxerit, atque adeo naturam divinam aliqua sui parte mutilam ac luxatam. *Heraclitus*, qui Homero patrocinatur, adversus im[illegible]us philosophorum, p. 445. χωλὸν, inquit, αὐτὸν ὑφίσταται, τὴν θείαν ἀκρωτηριάζων φύσιν. Sensu figurato pulchre hoc verbum in oratione pro Ctesiph. p. 354. adhibuit *Demosthenes*. Locum explicuit *Harpocration* in voce Ἀκρωτηριασμένοι.

OBSERVATIO XXXIII.

Observatione praecedenti, nomina *proxime* ab *ἄκω derivata*, eorumque propagines consideravimus, et, eandem omnibus insitam esse notionem *acuendi*, vidimus. Alia immediate ab ἄκω deducta *verbalia nomina*, quantum nunc quidem recordari queam, supersunt nulla, praeter unicum ἀκμὴ, de quo, ut et eius derivatis, hac observatione dicemus. Nam, si vel unum alterumve diem radici ἄκω, eiusque derivatis, in clara luce collocandis insumsero, videor mihi facturus operae pretium; cum unicum hoc exemplum, in omni amplitudine sua perspectum, possit sufficere, et acutioribus viam in aliis praemonstrare.

Non agam hic de vario ac multiplici usu vocis ἀκμὴ, qua de re integra conscribi posset et in longum protracta dissertatio. Velim tantum animadverti potestatem vocis propriam et primaevam, qua nihil aliud significatur, quam *acumen* vel *acies*. Quodcunque praeterea accesserit notionum, id omne secundarium est et figuratum, atque ab ea, quam dixi, notione productum.

Primum istam virtutem esse vocis ἀκμὴ, et antiquis Grammaticis et recentioribus, *H. Stephano* ac *Gull. Budaeo* fuit perspectum. Recte itaque *Etymologici Auctor* docet, ἀκμὴ proprie significare τὴν ἀκροτάτην ὀξύτητα τοῦ σιδήρου, *summum acumen ferri*: atque in eam rem citat locum *Homeri*, Iliad. K. 175, ubi *acumen* omnium *acutissimum*, *acies novaculae*, proprie a principe Poëta vocatur ἀκμὴ ξυροῦ. Proverbialem locutionem, ab aliis memoratam, attigit *Triclinius* ad Aiacem Sophocl. vs. 798. Et videndum, an non, ex isto *Homeri* loco, lucem accipiat *Phaedrus*, quando

occasionem dicit *pendere* in *novacula* L. V, fab. 8, vs. 1. Vocem etiam adhibuit eodem sensu Chorus in *Sophocl. Antig.* vs. 988. quando *oculos* dicit *effossos* οὐκ ἐγχέων, ἀλλὰ κερκίδων ἀκμαῖς, non *gladiorum*, *sed radiorum textoriorum cuspidibus.* Recte enim *Triclinius* ad hunc modum cepit, οὐκ ἐν ἀκμαῖς καὶ ὀξύτησιν ἐγχέων καὶ ξιφῶν, ἀλλ' ἐν ἀκμαῖς κερκίδων, ἤγουν σιδηρέων ἀτράκτων, id est, *non* ἀκμαῖς seu *cuspidibus* ἐγχέων seu *gladiorum*; *sed* ἀκμαῖς κερκίδων, seu *acuminibus fusorum textoriorum. Cuspidem gladii* ἀκμετὸν ξίφους vocat *Pollux*, L. VII, Segm. 157. Ad locum *Sophoclis* spectat glossa *Hesychii*, in rem nostram valde apposita, ἀκμαῖς· ὀξύτησιν. Ex ista significatione propria *I. Iensius* Lect. Lucian. L. II, c. 8. rectissime explicuit *Luciani* locum, τῆς τριαίνης τὰς ἀκμὰς, *tridentis acumina* seu *cuspides* interpretatus, ubi, hac significatione non perspecta, homo, suo tempore doctissimus, *Ioh. Brodaeus* corrigebat αἰχμαῖς, ab αἰχμὴ, quam vocem quo saepius repetendo considero, eo magis videtur probabile, non aliunde, quam ab ἀκω, repetendam: quod tamen, utpote nondum exploratissimum, nunc quidem mittimus.

Ex ista autem origine vocis ἀκμὴ, paullo enucleatius, quam ab aliis huc usque factum, exposita, omnibus, ingenio et acumine indicandi praeditis, significationum secundariarum notio patescit, quae sub hac voce et eius derivatis prostant, quasque nos universas privatae uniuscuiusque diligentiae committimus digerendas; derivata tantum quaedam ab ἀκμὴ spectaturi.

Eius Accusativus ἀκμὴν, Adverbialiter positus, apud *Atticos* et semel in N. T. Matth. XV, 16. si-

gnificat *adhucdum*, *etiamnum*, proprie et plene κατ' ἀκμὴν χρόνου, *in acumine et puncto temporis.*

Proximum ab ἀκμὴ adiectivum est ἀκμηνός, et a Plurali ortum ἀκμαῖος, *vegetum*, *robustum* notans, secundum iusitam potestatem, *illum, qui in acumine et ipso aetatis flore est.* Ex auctore forsan deperdito Genitivum Pluralem ἀκμαίων *Hesychius* explicat ὀξέων. Indidem verbum ἀκμάζω proprie *in acumine sum et flore.* Isto sensu ponitur apud *Pollucem*, quamvis loco alieniore, L. I, segm. 180. περὶ σίτου ἀκμήν, et σίτου ἀκμάζοντος, *cum frumentum est in acumine. Isidorus* Orig. L. XVII, 3. SPICAM *de maturis frugibus abusive dicimus; nam proprie spica est, cum per culmi folliculum, id est, extremum tumorem, aristae adhuc tenues in modum spiculi eminent:* (haec sunt verba *Servii* ad Lib. I. Georg.) Id καρπὸν ἀκμάζοντα vocat *Pollux* L. I, segm. 237. Hoc, itidem ut reliqua omnia, quin ad *aetatis vigorem* et *robur maturum* pulchre fuerit translatum, nemini dubium esse potest. Paullo longius a communi norma recesserunt *Hyperides* et *Auctor orationis contra Nearchum*, siquidem illi ἀκμάζειν posuerunt, non pro *esse in flore* ac *robore aetatis iuvenilis*, sed pro νεανιεύεσθαι vel τὰ τῶν νέων πράττειν, *facere iuvenilia*, uti locuples testis est *Harpocration* in voce ἀκμάζειν. Quandoquidem autem (namque id verbo videbatur adiiciendum) quae *in flore atque acumine sunt*, itidem vocantur *opportuna*: non est mirum, ἀκμάζειν de *temporis* etiam poni *opportunitate*, quo usu ἀκμὴ satis protritum est. Nam, si circumstantiae locorum poscant eum usum, ἀκμὴ simpliciter positum interdum valet *tempus eo innodum et opportunum.* Saepius tamen dicitur ἀκμὴ καιροῦ. Structura variata ὁ καιρός ἐστιν ἐπ' αὐτῆς τῆς ἀκμῆς legitur in *Pluto Aristoph.* vs. 256. *oppor-*

tunitas nunc est in vigore ipso. Norma nonnihil diversa *Sophocles* in Electr. vs. 22. ἀλλ' οὐκ ἔτ' ὀκνεῖν καιρὸς, ἀλλ' ἔργων ἀκμή. Atque ita in voce, a qua fueram exorsus, desino.

OBSERVATIO XXXIV.

Praecipuas difficultates nunc feliciter emensi, in reliquis via incedemus planiori ac minus salebrosa, nisi quod forte unum et alterum properantibus moram iniiciat impedimentum.

Huc usque *primitivum* ἄκω, cum sua propagine nominum, inde immediate derivatorum, enucleavimus. Nunc porro verba erunt, cum suis singulis ramis, paucis spectanda.

Prima autem proxime derivata verbi forma est ἀκάω, cuius productum ἀκάζω superest. Hoc tamen, opinor, verbo careremus, si non *Homerus* id nobis conservasset, apud quem tribus ad minimum in locis, ἔγχος ἀκαχμένον ὀξεῖ χαλκῷ, *hasta acie aerea acuminata*, memoratur Il. K, 135. Il. Ξ, 12. et Il. O, 482., ad quorum locorum medium Scholiasta ἀκαχμένον recte interpretatur ἐστομωμένον, ὠξυμμένον. Prior vox ex iis illustranda, quae ad vocem δίστομος notata sunt in Observ. in Epist. ad Hebr. IV, 12. *Eustathio*, commentatori Homerico, huius quidem verbi ratio minime fuit perspecta. Multo melius *Etymologici Auctor*, ἀκάζω, inquit, ἀκονῶ, (*cote acuo*) ὁ μέλλων ἀκάσω, ἤκακα, ἤκασμαι, ἠκασμένον, καὶ τροπῇ τοῦ Σ εἰς X, ἠκαχμένον. Postrema minus probo.

Pro ἀκάζω Aeolica dialectus protulit ἀκάσσω, atque inde analogice Particip. ἠκαχμένος,

seu, ut Poëta, minutis Grammaticorum placitis non mancipatus, ἀκαχμένος acuminatus.

Ab hac iam verbi ἄκω forma ἀκάω, sive ἀκάζω, per flexus multiplices, varia fluxerunt vocabula, quibus spinae denotantur, in quibus, dum taedium me obrepit, sollicite digerendis horam nolo perdere. Haec tantum sufficiat protulisse. Ἄκανος, unde ἀκάνιον Diminutivum et Adiectivum ἀκανικὸς, item ἄκαινα spina et stimulus quivis acutus, virga etiam pastoralis in acutum desinens, quod posterius novimus sub teste Scholiaste Apollonii Rhodii ad L. III, 1322. ἄκαινα ῥάβδος ποιμενικὴ παρὰ Πελασγοῖς εὑρημένη, περὶ ἧς Καλλίμαχος φησίν·

Ἀμφότερον, κέντρον τε βοῶν καὶ μέτρον ἀρούρης.

Porro spina ἄκανθα, ἀκανθὶς, et nonnihil diversum ἀκανθὸς, acanthus. Adiectiva hinc deducta non persequar.

OBSERVATIO XXXV.

Secunda verbi simplicis ἄκω forma est ἀκέω, cuius Medium ἀκέομαι viget, cum Activum plane sit obsoletum, nisi quod Hesychius apud aliquem veterum legerit ἀκέουσι, et verbum ἀκεύειν, hinc ortum, tanquam glossam Cypriacam proponat. Quod vero ἀκεῖσθαι, seu ἀκέσασθαι, in usu quotidiano significavit, Lexicographi, pro suo captu, tanquam huic verbo propriam et primam notionem consideraverunt, scilicet sanandi et medendi: notionem autem sarciendi inde, per metaphoram, crediderunt ortam. Quo nihil magis est absonum et a simplicitate naturae remotius. Nostra nos docet Rhetorica, quando notiones medendi et sarciendi

in una radice consistunt, hanc propriam esse et corporalem, illam per figuram inde translatam.

Ἄκος proprie Latinum ACUS, quae potestas apud Graecos sub verbali nomine, ab ἀκέω deducto, ἀκέστρα viget: nam ἀκέστρα proprie est *acus*, qua utuntur sartores et sarcinatrices. Nostrum ἀκεῖσθαι, vel ἀκέσασθαι, proprie notat *vestes laceras* ac *ruptas acu sarcire*, atque inde notio, qua frequentatur, figurata, scilicet *rupturam corporis reficiendi* et *sarciendi*, applicatis medicamentis. Postéa vox generali *medendi* significatu invaluit. In hac origine detegenda excellentes duumviri facem nobis praetulerunt. Alter est *Albertus Schultensius*, in Commentario ad *Iobum* Cap. V, p. 153. רָפָא, quod in Lexicis redditur *sanavit*, *curavit*, *medicatus est*, »*proprie est*, inquit, *resarcivit rupturam*. *Ita apud Graecos* ἀκεῖσθαι *mederi*, *sanare*, *a sarciendo traxit originem*.« Plura non addidit. *Schultensio* adiungendus est *Casaubonus*, qui in Animadv. ad *Athenaeum* L. VII. c. 15. ἀκέσασθαι, inquit, *est laceratas vestes sarcire*, *unde* ἀκέστρια *Antiphanis comoedia*. In glossis veteribus ἀκέστρα redditur *acuncula*, *acus*, et ἀκέστρια *sarcinatrix*. Ad rem nostram *Erotianus* Grammaticus et Medicus, in excellenti glossario Hippocratico, voce Ἀκέσιας, οἱ Ἀττικοὶ, inquit, τὰς ῥαφίδας [*sarcinatrices*] ἀκεστρίας καλοῦσι, παρὰ τὸ ἀκεῖσθαι καὶ ὑγιᾶ ποιεῖν τὰ ἱμάτια: ubi postrema rite sunt consideranda, quibus verbum ἀκεῖσθαι exponitur per ὑγιᾶ ποιεῖν τὰ ἱμάτια *vestes ruptas integrare*.

Verbum οὐλεῖν, quod in Ionica dialecto notabat *sanare*, proprie nihil aliud est, quam ὅλεῖν, *integrum facere*, ab ὅλος *totus*, *integer*. Imo Lati-

eum SARCIRE proprie nihil aliud est. Observatio apud *Festum* est peregregia: *Sarte in auguralibus pro integre ponitur; ob quam caussam opera publica, quae locantur, ut integra praestentur, sarta tecta vocantur. Etenim sarcire est integrum facere.* Verbi origo vera et significatio propria non latuit *Etymologo*: Ἀκέστρα ἡ βελόνη ἡ μείζων, ἣν νῦν σακκοῤῥάφιον καλοῦσιν· ἀκέστρα δὲ παρὰ τὸ ἀκεῖσθαι, ἤτοι συῤῥάπτειν, τὰ διεῤῥαγότα τῆς ὀθόνης. Paullo post, quum dixerat, *sarcinatrices* appellatas esse ἀκεστρίας, haec subiicit animadversione dignissima: Χρὴ δὲ εἰδέναι, ὡς οἱ παλαιοὶ γυναιξὶν ἐχρῶντο εἰς ταύτας τὰς ἐργασίας, καθὰ καὶ νῦν Σκῦθαι.

Verbum, de quo incepimus dicere, propria *rupturam reficiendi* notione, uno saltem loco posuit *Homerus*, Od. Ξ, 383.

Φῆ δέ μιν ἐν Κρήτεσσι παρ' Ἰδομενῆϊ ἰδέσθαι
Νῆας ἀκειόμενον, τάς οἱ ξυνέαξαν ἄελλαι.

i. e. *naves reficientem, quas ei venti fregerant.* Ubi *Eustathius*, p. 531. ἀκειόμενον explicat ἀναῤῥάπτοντα, ὅθεν, inquit, καὶ ἀκέστριαι αἱ ῥάπτριαι, ἢ ἀρυφάντριαι. Quae tum subiungit, merentur considerari: εἰκὸς δὲ καὶ ἰατρικῶς εἰρῆσθαι τὴν λέξιν πρὸς τὸ πάθος τῶν νεῶν. In re *medica* verbum generalem et latissimam *sanandi* obtinuit potestatem, etsi primum hic etiam positum fuerit de *sanatione partium* corporis *fractarum rupturumve*. Conferri huc poterit Il. Π, 28, 29.

Τοὺς μέν τ' ἰητροὶ πολυφάρμακοι ἀμφιπένονται,
Ἕλκε' ἀκειόμενοι.

Reliquos significationum flexus mittimus.

Verbalia nomina a *Praeterito Pass.* formata itidem plura remanserunt: nam a *prima* eius temporis *persona* est ἄκεσμα et ἀκεσμὸς, quibus *res* notatur, *quae coalescit ad sanum*. A *secunda persona* fluxerunt ἄκεσις *actio sarciendi*, ἀκέσιος, epitheton *Apollinis*, *medicorum praesidis dei*, et ἀκέσιμος, quod, secundum insitam vim nominum in σιμος desinentium, *id* significat, *quod potest sanare*, sive *id*, *quod ad sanandum conducit*. A *tertia persona* derivata fuerunt ἀκεστὴς, primo designans *sartorem*, secundo *medicum*. Huius formae femininae ἀκέστρια et ἀκεστρὶς proprie notant *sarcinatricem*, et secundario *obstetricem*, quae *partes* quasi *divulsas ad se reducit* et *sarcit*. Indidem adiectivum ἀκεστικὸς, *sarciendi* vel *medendi peritus*. Porro Lexicis restituendum est ἀκεστὴρ ex *Sophoclis* Oedipo Colon. vs. 709. Inde quippe ortum ἀκεστήριος, α, ον, quod ultimum etiam, Substantive positum, in Dictionario *Hesychii* prostat. Porro ἀκεστὸς *sartus* et *integer*, adeoque *sanus*. ἀκέστρα *instrumentum*, *quo rupta sarciantur*, uti et ἀκεστρον, quod ex eodem *Hesychio* Lexicis restituendum est. Praeterea ἀκέστωρ cum suis derivatis ab *eadem persona* defluxit: inde nomen proprium ACESTOR et ACESTORIDES.

OBSERVATIO XXXVI.

Tertia forma verbi ab ἄκω producta est ἀκίω, quod verbum Lexicographis itidem ignotum est, et cum suis derivatis linguae restituendum. Derivatum eius forte *Hesychius* asservavit, in Glossa, ἀκίζεται· ὀξύνεται. Proximum nomen veteris verbi ἀκίω derivatum superest ἄκινος *acinus*, *genus herbae ab acumine denomi-*

natae, qua de re videri potest *B. Stapelius* ad Theophrasti Histor. Plantar. p. 758. Plura huius verbi vestigia reperire non potui. Quae nunc porro habemus dicenda, in pauca contrahemus.

Quarta itaque forma est ἀκόω, itidem *acuo*. Huius proximum derivatum nomen ἀκόνη *cos*, cuius Diminutivum ἀκόνιον, *coticula*. Notum *Horatii* dictum, ex *Isocrate* expressum, in Arte Poët. vs. 304.

— *Ergo fungar vice cotis, acutum*
Reddere quae ferrum valet, exsors ipsa secandi.

Ab ἀκόνη verbum est ἀκονάω *cote acuo*, cum suis derivatis, quae in Lexicis supersunt. Verbi ἀκόω verbale nomen a *Praeter. Pass.* ἀκοστή *hordeum*, proprie *spica*, vel *spicus*, atque adeo *res acuminata*. Inde verbum ἀκοστέω. Id vero momenti maioris est observasse, notissimum, derivatorumque feracissimum, ἀκούω *audio*, non esse aliunde, quam ab ἀκόω *audio*, repetendum; sicuti λούω a λόω, ὀρούω ab ὀρόω, κολούω a κολόω. Et ex ista observatione patet propria verbi (prioribus, ut quidem arbitror, incognita) istius *audiendi* significatus origo. Ἀκούω ex origine nihil aliud significat, quam ACUO, virtute autem secundaria *audio*, *aures praebeo* et *exacuo*, *aures* praebeo *acutas*. *Acumen audiendi* utriusque linguae scriptorum locis potest firmari. Verum nunc est ad finem properandum. Id vero teneatur, parem esse et eandem rationem significationis in ἀκροάομαι, si quidem hoc ipsum ab ἄκω, mediante derivato ἄκρος, sit formatum.

Tandem, *quintam* verbi derivati formam ἀ-

κύω nihil aliud significare, quam Latinum Acuo, satis constat: nam nemo, qui fundamentis hisce firmiter innititur, poterit dubitare, quin Latinum *acuo* (unde *acumen* et *acutus*) sit ipsum Graecum ἀκύω, olim sine dubio, dum lingua vigebat, florente Graecia, usurpatum. Sicuti enim Latinum *arguo* est Graecum ἀργύω, ab ἄργω ortum; *minuo* Graecum μινύω, ex μίνω, μίω, productum: eadem analogia Lat. ACUO est Graec. ἀκύω, ab ἄκω propagatum. Atque ita tandem his observationibus imponitur

F I N I S.

IX.

LVDOVICI CASPARI VALCKENAER

EPISTOLA

AD

VIRVM NOBILISSIMVM

MATTHIAM ROEVERVM

IVRISCONSVLTVM.

[illegible]

[illegible]

MATTHIAE ROEVERO

S. P. D.

L. C. VALCKENAER

Postulis inexspectatum [illegible] VERI, *Fulvi Ursini* [illegible] forte meministi, domo [illegible] quando veteres ambo Leidensis [illegible] membranas; Tu, [illegible] *Jacobi Dusseni*, qui cum [illegible] cum, et, si quid mea vota potuissent, [illegible] cesserat ex hominum commercio: est [illegible] cio, sed *Joannis* [illegible] *Davidis Royeni*, quorum uterque me [illegible] raverat *Alb. Schultensius*. Praeterea [illegible] bus in amplissimo loco positis solet [illegible] ne dicere, quoties [illegible] temporis, quo nullum [illegible] commemini. *Ursini* [illegible] set expressus iussu [illegible] *Contonii* ibi hic a me petere, [illegible] do, et alia, quae [illegible] praeterea Praefationem [illegible] opusculi explicate traderentur [illegible] in hominum commercio [illegible] renovata [illegible] ego contra [illegible] qualia literarum studio [illegible] potuerant deficere; deinde [illegible] ipse lecturus negabat, [illegible] Atque eo [illegible] bus [illegible] ea non [illegible] in [illegible] praeser-

VIRO

NATALIBVS ET DOCTRINA NOBILISSIMO

MATTHIAE ROEVERO

S. P. D.

L. C. VALCKENAER.

Penitus inexspectatum recipis, MATTHIA ROEVERE, *Fulvii Vrsini* libellum, quem Tu mihi, et forte meministi, dono dederas ἐκ Μοισᾶν, quando veteres ambo Leidensis contrectabamus Bibliothecae membranas; Tu, auctoritate avunculi Tui, *Aëtii Dusseni*, qui cum collegis rem curabat Academicam, et, si quid mea vota potuissent, nondum secesserat ex hominum consortio; ego, illius beneficio, sed *Ioannis* maxime *van den Berghi*, ac *Davidis Royeni*, quorum adversus me voluntatem paraverat *Alb. Schultensius.* Propterea his hominibus in amplissimo loco positis soleo perlibenter bene dicere, quoties redeo in memoriam illius temporis, quo nullum mihi iucundius effluxisse commemini. *Vrsini* libellus, quum Frisiacis typis esset expressus iussu Iurisconsulti nostratis *Coulonii*, ibi hic a me petere, ut libro, in publicum evulgando, et alia, quae poterant esse usui, et praeterea Praefationem adiungerem, qua dotes opusculi explicate traderentur studiosis literarum adolescentibus: in horum enim commoda *Plantini* editio fuerat ab ipso renovata: ego contra niti; tum varia praetexere, qualia literarum studiosissimo nunquam poterant deficere; deinde eum hortari, ut, quando ipse facturus negabat, alteri hoc etiam oneris imponeret. Atque eo inprimis reluctabar, quia mendis levioribus tollendis ea non fuisset in operis initio praeser-

tim adhibita curatio, quam nos requireremus: aliis enim ea cura fuerat demandata, quam non unam ob rationem gerere recusaveram, tum forte etiam, dum liber coeperat excudi, aliis in rebus occupatissimus. Tandem ad me rediit *Coulonius*; quumque instaret, et per amicitiam rogaret, ut voluntati suae hac una in re morem gererem, pleraque, quae petiit, impetravit. Diu erat, Vir nobilissime, quum responsum oportuisset ad literas, quas iam ante plures menses ad me dedisti rerum elegantissimarum refertas. Poenitebat, literarium commercium, quod, utrique nostrum utile, per septennium exercueramus, mea unius culpa male fuisse intermissum. Sic tum cogitabam, posse me oblatam a *Coulonio* occasionem occupare, quin ita tandem uti, ut allegarem ad Te novum libellum, suis ornamentis, auro insignem, veluti Musicum aliquod ἀρεστήριον, eoque munusculo praemisso expiarem, quidquid mea ad respondendum tardissimi negligentia culpae fuerat commissum. Consilio cum duobus amicis communicato, quum illi recte facturum me iudicarent; quod his probaretur animo sedebat. Erat itaque opusculo Epistola praefigenda, Tibi inscripta; non qua virtutes Tuas ambitioso tractu denarrarem, ac magnifica aliquot verba et ἑπταπήχυαῖα fastidienti ingererem; sed in qua humane loquerer, et familiariter Tecum de Literis nostris ita confabularer, ut interea tamen meminissem, in aliorum etiam manus perventuram. Verum haec altera cogitatio paene me abduxerat a priori. Nam postquam nonnulli epistolam perlegissent adeo verbosam, qualis ad Te scribenti futura videbatur, id enimvero suspicabar causaturos, voluisse adolescentem hac opella suo quodam modo aemulari τὸν Κριτικώτατον. Sed mox mecum exputabam, quinam illi essent

futuri; Ὁ δεῖν', ὁ δεῖνα, κατ' ὄνομ' ἀνελογιζόμην· cumque oppido pauci viderentur, in proposito confirmatus perrexi. Et, ne Tu ita arbitrareris, Franequeranos semper ieiunis Grammaticorum notationibus excutiendis, aut severioribus distineri veterum Sapientum chartis versandis, placuit ad vestras elegantias tantisper secessionem facere. Quanquam, quando de *Platone* vel *Italico* quopiam Tecum fabulabar, Tu mihi Siculum *Empedoclem* reponebas; et iam olim noveram, quanto opere ex Tui ordinis hominibus, mihi quidem in hac terrarum particula notis, praeter celsi animi Adolescentem *Gerardum Meermannum*, solus veterum Iureconsultorum fragmentis delectareris; quae, et facile credebam, arguiis aiebas recentiorum formularum cantoribus esse extorquenda; quippe quibus persaepe contineri sanctissima et aeterni iuris Stoicorum decreta e Delfensis Vestratis opere non interituro didicisses. In ea autem re, hoc quidem tempore, (quo non pauci Linguarum studia, veterumque monumenta habent despicatui, qui melioris sibi scientiae persuasionem induerunt:) miraberis reperiri, qui paria Tecum sentiat, etiam Professione Philosophum, *Samuelem Koenigium*. Hunc nuper audiebam sic publice disputantem, ut Doricas Pythagorae discipulorum reliquias, et *Platonis* Dialogos, imo (horridum illum ac tristem) *Aristotelem*, et Stoicorum Tuorum fragmenta illis, qui ad Philosophiam viam adfectabant, prae recentioribus legenda commendaret, et probabili oratione evinceret ac persuaderet. Hoc eo mihi videbatur dignum memoratu, quia Tu novarum rerum es cognoscendarum cupidus, et quo modo cunque spectantium ad Literarum Humaniorum incrementa, quae hoc etiam tempore haud fortunatissimo in Hollandia vestra, sicuti iam ante non dissimillimis tempestatum articulis evenerat, edito, praeter *He-*

sychium, Diodoro Siculo, fuere pauxillo spatio permagna. Praeterea ea res mihi quidem solidum pepererat gaudium, cui persaepe accidit molestum, nobiliora, de quibus cogitare poteram, huius seculi ingenia Mathematica, inventis suis, utilissimis illis et merito admirandis, adeo tamen distineri, ut clarae veritati, paene dixerim nimis adsuefacti, horas sibi indulgeant rarissimi, quas in veteris Graeciae tenebris illuminandis consumerent. Neque tantum accidit illud molestum, sed et vehementer admirandum, cogitanti, ceteros omnes in quacunque arte excellentes ingenuam invasisse cupiditatem, qua suae disciplinae Auctores, quanquam a Linguarum scientibus conversos, sua tamen Lingua loquentes audire exoptarent; homines contra sapientissimos, per Europam sparsos, quorum numerosa familia semper tamen excipio hac etiam in parte *penitus toto divisos orbe Britannos*, saepenumero non item; ut adeo, dum forte, quod solet usui venire, loca ipsis sint requirenda ex *Hippocrate*, vel *Euclidea*, sive ex *Archimede*, ceterisve magno numero, quos admirantur, inprimis autem ex aliorum scriptis, debeant sese interdum minime omnium creduli tradere tamen ludificandos interpretibus, qui, omnia convertentes, partem tantum intellexerunt, quique, si fuerint, ut fuerunt non rari, homines plebeii, mares sensus capitalium ingeniorum, quos arripere pro sua sapientia non potuerant, exsucca conversione enervarunt. Nam nobis quidem est exploratum, Linguae Graecae cognitione prae reliquis praestantissimos variarumque rerum peritia exercitatos, istius laudis, quae comparari possit e versionibus, haud sane appetentes, perdifficile ac periculosum munus caute et prudenter plerumque semper declinavisse. Quando commodum fuerit, significabis, an ea res Tibi eandem etiam admira-

tionem moverit, et videaturne aliquando mutatum iri. Mihi certe, (nosti, quos audiverim,) sic sedet: tum vero felicem fore Literarum conditionem, si Philosophi praestantiores Linguarum, e suo fundo enatarum, analogiam nobiscum pandere aggrederentur; et in illud temporis βάθος, quod supra nos est, quam altissime ab hominibus fieri poterat, sese penetrantes, primas Linguarum origines, quaeque infantiam antecesserant, si pote, pervestigarent. Quod si illud forte minus potuerim adprobare; hoc tamen mecum constitues, si decimus quisque eorum, qui res naturae scienter tractant, et oculo considerant Mathematico, a Grammaticis rebus probe praeparati, Scriptoribus Graecis ac Latinis suum inventoris ingenii acumen aliquando admovere dignarentur, permagnam nostris Literis accessionem futuram. Hoc si eveniret, (et, nisi mens male praesagit, eventurum laetus auguror, quando nos hinc recesserimus, saltem post aliquot seculorum volumina:) tum nostrae, semper unius, sectae homines praestantiores, ad earum etiam rerum, quae istis nunc solis placent, amorem commoverentur, et Literati, sententiis adeo dissidentes, in unum coalescerent veluti ὁμακόιον· illi autem, qui se multorum consensione dociles persuaderi patiuntur, quas introspicere non poterant antiquitatis tenebras, ac tot Musarum sacerdotes, a longinquo tamen religiosius venerarentur.

Sed vide, quaeso, Clarissime *Roevere*, quo me aestus abripiat omnis dulcissimi, quod, nescio unde, animo fuerat oblatum. Vbi is aestus deferbuerit, reliqua simpliciter persequar, ita ut coeperam. Poëtam circumspicienti, cuius loca quaedam possent tractari, primus occurrebat *Sophocles*, et propter suam dignitatem, et quod poteram videri cum ipso consuevisse familiariter. Verum, dum ita

me comparabam, ut qui e loculis suis Sophoclea carperet, cum *Roeverb* communicanda, consilium illud damnavi. Non unis Literis intellexeram, Virum humanitatis et literarum cultu ornatissimum alibi terrarum in *Sophocle* vulgando esse occupatum. Nolebam profecto cuipiam videri captasse occasionem hanc, emendatiunculas depromendi, ne illae alterius labore praeriperentur, atque ego tum scilicet fraudarer inventionis gloriola. Tu tamen illud in animum non induxisses, probe gnarus, me cuiuscunque laborem, nedum viri boni, in Tragico bene collocatum, grata mente excepturum; atque ea etiam ipsius observata, e quibus nos duo parem percepisse voluptatis fructum, et in quibus conspirasse deprehendero tanta intercapedine locorum disparatos. Habemus etenim hoc, quidquid est, certe amabile expertis, veteres nobilissimis Graecorum et Romanorum monimentis impressos errores corrigendi, et veritatem quamcunque tandem indagandi exercitium, pro honesto huius vitae oblectamento, quo si quis scienter utatur, veluti coticula ad exacuendam etc. *) Adeo est difficile, ab iis cogitatis quibus adsueveris animum avocare: nisi me retraxissem tempori, ducentos versus consumsissem in una sententia, eaque minime nodosa. Nunc bona fide polliceor, daturum me tandem aliquot observata in Poëtam. Et quem tandem, inquis, nam taedet me praeludii? in *Theocritum*. Arbitrabar, in *Theocrito* quantulacunque etiam non displicitura. Noveram Te, dum a Silva Hagana non longe remotus in praedio rusticaris, Patriis Annalibus, his potissimum proximis annis,

*) Lacunam sic explet Luzac Exercit. I. p. 4. „mentem, nihil profecto peraget, quod infra dignitatem aut utilitatem cuiuscunque doctrinae subsistere videatur.“ *Editor.*

(credo ad illorum tristitiam minuendam) revolvendis fatigatum, per spatiosa viridaria obambulare pastoralia *Theocriti* carmina vere novo gestantem; et hac in parte imitantem ingeniosum Poëtam, *Petrum Danielem Huetium*, qui quotannis a se adolescente, sed iam tum noto *Petaviis, Sirmondis, Blondellis*, perlegi solitum primo vere *Theocritum*, Theologus scribere et ad nostram memoriam propagare non dubitavit. Noveram, huius nativam ἀφέλειαν Tuo iudicio anteponi fictis eorum bombis, qui Te etiam circumstrepunt, quando est secedendum εἰς τὸν πολὺν ὅμιλον. Haec causa mihi satis erat gravis. Accedebat tamen ad illam altera. Quos oportuerat, *Theocritum*, *Hesiodum*, *Homerum*, ut erant tum tempora, curate contulerat *Vrsinus* ad *Virgilium*. Igitur nihil minus videbatur abhorrere ab huius libelli ingenio, quam si unius de tribus istis loca quaedam emendata huic epistolae, aliquot aliarum rerum emblematis pace Tua distinguendae, intertexerem. Nunc si respicias ad illa priora, non quaeres, quare *Homerus* et *Hesiodus Theocrito* locum cedere debuerint. Theocritea autem cum non pauca aut eadem potuerant retractari, quae ab *Vrsino* designata *Virgilius* fuerat imitatus, aut etiam alia; placuit uti libertate, et quaedam ponere, prout fors tulerit. Dum e multis locis *Theocriti* paucissima tantummodo decreveram attingere, haec tamen adhibenda videtur cautio, ut ne illa contrectarem in *Theocrito* ulcera, persaepe speciosa cute obducta, quae potentem manum requirere viderentur, neque adeo pertentari posse, nisi medicus accesserit ingenii, eruditionis et codicum vetustorum opulentissimus, *Philippus Iacobus D'Orvillius*, qui mihi semper benevolus hanc opellam adeo non feret moleste, ut ne id quidem aegre sit laturus, si unam alteramve coniecturam, quam cum Ipso ultimis literis commu-

nicaram, hic forte reposuero. Vt itaque inde ordiar, *Vrsinus* ubi *Theocriti* locum profert ex Eidyllio VIII. ad *Virgilii* Eclogae III. versum 80. Virgiliana non satis ponderavit. In octavo isto Eidyllio sic leguntur versus 57, et sqq.

Δένδρεσι μὲν χειμὼν φοβερὸν κακόν, ὕδασι δ' αὐχμός,
Ὄρνισιν δ' ὕσπλαγξ· ἀγροτέροις δὲ λίνα·
Ἀνδρὶ δὲ παρθενικᾶς ἁπαλᾶς πόθος.

Quantumvis notissimos, adponam *Virgilii* versus ex Ecloga III, 80. et sqq. ubi Damoetae sic canenti,

Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres,
Arboribus venti, nobis Amaryllidis irae.

Menalcas respondet:

Dulce satis humor, depulsis arbutus hoedis.

In Theocriteo versu vulgatis,

— κακὸν, ὕδασι δ' αὐχμὸς,

non ignoro qui color possit conciliari. legitur in *Valerii Catonis* Diris v. 18.

Desint et silvis frondes et fontibus humor:

sed praecesserat v. 16.

Pallida flavescant aestu sitientia prata.

Locum nostrum imitatus *dulce satis humorem* dixit *Virgilius*; istam sententiam si ita inverteas, ut eadem tamen maneat, enascetur *triste satis siccitas*: in hunc sensum sic, opinor, scripserat *Theocritus*:

Δένδρεσι μὲν χειμὼν φοβερόν· κακὸν οὔδασιν αὐχμός·
Ἀνδρὶ δὲ παρθενικᾶς ἁπαλᾶς πόθος.

Ista duobus versibus bucolicis illigemus:

Arboribus venti, terris sitis arida triste,
Vberibus, iuveni fastidia longa puellae.

Nisi versus fuerat inplendus, veram sententiam vidisset *Eobanus Hessus*, (a quo *sitim aridam* mutuatus sum) *Danieli Heinsio* minus perspectam. Quum

sub nomine *Theocriti* vulgaretur in *Stobaei* Florilegio p. 391. v. 14:

Δένδρεσι μὲν χειμὼν φοβερὸν κακόν· οὔδασι δ' αὐχμός.

veteris quidem scripturae vestigium in Excerptis e *Stobaeo* Tit. LXIII. p. 255. non obliteravit *Grotius*, verumtamen haec adiecit:

Triste satis frigus, fluviis labentibus aestas.

Recepta lectio dudum ante displicuerat, quam noveram, hunc etiam locum Florilegio suo *Stobaeum* immersisse; sed vocem huic versui commodam tum demum invenisse videbar, quum Stobaeanum οὔδασι monstraret, olim lectum:

Δένδρεσι μὲν χειμὼν φοβερὸν· κακὸν οὔθασιν αὐχμός.

Homericum οὖθαρ ἀρούρης, quod *Cratinus* et alii expresserunt, *uber agri*, *Virgilio*, Grammatici interpretantur τὸ λιπαρώτατον καὶ καρπιμώτατον τῆς γῆς. Monuit aliquoties in *Plin.* Exercit. *Salmasius*, Latinum *uber* natum e vocis οὖθαρ Aeolica pronuntiatione οὖφαρ· praeter cetera, similiter pro θάρσυνος dixerunt φάρσυνος, quod *Hesychio* restituendum est, ubi φάρυμος vulgatur: sed illud praetermitti non debeat, quod teste *Schol.* ad *Apollon. Rhod.* II, 1252, scripserat *Agroetas*, Historiae Scythicae L. XIII. ἧπαρ παρὰ πολλοῖς, ὥσπερ καὶ οὖθαρ, τὴν εὔκαρπον λέγεσθαι γῆν. Attices agri, haud sane natura fertilissimi, quando nimio solis fervore erant siticulosi, sueverant Attici Pluvium Iovem elicere modesta nec certe verbosa precum formula, quam ignoraremus, nisi placuisset *M. Antonino* V. §. 7. ὗσον, ὗσον, ὦ φίλε Ζεῦ, κατὰ τῆς ἀρούρας τῆς Ἀθηναίων καὶ τῶν πεδίων. et quo pacto quotannis tempestatum praesides Deas placaverint Athenienses, *Philochorus* docet apud *Athen.* XIV. p. 656. A. quotidiana autem experientia,

maturis frugibus imbres esse *triste* malum; contra *dulce satis humorem*, κακὸν οὔδασιν αὐχμόν. Qui haec verba proxime excipit, versum 58,

Ὄρνισιν δ' ὕσπλαγξ· ἀγροτέροις δὲ λίνα.

nondum mihi potui persuadere *Theocriteum* esse; tametsi legitur cum vicinis apud *Stobaeum*, et videtur designari ab *Eustathio*, ad Dionysii Perieg. v. 121. e *Theocrito* rarissimum usum dictionis ὕσπληγξ, de *laqueo* positae, commemorante. Minime autem *Theocrito* adscripserim, quae proxime sequuntur, ita conflata, ut nihil minus conficiant quam versus bucolicos: sunt autem haec:

— ὦ πάτερ, ὦ Ζεῦ,
Οὐ μόνος ἠράσθην· καὶ τὺ γυναικοφίλας.
Ταῦτα μὲν ὦν δι' ἀμοιβαίων οἱ παῖδες ἄεισαν.
Τὰν πυμάταν δ' ᾠδὰν οὕτως ἐξᾶρχε Μενάλκας.

Quosvis hercle indices in hac re non desiderem; verum Tu, *Roevere*, qui *Theocrito* sis adsuetus eiusque dulcedini in versibus bucolicis pangendis artificiosae, mecum offenderis duro sono, et ingrato tot spondeorum concursu, in versibus 61 et 62. aliisque, veluti in v. 48.

Χ' ὡ τὰς βῶς βόσκων, χ' αἱ βόες αὐότεραι.

Si contuleris huius carminis v. 31 et 32. [illegible] deteges, quo versus 61 et 62. mutatos derivaverit poetaster. Sed ne illa quidem, quae antecedunt,

— ὦ πάτερ, ὦ Ζεῦ,
Οὐ μόνος ἠράσθην· καὶ τὺ γυναικοφίλας.

huic sedi conveniunt, aut a *Theocrito* videntur profecta; hoc iudicium dum forte miraris, noli tamen credere, eum esse me, cui sententia fuisset displicitura, si suo loco legeretur verbis paulo diversis expressa. Potuit certe iuvenis amator exemplo Iovis se tueri, et, si puellam astu aggrederetur, culpae tamen suae hoc argumento, sicuti Terentianus ille,

Deum praetexere; si ita fecisse legitur, *qui templa coeli summa nutu concutit; Ego homuncio hoc non fecerim?* In *Sophoclis* Phaedra nutrix forte dixerat Hippolyto,

"Ερως γὰρ ἄνδρας οὐ μόνους ἐπέρχεται,

quaeque sequuntur apud *Stobaeum* Tit. LXI. p. 388. v. 23. Si censeas ista potius *Euripidi* tribuenda, quibus illud firmari possit, dabit *Gatakerus*, A. M. P. c. X, p. 507. Sunt in eamdem sententiam plura. Nunc respice, quaeso, *Callimachi* Epigr. LVI. Cum Phrygis meminisset, qui Iovi stabat a cyathis, subdit,

— οὐράνιε Ζεῦ,
Καὶ σύ ποτ' ἠράσθης.

Suspicor equidem, ex his Callimacheis nostrum locum efformasse hominem minime poeticum; qui vocem γυναικοφίλας in alio legerat epigrammate Dorico, quod ad *Suidam* in v. Ἀκοστήσας vulgavit *Kusterus*. Quae quidem certe hoc in loco fulgent; ὦ πάτερ, ὦ Ζεῦ, Οὐ μόνος ἠράσθης καὶ σὺ γυναικοφίλας a vate amatore fuissent tornata lautius: nam

— ψυχῆς ἐστιν ἔρως ἀκόνη,

ut recinit *Alpheus Mitylenaeus* in epigrammate, quod nondum editum, haec scribenti obversatur. In *Plutarchi* Erotico, p. 762. B. pervenustum legitur dictum:

— Ποιητὴν δ' ἄρα
"Ερως διδάσκει, κἂν ἄμουσος ᾖ τὸ πρίν.
Amor Poëtam vel facit, vel invenit.

In eadem ῥήσει apud *Plutarchum*, eodem Vol. II. p. 622. C. pro Ποιητὴν mendose legebatur Μουσικήν. *R. Bentleius*, alterius istius loci, quem indicabam, tum forte non memor, in Epist. ad *Millium* p. 31. pro Μουσικὴν reponebat: Μουσικὸν δ' ἄρα Ἐ. διδάσκει et locum ita, ut posui, interpretabatur.

Videri posset ista correctio levis, sed non erat exspectanda, nisi a Graeci sermonis peritissimo; nam, si non exquisita esset elegantia, haud dignam iudicasset Vir summus, quam copiose tractaret ad argumentum Pluti *Aristoph. Theocritus*, Poëta inprimis ἐρωτικὸς, prioris loci sententiam elegantissimis versibus expressit in primo Hyla:

Οὐχ ἁμῖν τὰ καλὰ πράτοις καλὰ φαίνεται ἥμες,

Οἳ θνατοὶ πελόμεσθα, τὸ δ' αὔριον οὐκ ἐσορῶμες·

et, ubi Hylam imitatur Theocriti, *M. Anton. Flaminius*: *Crede mihi, non solus amas* etc. Omnivoli Iovis, quem iste γυναικοφίλαν nuncupabat, furta haud paulo venustius attigit in epigrammate, itidem inedito, *Iulias* (MS. Ἰλίου: lego Ἰουλίου) *Leonides*:

Ὁ Ζεὺς Αἰθιόπων πάλι τέρπεται εἰλαπιναισιν,

Ἦ χρυσὸς Δανάης εἴρπυσεν εἰς θαλάμους·

Θαῦμα γὰρ, εἰ

Distichi sententia poterit e *Propertio* suppleri, prudentius de domina sua loquente, II, El. II. v. 55.

Quur haec in terris facias humana moratur?

Iupiter, ignoro pristina furta tua.

Versiculos aliquot excitavi, ut minori cum fastidio legeres sequentia. Praeter versus a me designatos sunt in hoc carmine VIII plures alii, qui mihi quidem minime videantur *Theocritei*; insunt tamen etiam genuini, et *Virgilio* lecti; quin elegantissimi; atque adeo hinc potissimum rusticae simplicitatis exempla enotavit inprimis idoneus harum rerum iudex, *Franciscus Vavassor*, in puro libello de ludicra dictione. Praeter alios, pro genuinis sine controversia habendos arbitror primos viginti quinque versus carminis, et ultimos, cum v. 82, 83, 84, sic mea opinione coniungendos:

Ἁδύ τι τὸ στόμα τοι καὶ ἐφίμερος, ὦ Δάφνι, φωνά.
Κρέσσον μελπομένω τευ ἀκουέμεν, ἢ μέλι λείχειν.
Λάσδεο τᾶς σύριγγος· ἐνίκησας γὰρ ἀείδων.
Κἠκ τήνω Δάφνις παρὰ ποιμέσι πρᾶτος ἔγεντο,
Καὶ νύμφαν ἄκραβος ἐὼν ἔτι Ναΐδα γᾶμεν.

In reliquo carmine versus *Theocriti* plurimi videntur desiderari; sive defuerint exemplari vetusto, seu legi plerique minus potuerint. Eidyllium etiam nonum apparebit, paulo consideratius attendenti non una sui parte deficiens, ad scenam exornandam necessaria. Pariter hic, ut in Eidyllio octavo, duo pastores et iidem Daphnis et Menalcas ad alterius arbitratum certant cantando. Nisi obstarent nonnulla, suspicareris, unam *Theocriti* Eclogam ab homine otioso fuisse iam olim in duas distractam. Sed hoc certe (εἴγε βουλομένοις ὑμῖν ἐστι, hin minus, calculum reducam,) statuo, plures, quos legimus in octavo carmine versus alterius industriae deberi; qui Theocriteis, ut hiatum codicis suppleret, adfinis argumenti nonnullos interseruerit, nonnullis *Theocriti* huc aliunde translatis plures a se non optime tornatos adiecerit. Quis nostrum dixerit, quot versus spurii in quibuscunque Poëtis veteribus nos ludificentur? Vtinam hanc partem pertractandam sumpsisset *Bentleius*, felicissimus ille fraudum istiusmodi in *Manilio* repertor. *Theocriteis* versus spurios permixtos eo minus admirandum, quod in vetusto *Theocriti* Codice istius generis octoginta quatuor inventos evulgaverit in notis suis *Scaliger*. Ineptus eorum pater, videntur enim in eodem cerebello edolati, sex praefixerat Eidyllio XXVII; quadraginta Heraclisco; reliqui triginta et octo Eidyllio XXV supplendo inserviebant. Praeter alios

versus duros, certe bucolicorum dulcedinis expertes, pro spuriis et interpolatis in octavo Eidyllio habuerim plerosque elegiacos, inprimis autem pentametros, huic carmini insertos; penitus ignotos vetustis Grammaticis, ubi de metro egere Bucolico: sed hi dum in versu Bucolico definiendo minime convenirent inter se; videretur autem res, quam leviter attigerat *D. Heinsius*, *Theocritum* tractanti scitu utilis; otiosus aliquando explorare coepi, cuius generis versus in pastoralibus *Theocriti* carminibus frequenter prae ceteris recurrerent; et re deliberata censui, » versum dactylicum dici debere Bucolicum, si, duobus pedibus postremis recisis, remaneret tetrameter, qui clauderetur dactylo, terminante partem orationis, atque adeo Alcmanicus. « *Diomedis* et *Plotii*, qui dactylum viderint in quarta sede requiri, verba proferri necesse non est. De versibus agens Bucolicis *Terentianus Maurus*, pro materia eleganter, ut solet, sic cecinit;

Plurimus hoc pollet Siculae telluris alumnus:
Ne Graecum immittam versum, mutabo Latinum.
Dulce tibi pinus submurmurat, en tibi pastor,
Proxima fonticulis, et tu quoque dulcia pangis.
Iugiter hanc legem toto prope carmine servat;
Noster rarus eo pastor Maro.

Saepe tamen in *Maronis* Eclogis reperias bucolicos semet subsequentes, veluti in Ecl. II. v. 42. et seqq. Eclogae VIII. versum 7. et sex proximos; verum hoc nihil est, si ad *Siculum* nostrum species, qui viginti sex in Eidyllio quinto a v. 20. pangere valuerit continuos. Bucolica *Theocriti* septem priora Eidyllia una cum decimo et undecimo versibus constant *nongentis viginti septem*: inter illos 927, bucolicos, ad legem supra a me positam tornatos, reperi *undecim supra septingentos*; ut adeo in ver-

sibus *ducentis et sedecim* a carminis bucolici modulo, neque unquam temere, in novem istis Eidylliis secesserit *Theocritus.* Nunc, quaeso Te, *Virgilium* respice; in versibus *octingentis* et *triginta*, tot enim decem conficiunt Eclogas *Virgilianas*, bucolicos *Theocriteos* invenies duntaxat *ducentos triginta duo*; in quibus nimirum quartus pes, dactylus, partem orationis finiat; sed praeterea, in illis 830 *Virgilianis* versus sunt 286, in quibus quartus pes, spondeus, dictionem finiat: hos si forte volueris adnumerare Bucolicis, Bucolicos in Eclogis suis posuerat *Virgilius* 518. verum si sic indices faciendum, tum de *Theocriteis* 216, non pure bucolicis, *quadraginta* Tibi erunt detrahendi, quos Bucolicorum 711 summae adiicias: habebis autem, qui sic sentiant, *Servium*, *Probum*, *Atilium Fortunatianum*, et *Marium Victorinum.* His nisi Vos elegantiarum spectatores accesseritis, mihi priorum potior videbitur habenda ratio. Bucolici versus Theocritei, nonnulli etiam in editionibus obscurati, si forte requisiveris, facile poterunt designari. Severiores diem mihi in his nugis periisse criminabuntur;

Αὐτὰρ ἐγὼν βασεῦμαι ἐμὰν ὁδόν.

Versus pentametri, quos in Eidyllio legimus octavo, in carmine *Theocriti* Bucolico non poterant sedem reperire: plerique autem dactylici, qui hos comitantur, aliique in hoc Eid. non pauci, adeo sunt invenusti, ut saepe mirer, fraudem non fuisse ab acutis hominibus detectam. Simplicitas naturae et merum rus mihi quidem in *Theocrito* nunquam displicuere, sed umbratiles non placent ineptiae. E multis unum indicium attingam, quo se prodiderit sorex. Quae hodiedum nostratibus, eadem Siculis fuit rusticis et Italicis consuetudo, ut animalia suis nominibus, potissimum a colore ductis internoscerent, et, veluti

editionibus nomen praeferunt *Theocriti*, nisi ex XXII, XXIV, XXVI. et e *Fistula*. Hoc posui, *Roevere* Eruditissime, re quam diligentissime explorata: et tamen fieri facile potest, ut quidpiam omiserim, dum versabar in *Eustathio*, de *Bucolico* non magis cogitans, quam de ceteris. Ex Ecloga, de qua egimus, octava, ultimum versum ad Od. A. p. 71. v. 7. attigit Eustathius; versum autem 87.

Ἅτις ὑπὲρ κεφαλᾶς αἰεὶ τὸν ἀμολγέα πληροῖ,

non tantum respicit ad Il. O. p. 1022. v. 25. sed paene totum protulit ad Od. I. p. 349. v. 20. ut ostenderet, τὸν ποιμενικὸν γαυλὸν a *Theocrito* dictum fuisse ἀμολγέα. Verum ne *inpletum* quidem illud *mulctrale* videtur *Theocriti*, qui πέλλας noverat et γαυλὼς I, 26. v. 58. Vtrobique notaverat *Scholiasta*, *mulctralia* vulgo vocata ἀμολγέας· ad priorem locum nunc perperam vulgatur ἀμολγούς. Qui carmen XXV, minime *Theocriteum*, pepigit, forte conditor carminis, quod sub nomine Megarae *Moscho* solet adscribi, v. 106. ἀμόλγιον *mulctrale* nominat. *Clitarchus* apud *Athenaeum*, ex eruditorum scriptis nuspiam ἀμολγέα memorantem, XI. p. 495. C. observat, *mulctrale*, in lingua communi ἀμολγέα, a Thessalis dictum fuisse πελλητῆρα. *Hesychius* invenerat, ut puto, in *Clitarchi* Glossario, πελλαντῆρα, quod praetulerim: qui proxime apud *Athen.* citatur *Philetas* ἐν ἀτάκτοις (mendose scribitur ἐν Ἀττικοῖς p. 467. F.) minutum quoddam *mulctrale* adnotaverat, quod diceretur Ἄμφωτις, in *Casauboni* Anim. XI. C. IV. p. 783. v. 38. Neminem autem dederis Grammaticum, qui in *Theocriteis* suis invenerit τὸν ἀμολγέα, praeter unicum *Eustathium*; de quo pace Tua pauca interseram, ab instituto non aliena. — Protulit scilicet *Eustathius* nonnulla sub nomine *Theocriti*, quae cum certe sint

Theocritea, in illis carminibus, quae ad nos pervenere, non reperiantur; neque tamen *Eustathius* deperditum videtur legisse carmen *Theocriti*, aut ullius veteris Poëtae, quod nobis nunc perierit. Credo saepe aliis evenisse, quod mihi olim accidere memini: perlustrato indice Auctorum, quos *Eust.* citat, *Hudsoniano*, in primo Vol. Bibl. Gr. *Io. Alb. Fabricii* p. 306. mirabar, seculo XII. tantum bonarum rerum superfuisse: videbam passim decantari diffusam *Eustathii* lectionem, et *multiplicem doctrinae copiam*, non a laudatoribus duntaxat, sed et ab iis qui scribunt cogitate, nuper valde celebratam ab *Eustathii* interprete laborioso, *Alexandro Polito* Florentino: sed re explorata, collaudare coepi utilissimam viri optimi diligentiam; prior autem ista persuasio indies minuebatur; inprimis postquam pervenissem ad cubilia, in quibus pleraque invenerat *Eustathius*. Tandem credidi, e centenis, quorum testimoniis utitur, legisse paucissimos, et praeter Grammaticorum scripta nihil adeo, quod ad nos non pervenerit. Centenos dicebam citatos; et nominantur profecto plurimi praeter illos, quos in indicem retulerat *Hudsonus*; quales sunt: *Aeschines*, *Anaxagoras*, *Anicetus*, *Anticlides*, *Aristias*, *Artemidorus*, *Artemo Milesius*, *Automedes Mycenaeus*, ceterique magno numero. Inter centenos istos Auctores, Comici citantur, praeter *Aristophanem*, triginta aut etiam plures; certe sequentes: *Alexis*, *Amphis*, *Anaxandrides*, *Anaxilas*, *Antiphanes*, *Araros*, (Ἀραρὼς, sic enim scribendum pro ἄραρος, ad Il. Σ. p. 1209. v. 1. non *Aratus*; quae inconsiderata erat nonneminis coniectura: quatuor versiculis, quos ibi profert *Eust.* ex *Athenaeo*, hic index praefigitur apud *Athen.* XI, p. 471. E. Ἀραρὼς ἢ Εὔβουλος ἐν Καμπυλίωνι.) *Aristias*, (ad Il. Ο. p. 1020. v. 57. senarius apud *Eust.* et in

Epitome *Athenaei* II. p. 60. B. minus emendate scriptus sic erat reficiendus:

Μύκαισι δ' ὠρέχθει τὸ λάϊνον πέδον.

Aristiam Comicum fuisse ante *Fabricium* ostenderat Th. *Gatakerus*, A. M. P. cap. V. p. 452. D.) *Archippus*, *Cratinus*, *Diocles*, *Diphilus*, *Ephippus*, *Epicharmus*, *Eubulus*, *Eupolis*, *Heraclides*, (ad Od. Δ. p. 144. v. 46. ex *Athenaeo* XII. p. 532. E. qui ne ipse quidem *Heraclidae* legerat comoediam, ῥῆσιν ibi depositam repetens, ut arbitror, e *Theopompo* historico.) *Hermippus*, *Menander*, *Menecrates*, *Mnesimachus*, *Nicostratus*, *Pherecrates*, *Philemon*, *Philippides*, *Philyllius*, *Phrynichus*, *Plato*, *Strattis*, *Teleclides*, *Theopompus*, *Xenarchus*. Qui tot Comicos, plerosque satis frequenter, laudat, nullam tamen legerat Comoediam, sive Tragoediam, quae perierit. Ex hoc specimine poterit de reliquis iudicari. Comicorum istorum verba pleraque descripsit *Eustathius* ex *Athenaeo*, qui solus praeterea quorumvis Auctorum loca, et alia centena ipsi subministravit. Diligens *Herodoti* lector, Geographica hausit e *Strabone* et e *Stephano Byzantino*, in quo diversis adpellationibus designando pariter ludit, ut in *Archestrati* carmine *Athenaeus*. His adde *Apionis* et *Herodori* in Iliada, aliorumque vetustissima in utrumque Poëma scholia; copiosa *Aelii Dionysii*, *Pausaniae* et aliorum aliquot Lexica; perpaucorum Technicorum, *Heraclidae Alexandrini*, et *Herodiani* scripta; fontes habebis, quibus solis longe maximam commentariorum partem derivaverit. Sed Poëtas superstites plerosque legerat diligentissime; et e deperditis quorundam carminibus, quae repererat apud Grammaticos, fragmenta profert, quae frustra quaereremus alibi: saepe numero etiam melioribus Poëtarum codicibus usus, eas indidem depromit lectio-

nes, quibus ingeniosissimus non esset excogitandis. Vt, in orbem redeam, versum et hemistichium e *Theocriti* Berenice, carmine deperdito, protulit *Eust.* ad Il. Π. p. 1088. v. 12. verum haec et reliqua, quae ibi leguntur, ex *Athenaeo* non nominato transscripserat. Quinque versus e Berenice *Theocriti* custodivit *Athenaeus* VII, p. 284. A. quos ita emendatos descripsere *Scaliger*, *Casaubonus* et *Heinsius*, ut tamen eorum primum,

Καί τις ἀνὴρ αἰτεῖται ἐπαγροσύνην τε καὶ
ὄλβον,

pace magnorum virorum sic omnino corrigendum censeam:

Καί τις ἀνὴρ αἰτεῖτ' εὐαγροσύνην τε καὶ
ὄλβον

Ἐξ ἁλός.

Pervulgata sunt εὐαγρεῖν et εὐαγρία· εὐαγρίην — ἐξ ἁλὸς dixit *Alpheus Mityl.* Anthol. VI, c. XI. ep. 15. Qui εὐαγροσύναν mecum receperit in versum *Theocriti*, haud sane timebitur αἰτεῖται. Nuspiam alibi memini me legere citatum a Grammatico deperditum carmen *Theocriti*, cuius Eidyllia passim appellatione Βουκολικῶν, nonnulla tamen suis etiam nominibus designantur. *Theocritus* ἐν ταῖς Φαρμακευτρίαις citatur *Eustathio* Od. Ξ. p. 554. v. 18. ἐν Ἀδωνιαζούσαις *Eust.* et *Schol.* ad *Aristoph.* Nub. v. 1128. Ecloga VII. Theocritearum vocatur Λυκίδας ἢ Θαλύσια, *Etymologo* p. 275, v. 41. Carmen XVI, inscriptum Χάριτες ἢ Ἱέρων, isto nomine laudatur apud *Hermogenem* περὶ ἰδεῶν II, c. IX. p. 452. In *Schol. Apollon. Rhod.* I, v. 1250. *Hylas* citatur; et *Hymnus in Castores* a *Schol. Aristoph.* in Plutum v. 210. Supra dicebam nuspiam etiam apud Grammaticos dictiones occurrere *Theocriti*, quae credi possent e carmine quod perierit repetitae. Duo tamen ῥήσεις citantur veluti

maturis frugibus imbres esse *triste* malum; contra *dulce satis humorem*, κακὸν οὔθασιν αὐχμόν. Qui haec verba proxime excipit, versum 58,

Ὄρνισιν δ' ὕσπλαγξ· ἀγροτέροις δὲ λίνα.

nondum mihi potui persuadere *Theocriteum* esse; tametsi legitur cum vicinis apud *Stobaeum*, et videtur designari ab *Eustathio*, ad Dionysii Perieg. v. 121. e *Theocrito* rarissimum usum dictionis ὕσπληγξ, de *laqueo* positae, commemorante. Minime autem *Theocrito* adscripserim, quae proxime sequuntur, ita conflata, ut nihil minus conficiant quam versus bucolicos: sunt autem haec:

— ὦ πάτερ, ὦ Ζεῦ,
Οὐ μόνος ἠράσθην· καὶ τὺ γυναικοφίλας.
Ταῦτα μὲν ὦν δι' ἀμοιβαίων οἱ παῖδες ἄεισαν.
Τὰν πυμάταν δ' ᾠδὰν οὕτως ἐξᾶρχε Μενάλκας.

Quosvis hercle indices in hac re non desiderem; verum Tu, *Roevere*, qui *Theocrito* sis adsuetus eiusque dulcedini in versibus bucolicis pangendis artificiosae, mecum offenderis duro sono, et ingrato tot spondeorum concursu, in versibus 61 et 62. aliisque, veluti in v. 48.

Χὠ τὰς βῶς βόσκων, χ' αἱ βόες αὐότεραι.

Si contuleris huius carminis v. 31 et 32. fontem detegeres, quo versus 61 et 62. mutatos derivaverit poetaster. Sed ne illa quidem, quae antecedunt,

— ὦ πάτερ, ὦ Ζεῦ,
Οὐ μόνος ἠράσθην· καὶ τὺ γυναικοφίλας.

huic sedi conveniunt, aut a *Theocrito* videntur profecta; hoc iudicium dum forte miraris, noli tamen credere, eum esse me, cui sententia fuisset displicitura, si suo loco legeretur verbis paulo diversis expressa. Potuit certe iuvenis amator exemplo Iovis se tueri, et, si puellam astu aggrederetur, culpae tamen suae hoc argumento, sicuti Terentianus ille,

Deum praetexere; si ita fecisse legitur, *qui templa coeli summa nutu concutit; Ego homuncio hoc non fecerim?* In *Sophoclis* Phaedra nutrix forte dixerat Hippolyto,

"Ερως γὰρ ἄνδρας οὐ μόνους ἐπέρχεται,

quaeque sequuntur apud *Stobaeum* Tit. LXI. p. 388. v. 23. Si censeas ista potius *Euripidi* tribuenda, quibus illud firmari possit, dabit *Gatakerus*, A. M. P. c. X, p. 507. Sunt in eamdem sententiam plura. Nunc respice, quaeso, *Callimachi* Epigr. LVI. Cum Phrygis meminisset, qui Iovi stabat a cyathis, subdit,

— οὐράνιε Ζεῦ,
Καὶ σύ ποτ' ἠράσθης.

Suspicor equidem, ex his Callimacheis nostrum locum efformasse hominem minime poeticum; qui vocem γυναικοφίλας in alio legerat epigrammate Dorico, quod ad *Suidam* in v. Ἀκοστήσας vulgavit *Kusterus.* Quae quidem certe hoc in loco fulgent, ὦ πάτερ, ὦ Ζεῦ, Οὐ μόνος ἠράσθην καὶ σὺ γυναικοφίλας· a vate amatore fuissent tornata limatius: nam

— ψυχῆς ἐστιν ἔρως ἀκόνη,

concinit *Alpheus Mitylenaeus* in epigrammate, quod nondum editum, haec scribenti obversatur. In *Plutarchi* Erotico, p. 762. B. pervenustum legitur dictum:

— Ποιητὴν δ' ἄρα
"Ερως διδάσκει, κἂν ἄμουσος ᾖ τὸ πρίν.
Amor Poëtam vel facit, vel invenit.

In eadem ῥήσει apud *Plutarchum*, eodem Vol. II. p. 622. C. pro Ποιητὴν mendose legebatur Μουσικήν. *R. Bentleius*, alterius istius loci, quem indicabam, tum forte non memor, in Epist. ad *Millium* p. 21. pro Μουσικὴν reponebat: Μουσικὸν δ' ἄρα Ε. διδάσκει et locum ita, ut posui, interpretabatur.

Videri posset ista correctio levis, sed non erat exspectanda, nisi a Graeci sermonis peritissimo; nam, si non exquisita esset elegantia, haud dignam iudicasset Vir summus, quam copiose tractaret ad argumentum Pluti *Aristoph.* *Theocritus*, Poeta inprimis ἐρωτικὸς, prioris loci sententiam elegantissimis versibus expressit in primo Hyla:

Οὐχ ἁμῖν τὰ καλὰ πράτοις καλὰ φαίνεται
ἧμες,
Οἳ θνατοὶ πελάμεσθα, τὸ δ' αὔριον οὐκ
ἐσορῶμες·

et, ubi Hylam imitatur Theocriti, *M. Anton. Flaminius*: *Crede mihi, non solus amas* etc. Omnivoli Iovis, quem iste γυναικοφίλαν nuncupabat, furta haud paulo venustius attigit in epigrammate, itidem inedito, *Iulius* (MS. Ἰλίου· lego Ἰουλίου) *Leonides*:

Ὁ Ζεὺς Αἰθιόπων πάλι τέρπεται εἰλαπί-
ναισιν,
Ἢ χρυσὸς Δανάης εἵρπυσεν εἰς θαλάμους;
Θαῦμα γάρ, εἰ ——

Distichi sententia poterit e *Propertio* suppleri, pudentius de domina sua loquente, II. El. II. v. 55.

Quur haec in terris facias humana moratur?
Iupiter, ignoro pristina furta tua.

Versiculos aliquot excitavi, ut minori cum fastidio legeres sequentia. Praeter versus a me designatos sunt in hoc carmine VIII plures alii, qui mihi quidem minime videantur *Theocritei*; insunt tamen etiam genuini, et *Virgilio* lecti, quin elegantissimi; atque adeo hinc potissimum rusticae simplicitatis exempla enotavit inprimis idoneus harum rerum iudex, *Franciscus Vavassor*, in puro libello de ludicra dictione. Praeter alios, pro genuinis sine controversia habendos arbitror primos viginti quinque versus carminis, et ultimos, cum v. 82, 83, 84, sic mea opinione coniungendos:

Ἁδύ τι τὸ στόμα τοὶ καὶ ἐφίμερος, ὦ
Δάφνι, φωνά.
Κρέσσον μελπομένω τεῦ ἀκουέμεν, ἢ μέλι
λείχειν.
Λάσδεο τᾶς σύριγγος· ἐνίκησας γὰρ ἀείδων.
Κὰκ τήνω Δάφνις παρὰ ποιμέσι πρᾶτος
ἔγεντο,
Καὶ νύμφαν ἄνραβος ἐὼν ἔτι Ναΐδα γᾶμεν.

In reliquo carmine versus *Theocriti* plurimi videntur desiderari; sive defuerint exemplari vetusto, seu legi plerique minus potuerint. Eidyllium etiam nonum apparebit, paulo consideratius attendenti non una sui parte deficiens, ad scenam exornandam necessaria. Pariter hic, ut in Eidyllio octavo, duo pastores et iidem Daphnis et Menalcas ad alterius arbitratum certant cantando. Nisi obstarent nonnulla, suspicareris, unam *Theocriti* Eclogam ab homine otioso fuisse iam olim in duas distractam. Sed hoc certe (εἴγε βουλομένοις ὑμῖν ἐστι, sin minus, calculum reducam,) statuo, plures, quos legimus in octavo carmine versus alterius industriae deberi; qui Theocriteis, ut hiatum codicis suppleret, adfinis argumenti nonnullos interseruerit, nonnullis *Theocriti* huc aliunde translatis plures a se non optime tornatos adiecerit. Quis nostrum dixerit, quot versus spurii in quibuscunque Poëtis veteribus nos ludificentur? Vtinam hanc partem pertractandam sumpsisset *Bentleius*, felicissimus ille fraudum istiusmodi in *Manilio* repertor. *Theocriteis* versus spurios permixtos eo minus admirandum, quod in vetusto *Theocriti* Codice istius generis octoginta quatuor inventos evulgaverit in notis suis *Scaliger*. Ineptus eorum pater, videntur enim in eodem cerebello edolati, sex praefixerat Eidyllio XXVII; quadraginta Heraclisco; reliqui triginta et octo Eidyllio XXV supplendo inserviebant. Praeter alios

versus duros, certe bucolicorum dulcedinis expertes, pro spuriis et interpolatis in octavo Eidyllio habuerim plerosque elegiacos, inprimis autem pentametros, huic carmini intersertos, penitus ignotos vetustis Grammaticis, ubi de metro egere Bucolico: sed hi dum in versu Bucolico definiendo minime convenirent inter se; videretur autem res, quam leviter attigerat *D. Heinsius*, *Theocritum* tractanti scitu utilis; otiosus aliquando explorare coepi, cuius generis versus in pastoralibus *Theocriti* carminibus frequenter prae ceteris recurrerent: et re deliberata censui, »versum dactylicum dici debere Bucolicum, si, duobus pedibus postremis recisis, remaneret tetrameter, qui clauderetur dactylo, terminante partem orationis, atque adeo Alomanicus.« *Diomedis* et *Plotii*, qui dactylum viderunt in quarta sede requiri, verba proferri necesse non est. De versibus agens Bucolicis *Terentianus Maurus*, pro materia eleganter, ut solet, sic cecinit:

> *Plurimus hoc pollet Siculae telluris alumnus:*
> *Ne Graecum immittam versum, mutabo Latinum.*
>
> Dulce tibi pinus submurmurat, en tibi pastor,
> Proxima fonticulis, et tu quoque dulcia pangis.
>
> *Iugiter hanc legem toto prope carmine servat*
> *Noster rarus eo pastor Maro.*

Saepe tamen in *Maronis* Eclogis reperias bucolicos semet subsequentes, veluti in Ecl. II. v. 42. et sequ. Eclogae VIII. versum 7 et sex proximos: verum hoc nihil est, si ad *Siculum* nostrum spectes, qui viginti sex in Eidyllio quinto a v. 20. pangere valuerit continuos. Bucolica *Theocriti* septem priora Eidyllia una cum decimo et undecimo versibus constant *nongentis viginti septem*: inter illos 927, bucolicos, ad legem supra a me positam tornatos, reperi *undecim supra septingentos*; ut adeo in ver-

sibus *ducentis et sedecim* a carminis bucolici modulo, neque unquam temere, in novem istis Eidylliis secesserit *Theocritus.* Nunc, quaeso Te, *Virgilium* respice; in versibus *octingentis* et *triginta*, tot enim decem conficiunt Eclogas *Virgilianas*; bucolicos *Theocriteos* invenies duntaxat *ducentos triginta duo*; in quibus nimirum quartus pes, dactylus, partem orationis finiat; sed praeterea, in illis 830 *Virgilianis* versus sunt 286; in quibus quartus pes, spondeus, dictionem finiat: hos si forte volueris adnumerare Bucolicis, Bucolicos in Eclogis suis posuerat *Virgilius* 518. verum si sic indices faciendum, item de *Theocriteis* 216, non pure bucolicis, *quadraginta* Tibi erunt detrahendi; quos Bucolicorum 711 summae adiicias: habebis autem, qui sic sentiant, *Servium*, *Probum*, *Atilium Fortunatianum*, et *Marium Victorinum.* His nisi Vos elegantiarum spectatores accesseritis, mihi priorum potior videbitur habenda ratio. Bucolici versus Theocritei, nonnulli etiam in editionibus obscurati, si forte requisiveris, facile poterunt designari. Severiores diem mihi in his nugis periisse criminabuntur:

Αὐτὰρ ἐγὼν βασεῦμαι ἐμὰν ὁδόν.

Versus pentametri, quos in Eidyllio legimus octavo, in carmine *Theocriti* Bucolico non poterant sedem reperire: plerique autem dactylici, qui hos comitantur, aliique in hoc Eid. non pauci, adeo sunt invenusti, ut saepe mirer, fraudem non fuisse ab acutis hominibus detectam. Simplicitas naturae et merum rus mihi quidem in *Theocrito* nunquam displicuere; sed umbratiles non placent ineptiae. E multis unum indicium attingam, quo se prodiderit sorex. Quae hodiedum nostratibus, eadem Siculis fuit rusticis et Italicis consuetudo, ut animalia suis nominibus, potissimum a colore ductis internoscerent, et, veluti

sui essent generis, familiariter alloquerentur: apud *Theocritum* nominantur ἁ Κισσαίθα I. 151. ὁ Κυνάκων III, 5. ὁ Λέπαργος IV, 45. ὁ Λευκίτας V, 147. Vide mihi amabilem Laconis servuli simplicitatem, qui in Eidyll. V, 103. caprae cum marito paulo petulantius subsultanti, arietis alibi pascentis modestiam commendat his verbis:

Οὐκ ἀπὸ τᾶς δρυὸς οὗτος ὁ Κώναρος, ἅ τε Κυναίθα,
Ταυτεὶ βοσκασεῖσθε ποτ' ἀντολὰς, ὡς ὁ Φάλαρος.

Sic legendum puto: per τὸν Φάλαρον canem intellexit *Heinsius*, deceptus ab eo, qui in VIII. de quo agimus Eidyllio v. 27. posuerat: ὁ κύων ὁ Φάλαρος ὑλακτεῖ. Si vel aptum esset cani nomen, *Theocritus*, canis omissa mentione, scripsisset: ὁ Φάλαρος ὑλακτεῖ. ut *Virgilius*, Ecl. VIII, 107. *Hylax in limine latrat.* Praeter reliqua canum nomina memoratur *Ovid.* III. Metam. v. 224. *acutae vocis Hylactor.* Noster vero, ut versiculum fulciret, praeter morem Poëtae adiecit, ὁ κύων. Sed *Theocriteus* ille Φάλαρος *aries* fuit, non *canis.* Ecce Tibi iterum spuriorum versuum in nostro carmine architectum, qui mirificam credidit se adsequuturum simplicitatem, quum posuerat v. 65 et 66.

Ὦ Λάμπουρε κύων, οὕτω βαθὺς ὕπνος ἔχει τύ;
Οὐ χρὴ κοιμᾶσθαι βαθέως σὺν παιδὶ νέοντα.

Haeccine tamquam Theocritea placuisse *Vavassori?* Dum alterum versum edolaret, cogitabat *Homericum* illud suum: Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν. Quantam habet elegantiam οὕτω βαθὺς ὕπνος, et mox repetitum κοιμᾶσθαι βαθέως; Legerat apud *Lycophronem* (nam tenebricosa scripta summo opere mirabatur id genus hominum, in quibus docte,

scilicet! possent argutari;) *vulpeculam* dictam λαμπουρίδα: posuit itaque Ὦ λάμπουρε κύων.

Et tum mirifice sperabat se esse locutum.

Similiter in versu 86 dixit τὰν Μιτύλαν αἶγα. De singulis versibus, qui mihi quidem in hoc carmine non videntur genuini, ubi id Tibi haud displicitutum cognovero, proximis literis agam explicatius. Illud interea non illibenter intelliges; praeter versus, supra positos, alios etiam duos ex hoc carmine, sed ab editis non parum diversos, in Florilegio suo posuisse *Stobaeum*. Inspice, si placet, v. 63 et 64, quos hac ratione scriptos e *Theocriti* Bucolicis profert *Stobaeus* Tit. LXXVI. p. 455.

Φείδευ τῶν ἀρνῶν, φείδευ, λύκε, τῶν ἐρι-
φων μευ·
Μηδ' ἀδικῇς μ', ὅτι μικρὸς ἐὼν πολλοῖσιν
ὁμαρτέω.

Hos leviter mutatos Poëtae Bucolico adscripserim; *Theocrito*, an alteri, non facile dixerim: nam, quamvis huius saepe meminerim, si quis aliquando contendere voluerit, ne unicum esse in Eid. VIII. versum *Theocriti*, et genuinos *Moscho* potius attribuendos; hunc minime deterreat viri optimi, cuique in hac *Pythagoreorum* clade plurimum debemus, non contemnenda auctoritas: nam et *Moschi* Europam sub nomine *Theocriti* citat *Stobaeus*, p. 591. v. 37. et ex aliis Eclogis, quas *Heinsius* ceterique viderunt non esse *Theocriteas*, nonnulla protulit, veluti *Theocritea*; quales sunt, Ἀΐτης, Ὀαριστὺς, et Κυριοκλέπτης, sive XII, XXVII et XIX. Ex his tribus Eclogis, si calculos recte posui, nihil attulit *Eustathius* in suis ad *Homerum* commentariis, qui e singulis sedecim Eidylliis, prout in editione *Heinsiana* prostant, primis, excitavit *Theocritea*, praeterquam ex *Aite*: nihil autem, quod meminerim, e reliquis carminibus, quae in nostris

editionibus nomen praeferunt *Theocriti*, nisi ex XXII, XXIV, XXVI. et e *Fistula*. Hoc posui, *Roevere* Eruditissime, re quam diligentissime explorata; et tamen fieri facile potest, ut quidpiam omiserim, dum versabar in *Eustathio*, de *Bucolico* non magis cogitans, quam de ceteris. Ex Ecloga, de qua egimus, octava, ultimum versum ad Od. A. p. 71. v. 7. attigit Eustathius; versum autem 87.

Ἄτις ὑπὲρ κεφαλᾶς αἰεὶ τὸν ἀμολγέα πληροῖ,

non tantum respicit ad Il. O. p. 1022. v. 25. sed paene totum protulit ad Od. I. p. 349. v. 20. ut ostenderet, τὸν ποιμενικὸν γαυλὸν a *Theocrito* dictum fuisse ἀμολγέα. Verum ne *inpletum* quidem illud *mulctrale* videtur *Theocriti*, qui πέλλας noverat et γαυλὼς I, 26. v. 58. Vtrobique notaverat *Scholiasta*, *mulctralia* vulgo vocata ἀμολγέας ad priorem locum nunc perperam vulgatur ἀμολγούς. Qui carmen XXV, minime *Theocriteum*, pepigit, forte conditor carminis, quod sub nomine Megarae *Moscho* solet adscribi, v. 106. ἀμόλγιον *mulctrale* nominat. *Clitarchus* apud *Athenaeum*, ex eruditorum scriptis nuspiam ἀμολγέα memorantem, XI. p. 495. C. observat, *mulctrale*, in lingua communi ἀμολγέα, a Thessalis dictum fuisse πελλητῆρα. *Hesychius* invenerat, ut puto, in *Clitarchi* Glossario, πελλαντῆρα, quod praetulerim: qui proxime apud *Athen.* citatur *Philetas* ἐν ἀτάκτοις (mendose scribitur ἐν Ἀττικοῖς p. 467. F.) minutum quoddam *mulctrale* adnotaverat, quod diceretur Ἄμφωτις, in *Casauboni* Anim. XI. C. IV. p. 783. v. 38. Neminem autem dederis Grammaticum, qui in *Theocriteis* suis invenerit τὸν ἀμολγέα, praeter unicum *Eustathium*; de quo pace Tua pauca interseram, ab instituto non aliena. — Protulit scilicet *Eustathius* nonnulla sub nomine *Theocriti*, quae cum certe sint

Theocritea, in illis carminibus, quae ad nos pervenere, non reperiantur; neque tamen *Eustathius* deperditum videtur legisse carmen *Theocriti*, aut ullius veteris Poëtae, quod nobis nunc perierit. Credo saepe aliis evenisse, quod mihi olim accidere memini: perlustrato indice Auctorum, quos *Eust.* citat, *Hudsoniano*, in primo Vol. Bibl. Gr. *Io. Alb. Fabricii* p. 306. mirabar, seculo XII. tantum bonarum rerum superfuisse: videbam passim decantari diffusam *Eustathii* lectionem, et *multiplicem doctrinae copiam*, non a laudatoribus duntaxat, sed et ab iis, qui scribunt cogitate, nuper valde celebratam ab *Eustathii* interprete laborioso, *Alexandro Polito* Florentino: sed, re explorata, collaudare coepi utilissimam viri optimi diligentiam; prior autem ista persuasio indies minuebatur; inprimis postquam pervenissem ad cubilia, in quibus pleraque invenerat *Eustathius*. Tandem credidi, e centenis, quorum testimoniis utitur, legisse paucissimos, et praeter Grammaticorum scripta nihil adeo, quod ad nos non pervenerit. Centenos dicebam citatos; et nominantur profecto plurimi praeter illos, quos in indicem retulerat *Hudsonus*; quales sunt: *Aeschines*, *Anaxagoras*, *Anicetus*, *Anticlides*, *Aristias*, *Artemidorus*, *Artemo Milesius*, *Automedes Mycenaeus*, ceterique magno numero. Inter centenos istos Auctores, Comici citantur, praeter *Aristophanem*, triginta aut etiam plures; certe sequentes: *Alexis*, *Amphis*, *Anaxandrides*, *Anaxilas*, *Antiphanes*, *Araros*, (Ἀραρὼς, sic enim scribendum pro ἀραρὸς, ad Il. Σ. p. 1209. v. 1. non *Aratus*, quae inconsiderata erat nonneminis coniectura: quatuor versiculis, quos ibi profert *Eust.* ex *Athenaeo*, hic index praefigitur apud *Athen.* XI. p. 471. E. Ἀραρὼς ἢ Εὔβουλος ἐν Καμπυλίωνι.) *Aristias*, (ad Il. Ο. p. 1020. v. 57. senarius apud *Eust.* et in

Epitome *Athenaei* II. p. 60. B. minus emendate scriptus sic erat reficiendus:

Μύκαισι δ' ὠρέχθει τὸ λάϊνον πέδον.

Aristiam Comicum fuisse ante *Fabricium* ostenderat Th. *Gatakerus*, A. M. P. cap. V. p. 452. D.) *Archippus*, *Cratinus*, *Diocles*, *Diphilus*, *Ephippus*, *Epicharmus*, *Eubulus*, *Eupolis*, *Heraclides*, (ad Od. Δ. p. 144. v. 46. ex *Athenaeo* XII. p. 532. E. qui ne ipse quidem *Heraclidae* legerat comoediam, ῥῆσιν ibi depositam repetens, ut arbitror, e *Theopompo* historico.) *Hermippus*, *Menander*, *Menecrates*, *Mnesimachus*, *Nicostratus*, *Pherecrates*, *Philemon*, *Philippides*, *Philyllius*, *Phrynichus*, *Plato*, *Strattis*, *Teleclides*, *Theopompus*, *Xenarchus*. Qui tot Comicos, plerosque satis frequenter, laudat, nullam tamen legerat Comoediam, sive Tragoediam, quae perierit. Ex hoc specimine poterit de reliquis iudicari. Comicorum istorum verba pleraque descripsit *Eustathius* ex *Athenaeo*, qui solus praeterea quorumvis Auctorum loca, et alia centena ipsi subministravit. Diligens *Herodoti* lector, Geographica hausit e *Strabone* et e *Stephano Byzantino*, in quo diversis adpellationibus designando pariter ludit, ut in *Archestrati* carmine. *Athenaeus*. His adde *Apionis* et *Herodori* in Iliada, aliorumque vetustissima in utrumque Poëma scholia; copiosa *Aelii Dionysii*, *Pausaniae* et aliorum aliquot Lexica; perpaucorum Technicorum, *Heraclidae Alexandrini*, et *Herodiani* scripta; fontes habebis, quibus solis longe maximam commentariorum partem derivaverit. Sed Poëtas superstites plerosque legerat diligentissime; et e deperditis quorundam carminibus, quae repererat apud Grammaticos, fragmenta profert, quae frustra quaererenus alibi: saepe numero etiam melioribus Poëtarum codicibus usus, eas indidem depromit lectio-

nes, quibus ingeniosissimus non esset excogitandis. Vt, in orbem redeam, versum et hemistichium e *Theocriti* Berenice, carmine deperdito, protulit *Eust.* ad Il. II. p. 1088. v. 12. verum haec et reliqua, quae ibi leguntur, ex *Athenaeo* non nominato transcripserat. Quinque versus e Berenice *Theocriti* custodivit *Athenaeus* VII, p. 284. A. quos ita emendatos descripsere *Scaliger*, *Casaubonus* et *Heinsius*, ut tamen eorum primum,

Καί τις ἀνὴρ αἰτεῖται ἐπαγρεσύνην τε καὶ ὄλβον,

pace magnorum virorum sic omnino corrigendum censeam:

Κεἴ τις ἀνὴρ αἰτεῖτ' εὐαγρεσύνην τε καὶ ὄλβον

Ἐξ ἁλός.

Pervulgata sunt εὐαγρεῖν et εὐαγρία· εὐάγρίην — ἐξ ἁλὸς dixit *Alpheus Mityl.* Anthol. VI, c. XI. ep. 15. Qui εὐαγρεσύναν mecum receperit in versum *Theocriti*, haud sane metuitur αἰτεῖται. Nusquam alibi memini me legere citatum a Grammatico deperditum carmen *Theocriti*, cuius Eidyllia passim appellatione Βουκολικῶν, nonnulla tamen suis etiam nominibus designantur. *Theocritus* ἐν ταῖς Φαρμακευτρίαις citatur *Eustathio* Od. Ξ. p. 554. v. 18. ἐν Ἀδωνιαζούσαις *Eust.* et *Schol.* ad *Aristoph.* Nub. v. 1128. Ecloga VII. Theocritearum vocatur Λυκίδας ἢ Θαλύσια, *Etymologo* p. 275, v. 41. Carmen XVI, inscriptum Χάριτες ἢ Ἱέρων, isto nomine laudatur apud *Hermogenem* περὶ ἰδεῶν II, c. IX. p. 452. In *Schol. Apollon. Rhod.* I, v. 1250. *Hylas* citatur; et *Hymnus in Castores* a *Schol. Aristoph.* in Plutum v. 210. Supra dicebam nusquam etiam apud Grammaticos dictiones occurrere *Theocriti*, quae credi possent e carmine quod periérit repetitae. Duo tamen ῥήσεις citantur veluti

Theocriteae, quae certe non leguntur in ullo carminum *Theocriti*: earum prima sic poterat concinnari,

ἀμφιφορεὺς νεοτευχής.

altera sic prostat:

Ποιηταὶ δὲ λόγων χλωρῶν.

Evincam neutram ῥῆσιν, non tantum non a *Theocrito*, sed nec ab ullo Poëta profectam. Versus est *Aristophanis* in Acharn. 218,

Νῦν δ' ἐπειδὴ στεῤῥὸν ἤδη τοὐμὸν ἀντικνήμιον

ad istum versum hoc legitur Scholion: Στεῤῥὸν, σκληρόν· ἀντὶ τοῦ γεγηρακὸς καὶ αὖον. ὥσπερ κατὰ ἀντίθεσιν ἐπὶ τῶν ἀκμαζόντων, χλωρόν. Θεόκριτος, Ποιηταὶ δὲ λόγων χλωρῶν, ἀντὶ τοῦ ἀκμαίων, νέων. Itaque novum, si Musis placet, adipiscemur *Theocriti* hemistichium,

Ποιηταὶ δὲ λόγων χλωρῶν,

Amaranto, *Munato*, ceterisque, qui in *Theocrito* illustrando se exercuerant, prorsus, sat scio, inauditum: et haec sine dubio fuerit ista e *Theocrito* χρῆσις, quam nuspiam se legisse meminerat *Heinsius*, dum in ultimo Lectionum *Theocr.* capite versaretur. Sed nec *Scholiasten* ista legisse patuisset *Heinsio*, si easdem literas pro suo iure paulo aliter collocasset, ποιητ αι δὲλ ο γων χλωρων. Verum apage mihi istas inanias, et earum loco depone exquisitam formulam, qua carmen suum XIV claudit *Theocritus*, Dorice scriptam:

—— ποιῆν τι δεῖ ὧς γόνυ χλωρόν.

Et alibi *Poëtae* alienum locum occupant; et est mihi gravissimi scriptoris locus ad manum, in quo a librariis callidi saepe nebulones Ͽῦται memoramur, cum ποιηταὶ poni debuissent. *Horatii genua virentia* et γόνυ χλωρὸν compararunt *Lambinus* et *Casaubonus*; neuter vero monuit integram loquendi formulam *Theocriti* felicissime fuisse ab *Horatio*

expressam his verbis, eodem sensu positis, in Epod. XIII. v. 3 et 4:

> *rapiamus, amice,*
> *Occasionem de die, dum virent genua.*

Scholiastae verba facile nunc poterunt ad sinceram lectionem accommodari; scripserat enim sine dubio: Θεόκριτος, ποιῆν τι δεῖ οἷς γόνυ χλωρόν· ἀντὶ τοῦ ἀκμαῖον καὶ νέον. Dictiones Theocriteas, in suo codice forte iam mendosas (ποιῆν τι δεῖ οἷς) non attigit *Suidas* in v. Στεῤῥὸν ἀντικνήμιον, ubi reliqua Scholiastae verba descripsit. *Kustero, Suidam* et *Aristophanem* tractanti, *Theocriti* versus non fuit ad manum, e quo χλωρὸν γόνυ tribus in locis protulit *Eustathius* ad *Hom.* Il. K. p. 736. v. 13. Il. Φ. p. 1225. v. 13. et Od. I. p. 335. v. 37. Ista correctio, momenti, si quis ita velit, perparvi, non tamen videbitur nullius. Nuper alibi loquorum edidere *Theocritum* τὴν θείαν γραφὴν *illustrantem.* Poterat forte tandem oriri, qui Ποιητὰς λόγων χλωρῶν interpretaretur *Poëtas carminum iuvenilium*, et ad illud suum figmentum, praeter alia laboriose congesta, *Phavorini Camertis*, cuius grandi Lexico sine magno detrimento careremus, advocaret auctoritatem, χλωροὺς λόγους e corrupta scholii lectione commemorantis. Sed videamus an alterum illud,

> ἀμφιφορεὺς νεοτευχής,

simili possit modo profligari. In Etymologico M. p. 93, v. 20. haec leguntur: Ἀμφορεὺς, τὸ ἑκατέρωθεν ἰδίωτον σταμνίον, ὥς φησι Θεόκριτος, Ἀμφορεὺς νεοτευχής. Hoc certe locum non potuit in versu bucolico reperire, sed si voci Ἀμφορεὺς formam induas veterem et Heroici carminis Poëtis usitatam, nihil prima specie videtur obstare, quominus crederemus cum *Fred. Sylburgio, Theocritum* scripsisse,

— ἀμφιφορεὺς νεοτευχής, sive potius, — νεοτευχέα ἀμφιφορῆα. Verum planissime possum adfirmare, neutrum esse Theocriteum, praeterea veterem Grammaticum, pro ἀμφορεὺς νεοτευχὴς, olim posuisse Ἀμφῶες νεοτευχές. Hoc erat *Theocriti*, pastoralis poculi descriptionem ordientis paene nimis luxuriantem, in Eid. I, 28. Ibi βαθὺ κισσύβιον laudat,

Ἀμφῶες, νεοτευχὲς, ἔτι γλυφάνοιο ποτόσδον.

non temere suum illud capacius κισσύβιον eo etiam commendans, quod fuerit Ἀμφῶες: nam vulgo rusticorum iste scyphus parvulus erat et μόνωτον ποτήριον, uti tradit *Philemon* Gramm. apud *Athen.* XI, p. 467. qualis Κώθων Spartanorum, si vitam spectes domesticam, rustica simplicitate viventium, de quo cum notaret *Io. Meursius*, illud tamen non animadverterat, in verbis *Polemonis* apud *Athen.* p. 484. C. pro κώθωνα μόνον τὸν ῥαβδωτὸν, legendum esse κώθωνα μόνωτον ῥαβδωτόν. Duabus auribus insigne poculum, vulgo Ἀμφωτον, *Theocriti* dixit Ἀμφῶες. Nunc audi quaeso *Etymologum*, sic scribentem in v. Οὖας p. 639. v. 1. Ὦας ἀπὸ οὖς καὶ κατὰ Δωριεῖς ὥς. τὸ δὲ, Ἀμφῶες νεοτευχὲς, παρὰ Θεοκρίτῳ γίνεται οὕτως. ceteris non indigemus, cum illa satis ostendant eadem *Theocriti* verba olim fuisse lecta in altera nota, hoc modo restituenda: Ἀμφορεὺς, τὸ ἑκατέρωθεν δίωτον σταμνίον· ὅπερ φησὶ Θεόκριτος, Ἀμφῶες νεοτευχές. Rectius dixisset τὸ ἑκατέρωθεν ὦτα ἔχον, sed similiter legitur in *Cyrilli* Lexico, cuius haec est in libro Leidensi nota: Ἀμφορεὺς, τὸ ἑκατέρωθεν δίωτον σταμνίον· ξεστῶν κδ' ἢ ἀσκίον. Amphora Romana, ab Attica diversa, cum sextarios ceperit octo et quadraginta, videtur *Cyrillus* cogitasse τὸ ἡμιαμφόριον. Sed dixeram daturum me

nonnulla in *Theocritum* observata. Huius elegantissimum et vere bucolicum Eidyllium tertium saepius lectum obsecro Te ut nunc tamen relegas: carmen est amatoris despecti, vehementi cum affectu decantatum a comaste ante antrum Amaryllidis, eius rei gratia, ut, si pote, superbientis dominae fastidia minueret, eamque ad amorem sui flecteret. Nunc vide quaeso, potuerimne a *Theocrito* poni versus 19 et 20.

Νύμφα, πρόσπτυξαί με τὸν αἰπόλον, ὥς τυ φιλάσω·
Ἔστι καὶ ἐν κενεοῖσι φιλάμασιν ἁδέα τέρψις.

sequitur illico,

Τὸν στέφανον τῖλαί με κατ' αὐτίκα λεπτὰ ποιησεῖς.

Qui legitur in Eid. octavo versus 77, est in Eid. IX. 7. et hinc fuit in alterum locum translatus; idem iudico de v. 20. Eid. III.

Ἔστι καὶ ἐν κενεοῖσι φιλάμασιν ἁδέα τέρψις,

is e Carmine XXVII repetitus, et in nostro, mea certe sententia, fuit depositus in locum Theocritei, qui legi non potuerit. Sed nec priora huic sedi congruunt. Stabat comastes ante fores Amaryllidis clausas; videre tantum dominam desiderabat, v. 37.

Ἄλλεται ὀφθαλμός μευ ὁ δεξιός· ἆρά γ' ἰδησῶ
Αὐτάν;

Si dixisset nostro in loco: Νύμφα, πρόσπτυξαί με, non utique se αἰπόλον nuncupasset, quasi vero isthac adpellatione formosae se redderet Amaryllidi, caprarii et nomen et foetorem fastidiendi, commendabilem: ubi praecesserat πρόσπτυξαί με, sequi non poterat ὥς τυ φιλάσω, mitto reliqua: tandem *despiciendi* notio nostro loco tantum convenit. Hae rationes effecerunt ut credam, et hoc minus dubi-

tanter, intermedia quaedam *Theocriti* deesse; verbum autem vulgatum sic emendari debere,

Νύμφα, προσφθύσδες με τὸν αἰπόλον. . . .
. . . .
Τὸν στέφανον τιλαί με κατ' αὐτίκα λεπτὰ
ποιησεῖς.
me: caprarium despicis: supra, vide;
ἤ ῥά με μισεῖς;
Ἦ ῥά γέ τοι σιμὸς καταφαίνομαι ἐγγύθεν
ἦμεν,
Νύμφα, καὶ προγένειος; ἀπάγξασθαί με
ποιήσεις.

Illud Προσφθύσδες pro vulgari προσπτύεις poni potuit, more *Theocriti*, qui in Eid. II. v. 62. scripsit

Καὶ λέγ' ἐπιφθύσδοισα, τὰ Δέλφιος ὀστέα
πάσσω.

atque illud etiam adhibuit VII, 127. *Eustathius* ad Od. A. p. 22. v. 9. τὸ παρὰ Θεοκρίτῳ Ἐπιφθύσδειν ἀντὶ τοῦ ἐπιπτύειν γοητευτικῶς. Haec loca *Theocriti Virgilio* obversabantur in Ecl. II,

Despectus tibi sum, nec qui sim quaeris,
Alexi.

Amatorum autem, qui fuerant decepti, carmina continentur *Calpurnii* Ecloga tertia, quarta *Nemesiani, Virgilii* secunda, et octavae parte priori, quam v. 16.

Incumbens tereti Damon sic coepit olivae

Theocritus dixerat Eid. III, 38.

— ἀσεῦμαι ποτὶ τὰν πίτυν ὧδ' ἀποκλινθείς.

In duabus istis Eclogis *Virgilius*, semper inimitabilis, Theocriteas ejusdem argumenti expressit secundam, tertiam et undecimam. Quando fortasse loci Theocritei ex Eidyllio tertio nimia videtur ista mutatio, minuta quaedam consectabor in quinto carmine; sic jurat Lacon, v. 14.

Οὔ μὰν, οὐ τὸν Πᾶνα τὸν ἄκτιον, οὔ σέ γε Λάκων

Τὰν βαίταν ἀπέδυσ' ὁ Καλαίθιδος.

sic certe corrigendum censeo pro vulgatis,

Οὔ μ' αὐτὸν τὸν Πᾶνα τὸν ἄκτιον —

et formulam iurantium usitatam, οὐ μά, ab hoc loco alienam arbitror. Theocriteae sunt formulae: οὐ δᾶν, IV, 17. et VII, 39. οὐ νύμφας, IV, 29. οὐ τὸν ἐμὸν τὸν ἕνα γλυκύν, VI, 22. Recte, inquies, sed qui carmen XXVII, non Theocriteum, elegantissimum tamen, habes in numerato, istius mihi carminis v. 35. excitabis,

Οὐ μ' αὐτὸν τὸν Πᾶνα.

Suspicor huius versus memorem quempiam nostrum iam olim corrupisse. Hoc in loco scribere quidem potuisset Poëta, αὐτὸν τὸν Πᾶνα, sed Pana, quem peculiari designabat *litoralis*, ἀκτίου, nomine, non sane dixisset in eodem versu αὐτόν. Praeterea triplex requiri videtur negatio; quod et Tibi apparebit, Comatae et Laconis, sibi invicem acerbe respondentium, concertationem consideranti: ex emendatione mea triplici negatione dicta firmaverat Lacon; οὐ toties repetitum adhibet Comatas v. 17. et 19.

Οὐ, μὰ, οὐ ταύτας τὰς λιμνάδας, ὠγαθέ, Νύμφας,

Οὔ τευ τὰν σύριγγα λαθὼν ἔκλεψε Κομάτας.

Hoc in loco, pro οὔτ' αὐτὰς, posui οὐ ταύτας, ne litera quidem mutata; et in hoc carmine multa, quamvis in tertio plura, pendent ab actione. Comatam, dum dicebat,

οὐ ταύτας τὰς λιμνάδας —

digito monstrasse suspicor proximam Nympharum domum, sive sacellum, aut certe

Νυμφέων ποιμενικὰ ξόανα.

quae *Leonidas* **memorat Tarentinus in epigrammate:**

sed sacellum, ne me vanum putes coniectorem, *Virgilius* respexit, dum tractabat hunc locum Ecl. III, 9.

Novimus et qui te
Et quo (sed faciles Nymphae risere) sacello.

Ad eiusdem Eidyllii quinti versum 109,

Μή μευ λωβάσησθε τὰς ἀμπέλος· ἐντὶ γὰρ ἆβαι.

haec leguntur in Scholiis: τετραχῶς καὶ τοῦτο γράφεται ἐν τοῖς παρ᾽ ἡμῖν ἀντιγράφοις: quae, nisi fallor, verba sunt *Zachariae Calliergi*, varias Codicum suorum lectiones passim notis veterum Grammaticorum interserentis: ea verba haec proxime excipiunt: οἷον ἆβαι, ἀντὶ τοῦ ἡβῶσαι καὶ ἀκμάζουσαι. Sed sola vox ἆβαι, sive quamcunque substituas dissyllabam, nunquam poterit istam admittere significationem. Videtur Grammaticus in isto versu legisse

— — ἐντὶ παρ᾽ ἄβᾳ.

ἄμπελοι παρ᾽ ἄβᾳ), dici potuerunt ἡβῶσαι καὶ ἀκμάζουσαι, a veteri Grammatico, qui moris meminerat scribendi, quo praepositiones eleganter adhibere solet *Theocritus*, quemque variis in locis attigit *Heinsius*. Idem *Callergus* voculam e Codicibus suis subministrat Laconicam, certe Doricam, et in quatuor huius Eidyllii locis reponendam: ubi Laconi loquitur v. 32.

Τᾷδ᾽ ὑπὸ τὰν κότινον καὶ τἄλσεα ταῦτα καθίξας.

haec prostat nota: τὸ τᾷδε ἐν ἄλλοις ἀντιγράφοις γράφεται Τεῖδε, ἀντὶ τοῦ ἐνταῦθα, Δωρικῶς. ubi communis forma τῇδε legitur in contextu v. 118. notatur: γράφεται καὶ Τεῖδε. Nusquam alibi putem a *Theocrito* hanc voculam usurpatam, quam istis in locis, et v. 50. et 67. omnino restituendam censeo. Loquuntur hoc in carmine

Lacon et Comatas, greges heriles agitantes in fertilibus campis Thurios inter et Sybarin; in argumento Comatas servus fuisse dicitur Εὐμάρα τοῦ Συβαρίτα, Lacon autem Θουρίου Συβαρίτα: in Scholiis legitur Θουρίου Συβαρίτου. itaque hero Laconis nomen fuerit *Thurii?* haud opinor: scripserat, certe scribere debuerat Grammaticus: ὁ ποιμὴν Λάκων Συβάρτα τοῦ Θουρίου νέμει τὰ θρέμματα. Audi Comatam ore *Theocriti* loquentem v. 72.

Ἅδε τοι ἁ ποίμνα τῶ Θουρίω ἐστὶ Συβάρτα·
Εὐμάρα δὲ τὰς αἶγας ὁρῇς, φίλε, τῶ Συβαρίτα.

erant enim hac certe tempestate Thurii a Sybaritis diversi. Servulus autem Lacon, ex agro natali fuerat, ut puto, in haec loca *Lacedaemonium* ve *Tarentum* deportatus: id ut credam, nomen facit servile *Lacon*, a parentibus homini non magis inditum, quam illud *Iapygis*, puero, in versu *Antiphanis* memorato apud *Athen.* X. p. 423. E.

Ὁ δεῖν', Ἰάπυξ, κέρασον εὐζωρέστερον.

De istiusmodi nominibus Te non praetereunt, quae notarunt *Henr. Stephanus* in Append. de Dial. Att. p. 205. et *Tib. Hemsterhusius* ad *Luciani* Timon. p. 152, 153. et ad argumentum Pluti *Aristoph.* Haec quo spectent iam praecepisti. et alibi saepenumero Laconem more suae gentis loquentem facit *Theocritus*, et hanc etiam voculam censeo fuisse Laconicam, unica litera auctiorem, quam forma fuit vetus, antequam litera Ionica reciperetur in usum, omnibus communis, Τεῖδε. Veteris scribendi consuetudinis vestigia remanserunt in istiusmodi voculis Doricis nonnullis; quales sunt τηνεὶ, ταυτεὶ, τεῖ, quae ad normam recentiorem scribi debuerant τήνῃ, ταύτῃ, τῇ. Vererer equidem, ne haec talia levia diceres, neque satis digna quae

Tecum communicarentur, nisi nossem quanto opere iis omnibus delecteris, quae faciunt ad veterum monumentorum intellectum. Igitur, Te non nolente, pergam in instituto, quanquam ista dissertationi potius quam epistolae conveniant. Nisi praefe-ras Τεῖνδε, certe Τεῖδε apud *Hesychium*, ubi vulgatur Τῆδε, ἐνθάδε. reponi debere monstrat literarum series, non raro sincerae lectionis, frequenter etiam errorum *Hesychii* fidelis index. In eodem libro legitur adnotatio memoratu dignissima; Τί δαί, τί γὰρ ἄλλο, ἢ τί γάρ; Κρῆτες, Βοιωτοὶ δὲ ἐνθάδε· Ἀττικοί, διατὶ δή. Tibi, qui minimum vicies apud *Aristophanem* legeris τί δαί; quod scribit de Atticis non poterat novum videri; ut interea tamen centenis permirum fuerit visum, quod ait, Boeotos τί δαὶ posuisse pro ἐνθάδε. Si cupis Boeotum audire sua loquentem dialecto, prodeat ex *Aristophanis* Acharn. v. 912.

— τί δαὶ κακὸν παθὼν

Ὀρναπετίοισι πόλεμον ἦρω καὶ μάχαν;

Viden', adeo sermone et ingenio dissonos a vicinis Atticis hac tamen in formula non discrepasse. Quid itaque nobis narrat *Hesychius*? Credo, antiquum obtinet, diversissima, sed eodem ferme sono pronuntiata, τί δαί, et τεῖδε, male permiscendo. Possent autem a ceteris seiungi, Τεῖδε, ἐνθάδε Κρῆτες καὶ Βοιωτοί. quanquam et illi Τυῖδε dixerint. *Hesychius*: Τυῖ, ὧδε· Κρῆτες. et, Τυῖδε, ἐνταῦθα Αἰολεῖς. ita enim *Fulv. Ursinus* et *Is. Vossius* recte scripserunt pro Τύδαι. Proderit illud huic glossae reficiendae, quae legitur infra: Χίδαι, ἀντὶ τοῦ Κρῆτες· ego quidem libenter correxerim *Hesychii* peccatum, reponendo Τεῖδε, sive Τυῖδε, ἀντὶ τοῦ ὧδε Κρῆτες· ista duo tantum distant, quantum vulgata τῆδε et τῷδε· hoc enim, ante usum literae ω, ΤΟΙΔΕ, et Aeolice, υ pro ο posito, Τυῖδε

pronuntiabatur. In *Hesychium* nosti nihil dicere me inclementius, cuius errores gravissimi ipsi *Bentleio* plurimum boni pepererint. Huius generis nonnulla commemorandi deinceps recurret occasio: nunc malo Theocritea quaedam persequi: sed ista via, qua coepi, si pergerem per singula *Theocriti* carmina, liber excresceret: nunc igitur carptim quaedam loca attrectabo, et quidem ὕστερον πρότερον. Qui superbiam ponere recusaverat, alteri nunquam non duris moribus insultans, quo modo animum vultu prodiderit, his verbis exprimitur in Carminis XXIII, v. 13, 14.

Τᾷ δὲ χολᾷ τὸ πρόσωπον ἀμείβετο· Φεῦγε δ' ἀπὸ χρώς
Ὕβριν, τᾶς ὀργᾶς περικείμενος.

Quid sententia postulet non est ad intelligendum difficile: *Ovidius*, ubi Theocritea videtur persequutus vestigia, sic cecinit XIV Metam. v. 714.

Spernit et irridet; factisque immitibus addit
Verba superba ferox.

Sed negari non potest, latere Poëtae sententiam in verbis perverse scriptis:

Ὕβριν τᾶς ὀργᾶς περικείμενος.

Is, quem Tu facile coniectando adsequeris, hunc mihi locum aliquando commendavit, in quo vires periclitarer. Huius monitu animosum primo tentamine partem veritatis credo me detexisse: corrigebam autem:

— Φεῦγε δ' ἀπὸ πρὸ
Ὑβρίκτας, ὀργὰν περιειμένος.

Ille Noster, rogatus a me, quid de hac coniectura sentiret, correctionem sibi placere humanissimis verbis rescripsit, ita tamen, ut vulgatis ἀπὸ χρὼς eam maluerit accommodari, scribendo: Ὑβρίκτᾳ, ὀργὰν περιειμένῳ, ipsum illum *vocalium concursum virtutis aliquid habere* verissime iudicans. Nunc

Tu haud censebis dubitandum, quin egregium locum facili medicina refecerimus, atque adeo quin scripserit *Theocritus*:

Τᾷ δὲ χολᾷ τὸ πρόσωπον ἀμείβετο· φεῦγε δ' ἀπὸ χρώς
Ὑβρίκτα, ὀργὰν περιειμένα.

Illud ὀργὰν περιειμένος ex Homerico ἀναιδείην ἐπιειμένε similibusve graviter expressum. Qui vulgo ὑβριστὴς, Dorice dicebatur Ὑβρίκτας: huiusmodi a Doricis formis in ἴσσω et ἄσσω, vel ἴσδω et ἄσδω, derivata leguntur apud Theocritum Μελίκτας, IV, 30. Συρίκτας, VII, 28. et pro βουκολιαστὰς reponendum Βωκολιάκτας in Eid. V, 68. His accedant duo significationis adfinis Φορμίκτας et Μουσίκτας quorum illud in *Pindari* Pyth. IV, 313, et in *Bianoris* epigr. Anthol. I, c. XL. 6. Μουσίκτας apud *Hesychium*. Huius Lexicon plurima subministrat similia, eo diligentius adnotanda, quod eorum ratio viris Doctissimis saepenumero non satis fuerit perspecta. *Ovidii* versus supra positos excipiunt sequentia:

Non tulit inpatiens longi tormenta doloris
Iphis; et ante fores haec verba novissima dixit.

Vincis, Anaxarete.

Paene convertit Theocritea in hoc carmine XXIII. 16.

Λοίσθιον οὐκ ἤνεικε τὰ σύμφορα τᾶς Κυθερείας,
Ἀλλ' ἐνθὼν ἔκλαιε ποτὶ στυγνοῖσι μελάθροις.

Verum negabis Poëtam scripsisse τὰ σύμφορα τᾶς Κυθερείας. Quid si corrigeremus

Λοίσθιον οὐκ ἤνεικε τὰ πυρφόρα τᾶς Κυθερείας·

τὰ πυρφόρα, nempe βέλη, tela sunt Veneris igni-

fena, quae supra v. 6. dixerat πικρὰ βέλη. Cyclops, Eid. XI, 15.

ἔχθιστον ἔχων ὑποκάρδιον ἕλκος
Κύπριδος ἐκ μεγάλας, τό οἱ ἥπατι πᾶξε
βέλεμνον,

nostro hac in parte non fuit dissimilis, nisi quod ille cantillando fallere valuerit amorem Galateae, cum hic contra non tulerit *longi tormenta doloris.* Cupidinis arma, quae πυρὶ πάντα βέβαπται, Veneri saepe tribui pernosti. Venustum hanc in rem epigramma 193, L. VII. Antholog. tanquam ineditum descripserat *Scaliger* e Codice MS. Cupidinis πυρφόρος ἰοδόκη *Alcaeo* celebratur Epigrammatographo, Anthol. IV, c. XII. ep. 45, et quamvis fortissimus captus fuisse dicitur Achilles πυρφόρων — ἴυγγι τόξων, *Lycophroni*, v. 309, 310. Nec tamen istam coniecturam temere tanquam veram venditaverim. Lubet aliam eiusdem generis subtexere, ut Te saltem excitem ad veritatem investigandam. Quoniam cum hoc carmine habet aliquam adfinitatem Hylas *Theocriti*, huius Eidyllii XIII tentemus versum 64, ita vulgatum:

Ἡρακλέης τοιοῦτος ἐν ἀτρίπτοισιν ἀκάνθαις
Παῖδα ποθῶν δεδόνατο.

Non ignoro, *Valerium Flaccum*, cuius aliquot loca, in ultimis quas ad me dedisti literis, commode sanasti, de Hercule ob Hylam aestuante sic cecinisse, ut videri posset non ab *Apollonio* tantum, sed et a *Theocrito* nonnulla mutuatus III, 581.

volucri ceu pectora tactus asilo
Emicuit Calabris taurus per confraga septis,
Obvia quaeque ruens: tali se concitat ardens
In iuga senta fuga.

Forte quis *iuga senta* censeat comparari posse cum istis ἀτρίπτοισιν ἀκάνθαις, quae mihi quidem non placent. Novi, qui coniecerit aliquando, legendum,

ἐν ἀτρίπτοισιν ἀταρποῖς hoc si genuinum videtur, cui debeatur, indicabo. Interea ponam, quid mihi inciderit; sed ante efficiam, ut commentum verosimile appareat. Mysiam elegerant Heroes Argoae navi stationem; subierat illa τὸν Κιανὸν κόλπον, *Scylaci* memoratum p. 35. Oppidi vicini cives et fluvii cognominis accolae dicebantur Κιανοί. Iam respice *Theocritei* carminis v. 50. et *Apollon. Rhod.* I, 1177, quo loco de Cio agentes usi sunt *Casaubon.* ad *Strabon.* XII, p. 845. et *Salmas.* in *Plin.* Exercit. p. 877. Dum in Cianorum terris se recrearent Argonautae, Thiodamanteus Hylas, Herculis minister, domino periit. Vnius *Dionysii* verba subiiciam e Perieg. v. 805.

— οὔρεα Μυσίδος αἴης,
Ἡχί περ ἱμερόεντα Κίος προΐησι ῥέεθρα.
Τοῦ ποτ' ἐπὶ προχοῇσιν Ὕλαν ἥρπαξατο Νύμφη,
Ὀτρηρὸν θεράποντα πελωρίου Ἡρακλῆος.

Hylan cum irrito labore quaesivisset in *Cianorum* terris Hercules, interposita iurisiurandi religione pollicti sunt *Ciani* (*Apollon. Rhod.* I, 1352) ab Hyla pervestigando nunquam cessaturos se; atque illud etiam festis diebus eam in rem institutis, quod e *Strabone* XII, p. 845. B. et e *Suida*, in Ὕλαν κραυγάζειν, licet aestimare, diutissime observarunt. *Apollonius Rhod.* I, 1354.

Τοὔνεκεν εἰσέτι νῦν περ Ὕλαν ἐρέουσι Κιανοί.

Istum versum turpis menda occupavit apud *Etymologum* p. 512. v. 40. Κίος — τὸ ἐθνικὸν Κιανός.

Τοὔνεκεν εἰσέτι νῦν Πάρυλαν ἐρέουσι Κιανοί.

idcirco protinus eluenda, ne quis *Parylam* comminiscatur. Nunc forte dices recte coniectasse me, et *Theocritum* pro ΑΚΑΝΘΑΙΣ scripsisse ΚΙΑΝΟΙΣ. Hoc ubi dederis, facile conficiam legendum:

Ἡρακλέης τοιοῦτος ἐν ἀτρύτοισι Κιανδίξ
Παῖδα ποθῶν δεδόνατο.

In Carmine *Theocriti* XV mirabilis est ἀφέλεια, et imago muliebris ingenii ad vivum expressa. Quum de more mulierum Praxinoae τὸ καταπτυχὲς ἐμπέρόναμα laudavisset Gorgo, roganti quantum impenderit, antequam vestem potuerit detexere, respondet illa v. 36.

Μὴ μνάσῃς, Γοργοῖ· πλέον ἀργυρίω καθαρῶ μνᾶν
Ἢ δύο· τοῖς δ' ἔργοις καὶ τὰν ψυχὰν ποτέθηκα.

Verbum vulgatum προτέθηκα litera liberavi superflua. Ἀλλ' ἀ, inquit Gorgo, Ἀλλὰ κατὰ γνώμαν ἀπέβα τοι. Tum dixisse fertur Praxinoë, Ναὶ καλὸν εἶπας. quod cum frigidum sit, ingenio certe *Theocriti* minime dignum, una tantum litera mutata, quam sensus flagitat, suam reddamus Praxinoae voculam, legendo:

Γ. Ἀλλὰ κατὰ γνώμαν ἀπέβα τοι. Π. Ναὶ καλὸν ἔμπας.

Imo vero, inquit, fateor, *est prorsus elegans*; atque ita, cum vestem iterum contrectasset, animaq, neque hercle invita, tandem adsentitur. Usitatior etiam voculae significatus, *tamen*, *nihilominus*, hic posset locum reperire: ἔμπα, ἔμπας, vel ἔμπης hoc sensu tum ab aliis, sed frequenter adhibetur a *Pindaro* et *Apollonio Rhodio*, in huius Argonauticis minimum vicies recurrens: usitatissimum ἀλλ' ὅμως dicitur ἀλλ' ἔμπης et ἀλλ' ἔμπας *Hesiodo*, *Callimacho*, *Apollonio*, sed et *Epicharmo*, et *Theocrito* X, 29. XXII, 17. priori sensu ponitur ἔμπης saepe apud *Homerum*, et in *Aeschyli* Eumen. v. 229. ubi μέγας ἔμπας, sicuti *Theocritus* dixit καλὸν ἔμπας. Deinceps laudat Praxinoë Ptolemaeum, quod praedonibus liberaverit Aegyptum, qui vias

reddiderant latrociniis infestas: ἐξ ἀπάτας κεκροταμένοι ἄνδρες isti dicuntur fuisse, v. 50.
Ἀλλάλοις ὁμαλοὶ κατὰ παίγνια, πάντες
ἔρειοι
iunge debuerant ὁμαλοὶ κακὰ παίγνια, et postremum illud ἔρειοι sine controversia mendosum est, quamvis variis modis vocem viri summi tentaverint, veritas adhucdum latet. Suspicabar *Theocritum* scripsisse:
Ἀλλάλοις ὁμαλοὶ κακὰ παίγνια, πάντες
ἔλειοι
ut designarentur *degentes in paludosis Aegypti locis*, quique absque Ptolemaeo non potuissent e secretis latibulis eliminari. Οἱ περὶ ἕλεα οἰκέοντες *Herodoto* II, c. 94. ἕλειοι sunt *Thucydidae* I, 110. Plura ad illustrandum paludosum Delta protulerunt Praeclari duumviri *Hemsterhusius* ad Plutum *Arist.* p. 54, 55, 56. et *Wesselingius* ad *Hieroclis* Synecdemum p. 726. qui *Thucydidae* locum indicavit. In istis ἕλεσι καὶ λίμναις tuta fuerunt ab ultima antiquitate latronibus Aegyptiacis receptacula. Veteres sequutus illa curatissime descripsit *Heliodorus* primo Aethiop. p. 10. ἐν τούτοις, inquit, (τοῖς ἕλεσι) ὅσον Αἰγυπτίων λῃστρικὸν πολιτεύεται et cur in illis degerent, exponit p. 11. ἱκανὴ δὲ (ita legendum) φρούριον ἰσχυρὸν εἶναι λῃσταῖς. διὸ καὶ συῤῥεῖ ἐπ' αὐτὴν ὁ τοιοῦτος βίος, τῷ μὲν ὕδατι πάντες ἅτε τείχει χρώμενοι, τὸν δὲ πολὺν κατὰ τὸ ἕλος κάλαμον ἀντὶ χαρακώματος προβεβλημένοι. verba paenultima revocant mihi in memoriam *Alexidis Samii* locum apud *Athen.* XIII. p. 572. F. Ἄλεξις ὁ Σάμιος — τὴν ἐν Σάμῳ Ἀφροδίτην, ἣν οἱ μὲν ἐν καλάμοις καλοῦσιν, οἱ δὲ ἐν Ἐλειατικαῖς φησὶν ἑταῖραι ἱδρύσαντο. ubi pro ἐν Ἐλειατικαῖς non dubitabis mecum corrigere ἐν ἕλει, Ἀττικαὶ φησὶν, ἑταῖραι ἱδρύσαντο. Periclis in expeditione

comites in Samo Veneri statuam dedicaverant, quae a loco, in quo fuerat collocata, dicebatur Ἀφροδίτη ἐν καλάμοις, sive Ἀφροδίτη ἐν ἕλει. — Ptolemaei laudes in Carmine XVII ita celebrat *Theocritus*, ut a Veterum Graecorum institutis et amabili simplicitate recesserit quam longissime. Erat quidem Philadelphus ille, ut vere cecinit noster XIV, Οἱ Εὐγνώμων φιλόμουσος, — neque tamen dignus qui Principibus viris perniciosa adulatione corrumperetur. Inter adulatores, qui Alexandrum, divinos honores stulte concupiscentem, ab Aristotelis monitis quam longissime abduxerant, memoratur *Cleon*, Siculus, *non ingenii solum* (verba sunt *Curtii* VIII, 5. 8.) *sed etiam nationis vitio adulator*. Videturne de Siculorum suorum moribus aliquid traxisse *Theocritus*, quum in Carmine XVII Philadelphi parentes, Ptolemaeum Lagiden et Bereniceu, in Deorum numerum relatos multis versibus cecinerit? Lagidae coelum aperuit ea parte, ubi sedes erant Alexandro, et utriusque progenitori Herculi; Herculem eo vehementer laetatum scribit *Theocritus* v. 24.

Ὅττι σφεων Κρονίδας μελεων ἐξειλετο γῆρας,
Ἀθάνατοι δὲ καλεῦνται ἑοὶ νέποδες γεγαῶτες.

ad hanc normam locum integrandum arbitror: θεῶν νέποδες legit Il. *Scaliger* Animadv. in *Euseb.* p. 65. aliter *Casaub.* Lect. Theocrit. c. XVIII, et *Palmerius*: *Heinsio* L. Theocrit. p. 351. ἑοὶ νέποδες reponenti suffragatur *Bentleius* in *Callim.* p. 459. In altero versiculo reliquerant:

— μελέων ἐξείλετο γῆρας.

Qui in Miscell. Obs. Vol. I. p. 126. hunc versum sollicitarunt, minime audiendos censuerim: quoniam

tamen vix videtur Graece dici posse, γῆρας μελέων ἐξελέσθαι, litera mutata, reponi poterit:

Ὄττι σφέων Κρονίδας μελέων ἐξείλετο κῆρας.

Iupiter in coetum recipiendos lustravit; humanae naturae *sordes*, et quidquid erat mortale, *sustulit e membris* et expurgavit. Hercules dicitur γυῖα θεωθεὶς *Callimacho*, h. in Dian. v. 159. ubi, dum multa notabat *Spanhemius*, nostrum locum non omisit. Quando quis dicitur ἐκθεωθῆναι, ita saepenumero loquitur *Ovidius*, ut proxime accedat loquendi rationem Theocriteam: Metam. IV, 858. *abstulit illis Quod mortale fuit.* XIV, 600. *Hunc iubet Aeneae quaecunque obnoxia morti Abluere* — etc. — In Carmine XXII sponsas suam et fratris vi abducentes Dioscuros primum blanda nititur oratione ab incoepto retrahere Lynceus, eamque orationem suam his verbis claudit v. 165.

Ἀλλὰ φίλοι τοῦτον μὲν ἐάσατε πρὸς τέλος ἐλθεῖν·
Νῶϊ γάμον, σφῶν δ' ἄλλον ἐπιφραζώμεθ', ἄνακτες.

sic libenter legerim pro vulgatis: ἐπιφραζώμεθα πάντες. si quis hoc tueri voluerit, fatebitur tamen, aptius, et ad id, quod cupiebat efficere Lynceus, accommodatius esse ἄνακτες. Heroës Homerici infra *Theocrito* sunt ἄνακτες v. 214.

Ὑμῖν κῦδος ἄνακτες ἐμήσατο Χῖος ἀοιδός.

Castores autem eximie *Anaces* et Ἄνακτες. Litera ν similiter in π male fuit commutata in huius hymni v. 212. ubi pro οὐκ ἐπ' ἐλαφρίῳ, legi debet:

Οὕτω Τυνδαρίδαις πολεμιζέμεν οὐκ ἐν ἐλαφρῷ.

non in facili. Euripides in Theseo ap. *Athen.* X, p. 454. C.

— τὸ πέμπτον δ' οὐκ ἐν εὐμαρεῖ φράσαι.

arbiter elegantiarum *Theocriti* peritissimus, *D. Heinsius* Lect. Theocr. c. XXV. recte reposuerat in Eid. XXIII. 2. — ἐφάβω

Τὰν μορφὰν ἀγαθῶ, τὸν δὲ τρόπον οὐκ ἐν ὁμοίῳ.

haud ignarus in carm. XXII, 61. οὐκ ἐν ἑτοίμῳ reperiri, animum non adverterat ad versum 212. Est et alius locus Bucolici, in quo dubito an ea formula sit reponenda. Quod proximo praecedit Carmen XXI multis sane mendis est obsitum; videamus possitne una alterave tolli. Piscatorum, qui vitam aerumnosam tolerabant, cum enumerasset supellectilem, haec sequuntur in editis v. 15.

Οὐδεὶς δ' οὐ χύτραν εἶχ', οὐ κύνα· πάντα περισσὰ

Πάντ' ἐδόκει τήνας ἄγρας· πενία σφιν ἑταίρα.

Scaliger, etsi meo iudicio veram scripturam non videtur adsequutus, dubitanter corrigendo:

Πάντ' ἐδόκει τήνοις. Ἄγρα πενιάσφι ἑταίρα.

mihi tamen ad veritatis pervestigationem Viri Magni tentamen profuit; nam vix poteris ab ea me persuasione abducere, qua versiculum sic restitui posse credidi, si legeretur:

πάντα περισσὰ

Τἄλλ' ἐδόκει τήνοις· ἀγρᾶν πενίας φὰν ἑταίραν.

omnia reliqua videbantur istis supervacua: piscaturam paupertatis comitem esse dicebant vel reputabant; utroque enim modo illud φὰν *Homero* et *Apollonio* usurpatur. Plura sunt, quibus dictum posset illustrari, quae melius erit omisisse. In eiusdem carminis v. 10. mihi quidem displicuerunt τὰ φυκιόεντά τε λῶδα: sive λῷδα, arbitrabar *Theocritum* posuisse, τὰ φυκιόεντ' ἀγρηνὰ, et hoc in loco quaerendam sedem Glossae *Hesychii*, Ἀγρηνά, δίκτυα interpretantis. Hoc

si minus probes, id tamen certum est, dictiones Theocriteas reperiri plurimas apud *Hesychium*, quas alibi frustra quaeras, nonnullas etiam aliter ac in editionibus scriptas. Legitur apud *Hesychium*: Μαλλοπάραυος, λευκοπάρειος scripserat Μαλλοπάρῃος, e *Theocr.* XXVI, v. 1. ubi nostris in Edd. μαλοπάρῃος prouti etiam *Eustathius* repererat, qui ad Il. H. p. 570. v. 4. παρὰ Θεοκρίτῳ, inquit, Μαλοπάρῃος, ἡ ἁπαλοπάρῃος. — Alibi posuerat *Hesychius*: Κυριττίλος, κυριττης, πλήκτης. non aliter scripsisse puto *Theocritum* V, 147. ubi vulgatur κορυπτίλος sed altera forma est Dorica; Eid. III, 5. pro κορύψη in scriptis *Gellii* Codd. etiam in Franequerano recte legitur κορύξῃ nec non in Codd. quibusdam *Theocriti*, ut monitum fuit in Vanno Critico p. 457. Supra *Hesychius*: Ἀναίλιπος, ἀνυπόδητος. illud etiam vulgatae in Eid. IV, 56. ἀνάλιπος praetulerim, ubi enim ceteri η, Dores nonnunquam αι pronuntiabant: reperiuntur autem ἀνήλιπος, νήλιπος, et νηλίπους. *Hesychius*: Νηδύπους, ἀνυπόδετος. corrigendum Νηλίπους, e *Sophoclis* Oed. Col. v. 349. usitatior forma νήλιπος nec ab *Hesychio* praetermissa legitur apud *Apollon. Rhod.* III, 646. Hodie neminem later, quorumvis Poëtarum Veterum loca plurima ex *Hesychio* feliciter expoliri posse; quamvis paucae correctiones prodierint, qualis nobiscum fuit ab *Hesychium* in v. Ἀθραυστα communicata. Constitueram, *Roevere* Nobilissime, specimen correctionum, quae sola paene nitantur fide libri praestantissimi, huic epistolae intertexere; sed postea rectius me facturum duxi, si ista liberiori spatio committerem: istiusmodi correctiones, si non nullius sint momenti, Tu, sat scio, censebis anteponendas nonnullis Hesychianis. In Glossis autem *Hesychii*, quarum

cubilia vix ulla possint pervestigatione deprehendi, duplici via potest insisti; alteram triverunt Viri Summi non nisi a paucis calcandam, et variis difficultatibus impeditam; multo facilior est altera. Quum *Hesychium* in manus sumserim, quid velim uno specimine declarabo. Pone itaque tantisper *Theocritum*, et, ubi observati grammatici taedium devoraveris, *Hesychium* respice. Classis est nominum derivatorum, quae terminantur in θμὸς, sunt etiam plura in θμὰ, θμὴ, et θμὼν in quibus θ geminae literae σ, in τ mutatae, sedem occupavit: remanserunt in usu quotidiano, ἀριθμὸς, βαθμὸς, κλαυθμὸς, πορθμὸς, ῥυθμὸς, σταθμὸς etc. sed vulgus formas istas plerasque repudiavit. Poëtae formarum, quas olim homines triverant, studiosi, plurima huius etiam moduli versibus roborandis accommoda custodiverunt; qualia sunt animantium sonis indicandis inservientia, βρυχηθμὸς, ὀγκηθμὸς, ὠρυθμὸς, μυκηθμὸς, κνυζηθμός quorum postremum, *gannitum* notans, obvium in Odyss. II, 163. et *Apollon.* III, 885. his mendose scriptum legitur apud *Hesychium* Κυζηθμὸς, et ubi postulat literarum series Κνυζηθμός. Huius generis, praeter alia magis protrita, prostant apud *Homerum* etiam rariora, Κηληθμὸς, Ἐλκηθμὸς, Μυκηθμὸς, Ἴθμα et Εἰσίθμη apud *Hesychium* pro Ἐξίθμη, series literarum monstrat olim lectum Ἐξίσμη, quae vetus sine dubio scriptura in multis male fuit obliterata: *Bergleri* observatis ad *Alciph.* p. 88. alia possent adiungi. Inprimis formas in θμὸς frequentavit *Lycophron*, et usitatissimas dictiones κευθμὸς, κλαυθμὸς, σκαρθμὸς adhibuit; et minus usitatas ἰαυθμὸς, μηλιαυθμὸς, ἀρδηθμὸς, τεθμός. quorum paenultimum legitur et apud *Nicandrum* Ther. v. 412. ultimum nuspiam frequentius quam in odis *Pindari*, qui rariorem etiam formam Κινηθμὸς posuit Pyth. IV. v. 370. Ἰυγηθμὸς, significans κάθαρσιν

κοιλίας, dictio est *Hippocratis*, *Erotiano* et *Galeno* commemorata. Ἰαυθμοὺς dixit *Lycophron*, v. 606. et supra v. 96. memineral Μηλιαυθμῶν: hoc mendose scriptum est in *Etymologo*, qui praeterea compositum subministrat p. 342. v. 35. aliis praetermissum Ἐνιαυθμός. Apud *Suidam* et *Hesychium* cum recte legatur Ἰαυθμοὶ, hic alibi deposuit e mendoso codice Ἰαθμὸς et αὐθμός. Hesychiana, quae ad istam classem pertineant, cum plura possent depromi, speciminis gratia nonnulla depravata attingam e litera Δ. Vulgatur apud *Hesychium*:

Δαίημος, διαίρεσις, μερισμός.] Recepit illud tanquam Graecum *H. Stephanus*, eo potissimum inductus, quod legerat apud *Hesychium*: Δαιέοι, διαμερίζοι. Sed hoc in Δαΐζοι, alterum Δαίημος, ex analogia, quae comparatione conficitur, commutari debet in Δαϊθμὸς vel Δαιθμός. Ab origine Δάω fluxerunt, *dividendi* significatu nota, Δαίω, Δαΐζω, Δάζω, Δάζομαι. hinc δασμὸς, a Δαΐζω, δαϊσμὸς, Δαιθμός. hanc veterem formam Doricam, in libris certe nostris non obviam, vetusta tabula Messanae inventa fideliter adservavit apud *Gruterum* Thes. Inscript. Antiq. p. CCXIII. leges ibi v. 18. ΔΑΙΘΜΟΥΣ, et p. CCXII. v. 4. errore vulgari positum ΔΕΘΜΟΥΣ. Supra legitur apud *Hesychium* recte scriptum, Δαιθμὸν, ἐμπρησμόν. Succedat alia glossa depravata.

Δυθίλαι, θαλάμαι, καταδύσεις.] Certissime corrigendum: Δυθμαὶ, θ. *lustra* sunt *ferarum*. Error fuit librarii, totidem paene ductus Μ et ΙΛ confundentis. Ad observati grammatici tristitiam minuendam, aliud quidpiam iuvat interseruisse. Plurima latent Veterum loca sub eodem errore obscurata: pro Μ positum ΙΝ corrupit versum *Apollophanis* (sic legendum puto pro Εὐφάνης) Comici apud *Athen.* VIU, p. 343. B.

Ποῦ Κόρυδος, ἢ Φυρόμαχος, ἢ κοίλου βία.

restitui debet — ἡ Κόρμου βία; *Cormus*, parasitus gulosus, quique manus habebat picatas, e *Timoclis* loco VI. p. 240. F. mihi innotuerat: is per iocum comicum eleganter dicebatur Κόρμου βία. — *Conradum Gesnerum*, et capitalia *Scaligeri* et *Casauboni* ingenia frustra exercuit eodem errore deformatus *Archestrati* locus apud *Athen.* VII, p. 301. D.

Καὶ Λεβίαν λαβεῖν ὄσχετον ἧπατον ἐν περικλύστῳ
Δήλῳ.

Si pro IN reponamus M, *Archestrati* manum recuperabimus, emendandum enim sine controversia,

Καὶ Λεβίαν λαβὲ, Μόσχε, τὸν ἧπατον ἐν περικλύστῳ. Δ.

Moscho et *Cleandro* poëma suum inscripserat *Archestratus* monente *Athenaeo* p. 278. E. *Moschum* etiam alloquitur apud eundem III. p. 111. F. *Cleandri* nomen sub literis perverse scriptis latet VII, p. 322. C.

Ταῦτα δὲ πάντα Κύρῳ φράζων, καὶ πρὸς σὲ Κλέαινε,

inopinatus ille *Cyrus* Virum Magnum debuerat ab errore revocare; notus est Atticismus, λέγων κυρῶ, vel κυρῶ φράζων. reponamus itaque:

Ταῦτα δὲ πάντα κυρῶ φράζων καὶ πρὸς σὲ, Κλέανδρε.

Hesychii notam supra positam haec excipit: Δυθμέσι, δύσεσι, καταστροφαῖς. Prius illud Δυθίαι posuit in Indice Thes. *Stephanus*, ubi nostrum tamen tentavit: sed dubitari non potest, quin corrigi debeat: Δυθμαῖσι, δύσεσι, κ. veram scripturam non vidit *Spanhemius*, dum tractabat *Callimachi* h. in Cerer. v. 10,

Πότνια, πῶς σε δύναντο πόδες φέρεν ἔστ' ἐπὶ δυθμάς;

Dixerit forte quis, Δυθμαῖσι dictionem fuisse *Epicharmi*, seu *Empedoclis*: ab *Empedocle* dictum mutuatus est, ut alia plurima, *Plato*, VI. de LL. p. 776. A. ἡμεῖς ἐν δυσμαῖς τοῦ βίου· a *Platone* sumserunt, praeter ceteros, quos indicavit Celeberr. *Alberti* ad *Hesychium* in Δυσμαῖς βίου.

Δέθλος, δεσμὸς, ἄμμα.] Nisi fallor, *Hesychium* deceperat librarius, qui pro M scripserat A, pro Θ autem E. harum etiam literarum adfines esse ductus in scriptis Codicibus, et in monumentis lapideis, viri docti saepe monuerunt. nec veteres Criticos ista talia neglexisse liquet e Porphyrianis apud *Eustath.* ad Il. Υ. p. 1284. e quibus adnotatur, nonnullos in versu 269. Il. Υ. pro ἔλασσε correxisse θλάσσε, contendentes, natam perversam scripturam, τῆς ἄνω περιφερείας τοῦ Θ κολοβωθείσης εἰς φαντασίαν τοῦ Ε γράμματος. Corrigamus ergo errorem *Hesychii*, scribendo Δεθμὸς, δεσμὸς, ἄμμα. Alibi *Hesychius* Ἐθμοὶ, πολλοὶ, δεσμοὶ, πλόκαμοι. Sic censeo, scriptum in veteri fuisse Glossario: Δεθμοὶ, δεσμοὶ, πλόκαμοι, literam primam postea a librario praetermissam. Insidit *Hesychius* in librum, in quo primae dictionum literae nondum fuerant adpositae, quumque non acute cerneret, huius generis mendosa non pauca recepit in suum Lexicon. Talia plura docte restituit γόνιμος Κριτικὸς *Ioannes Taylor* in docto Lectionum Lysiacarum et laborioso libello, c. IX. Lexicon autem Graecum, in quo persaepe primae vocum litera deficit, in angulo Leidanae Bibliothecae latet. Sed si verum est, quod supra posui, quid reliquis Ἐθμοὶ, πολλοὶ, faciendum? recte de voce ἐσμὸς cogitasse credo Cl. *Albertium*. *Etymologus* p. 383. 10. ἐσμὸς, ait, ἀπὸ τοῦ τίθημι, θετὸς (legendum, θεσμὸς καὶ ἐθμός) καὶ βίβημι, βασμὸς καὶ βαθμὸς. ἀπὸ τοῦ ἵημι, ἥσω, ἐσμός· quidni etiam

ἐθμὸς a quopiam potuerit adhiberi? cogita quaeso monitum *Hemsterhusii* ad *Hesych.* I. p. 156. n. 15. Iam si ponas, Grammaticum in *Lycophronis* Cassandra v. 415. Νήριθμος ἔθμος, aut alicubi reperisse ἐθμὸς σοφιστᾶν, vel quidpiam simile, statues utique scribi potuisse in Glossario: Ἐθμὸς, πολλοί· certe σοφιστῶν σμῆνος, et σοφιστῶν ὄχλον dixerunt *Cratinus* et *Iophon* apud *Clement. Alex.* Strom. I. p. 329. ἑσμὸν γυναικῶν *Aristoph.* Lysistr. v. 353. ἑσμὸν λόγων *Plato* V. Πολιτ. p. 450. B. ἑσμὸν ὀνομάτων *Lucianus* Lexiph. II. p. 338. Lais habuisse dicitur ἐρώντων ἑσμὸν Anthol. VI. c. VIII. ep. 1. etc. Vbi unum alterumve *Hesychii* commentum confutavero, hinc discedam. *Hesychii* nota est: Δέημος, νόμος, ἢ δεσμός.] Infra legitur: Δεόμενος, νόμος, δεσμός. Quod e *Suida* excitatur Δέμος, νόμος ἢ δεσμός legitur in huius libro post vocem Δεξιοί, atque adeo patet e serie literarum, *Suidam* non Δέμος, sed Δεόμενος aut certe Δεσμὸς scripsisse. Ista tria, Δέημος, Δεόμενος, Δέσμος, minime Graeca, diversam tantum exhibent eamque mendosam, quam in libris repereramus, veteris dictionis faciem. Genuina lectio mihi certe haec videtur: Δεθμὸς, νόμος, ἢ δεσμός. τὸν δεσμὸν dictum fuisse Δεθμὸν, constare arbitror e praecedentibus. Sed lex etiam dici potuit Δεθμός. Leges positae, quaeque vim legis habere credebantur, consuetudines et instituta maiorum vulgari satis adpellatione vocari solebant θεσμοί. Athenis sic dicebantur eximie severissimae Draconis leges, οὐκ ἀνθρώπου, ἀλλὰ δράκοντος, ut eas vocabat *Herodicus* apud *Aristotelem* Rhetor. II, p. 110. v. 9. Quibus in ea voce σ videbatur in θ commutandum, scripserunt Τεθμός. haec forma *Pindaro* praesertim diverso fuit usu adhibita, Olymp. VI, 118. VII, 161. VIII, 33. XIII, 39. 57. Pyth. I, 125. IV,

54. Nem. X, 61. attigit eorum locorum nonnulla Ill. *Ez. Spanhem.* ad *Callim.* p. 105. Verum Τεϑμὸς cum scriberetur pro ϑεϑμὸς, nonnulli Θ in Δ mutato, ut et in aliis, (*T. H.* ad *Hesych.* in Θάβακον) ponere maluerunt Δεϑμὸς, atque adeo Δεϑμὸς recte νόμος ἢ δεσμὸς potuit explicari. Qui certis vestigiis institerit, ea via per diversas Linguae ditissimae partes pergendo, plurima poterit nova detegere. Redeo ad *Theocritum*, et missis ceteris ex unico carmine secundo nonnulla attingam.

In parte postrema carminis istius magici, qua Myndii Delphidis amore se deceptam queritur Simaetha, Deae, quam coelo devocaverat, paucis versibus enarrat, quid evenerit, posteaquam officiosa Thestylis palaestritam perduxerat ad obsequium suum: nimirum mane istius diei, cuius vespera carmen illud decantabat, venisse vetulam, ἦνϑε μοί, inquit, v. 145.

— ἦνϑέ μοι ἅ τε Φιλίστας
Μάτηρ τᾶς γε ἐμᾶς αὐλητρίδος, ἅ τε Μελιξοῦς
Σάμερον.

quae muliercula speculatrix vestigando cognoverat, fastidiosum adolescentem ab ipsa alienatum alio transtulisse amorem suum; vera autem esse, quae fuerant a vetula minime mendaci relata, hoc argumento conficit Simaetha, quod per solidos dies duodecim ne semel quidem ad se diverterit Delphis, qui antea nullum diem intermiserat, quin saepius veniret. Haec vis sententiae Theocriteae in duabus literis male distractis latet: sic vulgatur v. 155.

Ἠ γάρ μοι καὶ τρὶς καὶ τετράκις ἄλλοτ' ἐφοίτη,
Καὶ παρ' ἐμὶν ἐτίϑει τὰν Δωρίδα πολλάκις ὄλπαν.

Νῦν δέ τε δωδεκαταῖος ἀφ' ὧτε νιν ὐδέποκ' εἶδον.

illud Ἦ γάρ μοι minus attendenti blandiri poterit; sed si sententia penitus introspiciatur, μοι locum minime tuebitur; nam δωδεκαταῖος, et ista τρὶς καὶ τετράκις aliud quid requirunt, quo referantur, ac monstrant, praecessisse *nuper, proximis his diebus*, νεωστὶ, ἀρτίως, vel simile quidpiam. Quaerendi sollicitudine liberabimur, ubi facilem medicinam, quam tot veterum locis praeter ceteros felicissime admovit *Is. Casaubonus*, huic etiam loco adplicuerimus: e voculis enim Ἦ γάρ μοι nobis enascetur Ἦγ' ἄρμοι. Vocem Ἄρμοι a *Theocrito* IV, 51. *Lycophrone* v. 106. usurpatam, pro νεωστὶ, ἀρτίως, Syracusanam esse pronuntiantibus Grammaticis, eo non illibenter fidem habuerim, quod plane constet, esse de veteris Linguae reliquiis, eiusdem analogiae, cuius sunt dictiones Syracusanae, certe Doricae, ἔνδοι, ἔξοι, πέδοι, de quibus variis in locis ex Alexandrino *Heraclide* notat *Eustathius*. Ἀρμοῖ vel Ἄρμοι (utro modo pronuntiandum sit, non convenit inter Technicos) olim legebatur in exemplaribus *Apollon. Rhod.* I, 972. ubi ad Ἰοῦν που κἀκείνῳ — *Scholiasta*, γράφεται δὲ, inquit,

Ἄρμοι που κἀκείνῳ ὑποσταχύεσκον ἴουλοι.

ἀντὶ τοῦ, ἀρτίως, νεωστὶ ὑπηύξανον, ὑπήνθουν. qui locus forte perspicaciam *Bentleii* effugit ad fragm. *Callimachi* XLIV,

Ἀρμοῖ που κἀκείνῳ ἐπέτρεχε λεπτὸς ἴουλος.

Theocritus autem cum ceteris frequenter adhibet voculas ἦ ῥα, et ubi formulis interrogandi, sed et ubi sine interrogatione res certa adfirmanda est, veluti in huius carminis v. 6, 114, 123. Eid. III, 15. etc. propterea scribere malim ἦ ῥ' ἀρμοῖ in loco nostro, sic mea sententia reficiendo:

Ἠ ῥ' ἀρμοῖ καὶ τρὶς καὶ τετράκις ἄλλοκ' ἐφοίτη,
Καὶ παρ' ἐμὶν ἐτίθει τὰν Δωρίδα πολλάκις ὄλπαν,
Νῦν δέ κε δωδεκαταῖος, ἀφ' ὧτέ νιν οὐδέποκ' εἶδον.

ut hic sit loci sensus: *alias certe ter quaterve proximis diebus ad me venisset, et saepenumero Doricam domi meae deposuisset ampullam; sed nunc integri dies effluxerunt duodecim, a quo ne semel quidem ipsum viderim.* Non ante despectum se fuerat suspicata Simaetha, neque adeo revocaverat ad animum carissimi Delphidis absentiam, quam esset de ipsius animo mutato admonita a tibicinae matre. Huic mulieri quid fuerit nominis ignoramus; nec erat illud etiam memoratu dignum: sed quamobrem, obsecro, binae istius mulieris filiae commemorarentur? ita tamen, quos quidem noverim, locum supra positum,

(ἦνθέ μοι ἅτε Φιλίστας
Μάτηρ τᾶς γε ἐμᾶς αὐλητρίδος, ἅτε Μελιξοῦς
Σάμερον·)

interpretantur, ut vetulae filias nominent *Philistam* et *Melixonem*. Credo *Philistam* Syracusanum eo viros doctos induxisse, ut commodius muliebre nomen Doricum in versum Theocriteum introducerent: atque illud, quamvis alienum a mente Poetae, facile tamen erat ferendum; sed vix feras *Palmerii* commentum, qui tibicinae Theocriteae substituendam ἀλετρίδα, e more suae gentis, iudicaverat; verum plerique fatebuntur, *Palmerium*, in veteris Graeciae rebus valde exercitatum, in poeticis elegantiis cernendis non habuisse ῥῖνα κριτικήν. In posterum, ἐὰν ἤγ' ἐμή τινα, de sola cogitabunt *carissima* Simaethae tibicina Melixone; Pervenuste scripserat, ni fallor, *Theocritus*

Μάτηρ τᾶς γε ἐμᾶς αὐλητρίδος, ἅ γε Μελιξοῦς *venit ad me mater carissimae meae tibicinae, meae inquam Melixus*. Illud ἅ γε repetitum quantum loco venustatis conciliet, Te persensurum confido. Si vel nuspiam in libris nostris *carissimus* diceretur φίλιστος, eo non minus crederemus, olim fuisse, apud Dorienses praecipue, pervulgatum nomina propria bene ominata, Φιλίστος, Φιλιστίων, et muliebria Φιλίστη vel Φιλίστα, et Φιλίστιον, qui tandem in usum fuissent recepta, nisi a φίλος formata Φιλίων et φίλιστος innotuissent? Pariter utique ἄριστος transiit in nomen Ἀρίστος, seseque in varias formas diffudit: memorantur enim Ἀριστις, Ἀριστεὺς, Ἀριστέας, Ἀρίστων et Ἀριστίων, mulieres etiam Ἀριστὼ et Ἀριστίον. Sed et supersunt φίλιστος prius in *Homeri* Od. Γ, 351. et Ω, quanquam et ab aliis obscuratum et a *Palmerio* ad *Hesych.* in Φιλίων, ad utrumque locum *Sophoclis* meminit *Eustathius*, in cujus Aiace legitur v. 852.

τοὺς αὐτοσφαγεῖς
Πρὸς τῶν φιλίστων ἐκγόνων ὀλοίατο.

Schollastes ad hunc locum, ταῦτα δὲ, inquit, νοθεύεσθαί φησι quis? *Didymus*, opinor; atque adeo legendum ταῦτα δὲ Δίδυμος νοθεύεσθαί φησι *Schol.* ad *Soph.* Antig. v. 45. Δίδυμος δέ φησιν, ὑπὸ τῶν ὑπομνηματιστῶν τὸν ἑξῆς στίχον νενοθεῦσθαι. — Nondum a Carmine *Theocriti* discedo, quam in primo versu et deinceps aliquoties compellat Simaetha, *Thestylis*, dominae in magico hoc ministerio adiutrix, ipsa erat veneficiorum scientissima; quales habuisse plerumque videntur in familia mulieres istius quaestus, cujus fuit *Simaetha*, ejusdem ordinis mulier. Σιμαίθα

dicitur *Aristophani* Acharn. v. 525. *Hesychius*, Σιμαίθα, ἑταίρας Μεγαρικῆς ὄνομα: sic enim recte locum correxerunt *Kusterus* et *Wesselingius*. Nomen Thestylidis, ab usu servulae indicium, a *Sophrone Theocritus*, a *Theocrito Virgilius* acceperat, sed Virgiliana *Thestylis*, quae *fessis messoribus herbas contundebat olentes* Ecl. II, 10. ea ipsa est vetula venefica, non nominata *Theocrito*, *quae messores nuper subsequuta spicas legerat*, ita enim accipienda videntur in Eid. III, 34.

Ἁ πρὰν ποιολογεῦσα παραιβάτις —

Theocriti Thestylis postquam herae iussis obsequuta lauros, malas herbas, pilam rubra lana incinctam, et cetera paraverat, quae usui erant futura, Magicum carmen, decantandum, dum sacra ad animum Delphidis reflectendum peragerentur, incipit Simaetha, Eid. II, 10.

Voce vocans Hecaten, coeloque Ereboque potentem.

Ἀλλὰ Σελάνα

Φαῖνε καλόν· τὶν γὰρ ποταείσομαι ἅσυχα δαῖμον,

Τᾷ χθονίᾳ θ' Ἑκάτᾳ, τὰν καὶ σκύλακες τρομέοντι

Ἐρχομέναν νεκύων ἀνά τ' ἠρία καὶ μέλαν αἷμα.

Χαῖρ' Ἑκάτα δασπλῆτι, καὶ ἐς τέλος ἄμμιν ὀπήδει.

Non pigebit adscripsisse ex *Horatii* Epod. V, v. 51. et seqq.

Nox et Diana, quae silentium regis,
Arcana cum fiunt sacra;
Nunc nunc adeste.

Quae postrema Theocriteum ἀλλὰ commode exprimunt: *Seneca* Hippol. v. 412.

Hecate triformis; en ades coeptis favens.

sed μέλαν αἷμα hoc quidem loco diu fuerat suspectum: memineram quidem, veteres nigrarum pecudum sanguine Deos inferos placasse, et *Nigro bidentes vellere atque atras boves* in sacris fuisse magicis adhibitas; praeter ceteros etiam *Tibullum* cecinisse I. Eleg. II, 61.

Concidit ad magicos hostia pulla Deos:

neque tamen propterea mihi poteram persuadere, *hostiam pullam* dictam fuisse Theocrito μέλαν αἷμα. Tandem, postquam ad me pervenerat Thesaurus, quo nos ditavit, et quotquot sunt atque aliis erunt in annis harum Literarum studiosi, sibi devinxit utrique nostrum amicissimus et magnis suis meritis celeberrimus *Io. Alberti*, coepi suspicari locutionem ubivis obviam, μέλαν αἷμα, rarissimae locum occupasse, scripsisse autem *Theocritum*:

Ἐρχομέναν νεκύων ἀνά τ' ἠρία καὶ μέλαν
εἷμα.

Relege, quaeso, *Hemsterhusii* adnotata, ad formulam Ἐπιέσσασθαι γῆν, quam *Hesychius* explicat, ταφῆναι ex quo iudicabis, terram cadaveribus circumfusam, quae eos nigro velut amictu amplectitur, atque adeo *sepulcrum* dici posse μέλαν εἷμα. Nullus quidem locus est ad manum, in quo vocabulum εἷμα sic usurpetur *): verum notiones se-

*) Χλαῖνα sic positum videtur in Aeschyl. Agam. 88[illegible].

Πολλὴν ἄνωθεν (τὴν κάτω γὰρ οὐ λέγω
Χθονὸς) τρίμοιρον χλαῖναν ἐξηύχει λαβών,
Ἅπαξ ἑκάστῳ κατθανὼν μορφώματι.

Ibi assentior Heathio τὴν κάτω χθονὸς χλαῖναν *sepulcrum* esse existimanti. *Editor.*

pulcri et *vestimenti* potuisse permutari, hinc Tu certe conficias, quod utramque uni rei designandae adhibuerint. Corpus vetustissimi Theologi non tantum carcerem sed et *sepulcrum* animae nominarunt, quo divinior ista particula velut obrueretur: horum sententiam apud *Clement. Alex.* V. Strom. p. 518. commemorant *Plato* et *Philolaus* Pythagoreus, qui, ἁ ψυχὰ, inquit, τῷ σώματι συνέζευκται, καὶ καθάπερ ἐν σάματι, ἐν τούτῳ τέθαπται. Recentiores corpus vocare maluere *vestem*, qua tanquam velamento natura animum circumdedisset: vide quaeso *Gataker* ad *M. Antonini* X, 1. quod Imperator ibi vocat τὸ περικείμενον σῶμα, infra X, 38. τὸ περικείμενον ἀγγειῶδες, supra dixerat τὸ ἀγγεῖον τὸ περικείμενον, VIII, 27. locum inspice, si placet; ἀγγεῖον enim emendavi pro vulgato αἴτιον· et hoc quidem recte fecisse me censebis, sed *Theocritum* tractanti negabis esse philosophandum. Si *sepulcro* conveniť *vestimenti* notio, *sepulcretum* designare potuit *Theocritus* per νεκύων ἠρία καὶ μέλαν εἷμα, et in magico carmine Hecaten celebrare,

Ἐρχομέναν νεκύων ἀνά τ' ἠρία καὶ μέλαν εἷμα,

sicuti eamdem in precibus ad Musaeum dixerat *Orpheus*, Theologus certe pervetustus, v. 47.

Τυμβιδίαν, ψυχαῖς νεκύων μέτα βακχεύουσαν.

Veneficae, quae manes dira detestatione evocantes sepulcris eliciebant, peragere suevereut in sepulcretis sacra nefaria: Medea dicitur ἀλωμένη ἀμφὶ νεκροὺς *Apollon. Rhod.* IV, 51. aderat sacris, et per sepulcra vagari credebatur Hecate, sive Luna, a venefica solemni ritu *excantata*: hoc quum fuerit verbum in ista re proprium, atque illud pernoverit, ***Broukhusius*** ad *Propert.* III, El. II, 49. mirabar

virum elegantissimum, versum *Propertii* IV El. V, 13.

Audax cantatae leges imponere Lunae,

praetermisisse intactum: non sane nego Lunam dici posse *cantatam*, aut ignoro Horatianum *audax perpeti*, quaeque similia, *Horatio* inprimis familiaria, dudum ante *Bentlejum* collegerat *Lambinus* ad *Horat.* IV *Carm.* VIII, v. 8. sed quoniam, si unum locum excipias IV El. X, 42. huius generis nihil repereram apud *Propertium*, contra noveram saepe infinitivis iunxisse *ausus* et *ausa*, veluti III, El. X, v. 15. et v. 41.

Ausa Iovi nostro latrantem opponere Anubim, IV, El. VIII, 22.

Ausa per impuros frena movere locos.

censebam equidem in altero etiam versu, cuius sensus pendet a sequentibus, corrigi debere:

Ausa excantatae leges imponere Lunae - - -

Is, cuius mentionem feci, *Broukhusius* ostendit ad *Tibull.* I, El. II, 52. in istiusmodi sacris Hecaten apparuisse canibus comitatam: propterea bis minimum σκυλακῖτιν eam vocat in hymnis *Orpheus*: canibus ipsis visam fuisse tum Deam terribilem manifestum est e Theocriteis:

τὰν καὶ σκύλακες τρομέοντι
Ἐρχομέναν νεκύων ἀνά τ' ἠρία καὶ μέλαν αἷμα.

Terribilem Deam exire iubet Simaetha, suoque sacro interesse benignam:

Χαῖρ', Ἑκάτα δασπλῆτι, καὶ ἐς τέλος ἄμμιν ὀπάδει.

Hoc erat initium carminis, cuius pleraque intermedia *Casaubonus* et *Heinsius* explicuerunt: unum vocabulum attingam, quod, vitii manifestum, illi tamen videri possint non animadvertisse: Δέλφις, inquit Simaetha, v. 23.

Δέλφις ἔμ' ἀνίασεν· ἐγὼ δ' ἐπὶ Δέλφιδι δάφναν
Αἴθω· χ' ὡς αὐτὰ λακέει, μέγα καππυρίσασα, —

Id quidem extra dubitationem positum arbitror, participium καππυρίσασα non esse Theocriteum: forte dudum genuina lectio Tibi in mentem venerit: dicam tamen, quid mihi super hoc loco cogitanti inciderit; evenit enim, nec mirum, rarissime, ut in eadem duo incidamus cogitandi vestigia. Male putabam coaluisse, quae fuerant disiungenda; posuisse autem *Theocritum* καππυρὸς ἔυσα· vides, ευ in α mutato, quam facile hinc enasci potuerit vulgata, a qua paululum discedit lectio *Etymologi* in v. Δάφνη: utrique certe fateberis anteponendam, quam posui. *Lauri folia igni inposita*, δάφνη κατὰ πυρὸς οὖσα, Theocritea scribendi consuetudine, δάφνα — καππυρὸς εὖσα. Participium εὖσα Dorico isto flexu recurrere apud *Theocritum*, et κατὰ hoc sensu casui etiam secundo iungi pernosti: καππυρὸς, pro κατὰ πυρὸς positum, videri poterit insolentius; et fateor solam ad illud firmandum habere me analogiam: usus enim veteri lingua loquentium permisit, ut praeter alias, praepositio κατὰ non tantum cum verbis, sed cum nominibus etiam, quibus fuerat anteponenda, coalesceret, sic contracta, ut eius pars secunda transiret in consonam nominis primam, nisi quando concursus asperior leniori videbatur litera molliendus: notissima sunt καγγόνυ, καχκεφαλὴν, quodque propius accedit καππεδίον. Nunc adponam *Theocriti* locum, qui praeterea laborat interpunctione, sic scriptum, ut emendandum arbitrabar:

Δέλφις ἔμ' ἀνίασεν, ἐγὼ δ' ἐπὶ Δέλφιδι δάφναν

Αἴθωνα χ' ὡς αὐτὰ λακέει μέγα, καππυρὸς εὖσα,
Κἠξαπίνης ἄφθη, κοὐδὲ σποδὸν εἴδομες αὐτᾶς,
Οὕτω τοι καὶ Δέλφις ἐνὶ φλογὶ σάρκ' ἀμαθύνοι.

Horatius Epod. V, 81.

amore sic mei flagres, uti
Bitumen atris ignibus.

cum bitumine lauri fragiles in focum conficiebantur magicum; ut eo celerius flammam conciperent, *ac divino igne consumerentur*, quae verba sunt *Servii* ad *Virgilii* Pharmaceutriam v. 82. Plura attulit *Broukhusius* ad *Tibullum* I. El. II, 61. et *Nemesiani* locum ex Ecloga IV, cuius versus 64 et 65, vocibus aliquot transpositis, sic omnino legendos existimo:

Lustravit, vivo crepitantes sulphure lauros
Incendens, cineresque aversa effudit in amnem.

Vbi *Titius Theocriti* meminit et *Tibulli*; huius in II. El. V, versus 81.

Et succensa sacris crepitet bene laurea flammis,

firmat in *Theocrito* λακέει μέγα. Horatianum autem *bitumen atris ignibus*, alterum καππυρὸς εὖσα. Si Tu forte, literis iisdem servatis, scribere malueris κάππυρος εὖσα, quod pro κατάπυρος adhibuerit *Theocritus*, cum sensus paene idem maneat, ita cogitanti non reluctabor. Sed illud satis certum puto a *Theocrito* poni non potuisse καππυρίσασα. Hic debueram subsistere, Teque fessum legendo dimittere; Γνώμην δ' ἔχοντά μ' ἡ φύσις βιάζεται. verum, si Te diutius detineo, quam par erat, ita quaeso cogita, hanc ubi Epistolam perlegeris, nihil causae habiturum, cur *Ursini* libellum revolvas, cui hac opera vix quidquam accessit ornamenti. Sic

itaque conabor lebefactare illud κατπυρίσασα, ut nova quaedam lux *Theocrito*, et Linguae in universum videri possit accessisse. Quod in Scholiis legitur πυρακτωθεῖσα, non utique lectioni vulgatae, quidquid narret *Aem. Portus*, sed potuit inservire participio Dorice scripto Καππυριχθεῖσα: nam si statuas verbum fuisse καππυρίζω, ad eam rationem Dorice debuerat illud inflecti. Quaecunque verba vulgo apud Graecos desinebant in άζω, et ίζω, imo vero etiam (quamvis haec paucissima fuerint in usum recepta) in έζω, όζω, ύζω, Dorice efferuntur a *Theocrito*, in άσδω, ίσδω, έσδω, όσδω, ύσδω. Cui quidem huius generis Theocritea obversabuntur, librariis imputare non dubitabit paucas formas vulgares, quae insident editiones nostras Eid. II, 113. III, 26. IV, 16. V, 41. 113. VII, 48. XI, 17. 78. XIV, 15. et XV, 21. ubi pro λαζεῦ ponendum λάσδευ. Supra legitur λάσδεο, VIII, 84. *Hesychius*, apud quem talia reperientur paucissima, praebet Δίσδημαι, ζητῶ· hoc facit, ut pro διζῆμαι minus cunctanter Δισδῆμαι scribendum censeam in XVI, 61. et δισδῆμενιν VII, 48. Istiusmodi verba Dorica in σδω ad hanc normam certissimam flectebantur in sua tempora -- ξῶ -- χα -- γμαι -- χθην. Auctor observationis Aldinae editioni praefixae, quam, quia meditam existimabat, *Andr. Schottus* inseruit Observ. II, c. 50. ἡ νέα, inquit, Δωρὶς, ᾗ καὶ Θεόκριτος κέχρηται, μαλθακωτέρα παρὰ τοῦ Ἐπιχάρμου καὶ Σώφρονος· sic ediderunt: sed corrigendum, παρὰ τὴν Ἐπιχάρμου, ut Dorica *Theocriti* dialectus lenior dicatur prae illa, qua usi fuerant *Epicharmus* et *Sophron*. Verum hac in parte nihil habuit Noster, quia ipsi fuerit cum *Sophrone*, *Epicharmo*, ceterisque, qui quidem essent Dorienses, commune. *Sophroni* verbum minime Doricum ἐκρατηρίξαμεν vel κεκρατηρίκαμεν tribuit

Casaubonus Anim. in *Athen*, p. 821. vulgatur apud *Athenaeum* XI. p. 504. B. ὁ τοὺς μίμους πεποιηκὼς — λέγει που, κὴν κρατῆρι χημὲς ἀντὶ τοῦ πεπώκειμεν, ante *Casaubonum* ediderant: κὴνκρατῆρι χημέσαντίτου πεπώκειμεν. monstra facile potuerunt profligari: litera ν in χε commutata, fac ut reliquae male divulsae coalescant; hoc ubi feceris, veterem, ni fallor, recuperabis scripturam *Sophronis*, et *Athenaei*, qui dederat: κἠκεκρατηρίχημες, ἀντὶ τοῦ καὶ πεπώκειμεν. Quod in sermone vulgari dixissent καὶ ἐκεκρατηρίκειμεν, id *Sophron* dixerat in suis Mimis: κἠκεκρατηρίχημες, a recepta inter suos consuetudine non recedens, nisi quod paulo insolentius, quanquam ne id quidem sine exemplo, — χημες posuerit pro — χειμες. Formae istae in — μες, in fragmentis Doricis pervulgatae, quinquies recurrunt in Epistola perbrevi *Archytae* Tarentini apud *Diogen. Laert.* VIII. 80. in qua pro τοὶ περὶ Δαμήσκον viri docti haud dubitanter correxissent τοὶ περὶ Λαμίσκον, si praeter illam *Archytae* apud *Laert.* III. 22. meminissent Epistolae *Platonis* septimae, in qua p. 350. B. Archytas et Tarentini misisse dicuntur ad Dionysium legationis ducem Λαμίσκον, αὐτῶν ἕνα. — Ad verbum *Sophronis* explicandum posuerat *Athenaeus* ἐπεπ. sive πεπώκειμεν, litera prima more satis usitato neglecta. *Sophronis* illud κἠκεκρατηρίχημες *Varronis* verbis apud *Nonium* p. 521. dixeris *et poculis nos invitavorumus large atque benigne.* Quod lingua subministrat vernacula, Graeco verbo κρατηρίζειν interpretando commodum: Cl. *Albertius* adnotavit ad glossam *Hesychii*: Ἐκρατηρίσθημεν, ἐμεθύσθημεν. Censeat forte quis, in veteri glossario dictionem *Sophronis* Ἐκεκρατηρίχημες, expressam per ἐμεθύσθημεν, deinceps in Ἐκρατηρίσθημεν degenerasse. Quamvis enim verbum κρατηρίζειν com-

bibonibus frequenter videri possit usurpatum, in libris tamen veterum rarissime repertum ex *Athenaeo* manifestum est; cum enim Grammaticus *Leonides* dixisset, κρατηρίζωμεν, ἄνδρες φίλοι, ne quis Κειτούκειτος verbum apud veteres legi negaret, solius mox auctoritate *Sophronis* illud firmavit; quod sub teste *Lysania*, (ita legendum pro Δύσ.) promit ex *Herodoro*, satis erat vulgatum: nam sicut alii passim παρ' οἴνῳ vel παρ' οἶνον, ita παρὰ κρατῆρα, παρὰ κρατῆρας, et παρὰ κρατῆρι dixerunt *Pindarus* Nem. IX, 107. *Euripides* apud *Stobaeum* p. 502. v. 5. *Telestes Selinuntius* apud *Athen.* XIV. p. 626. A. *Apollon. Rhod.* II, 158. *Theognis* v. 493. et 643. ceterique. — Quando mentionem feci *Sophronis*, nunc forte ῥῆσιν exspectas *Epicharmi*; sed hanc partem servari praestat integram *Adriano Heringa*, in quo Eruditissimo Medico Nostrate *Hemsterhusii* discipulum agnosces. Ponam itaque, quae huc pertinent, Theocritea. Eid. III, 16. cum vulgo legatur ἐθήλαζε, genuinam scripturam ἐθήλαξεν conservavit *Stobaeus* p. 401, v. 30. In Eid. V. reperiuntur recte scripta, καθίξας, v. 32. βωκολιαξεῖς, v. 44. χαριξῇ, v. 73. καχαξῶ, v. 142. Eid. X, 18. e Scholiis restituendum est κοαξεῦντι καλαμαία; legitur v. 25 ἐργαξῇ, ἐξηπάξα, XIV, 28, θεσπίξασα, XV, 63. In Eid. XXI, 32. venustum dictum restituit *Scaliger*:

Ὃς γὰρ ἂν εἰκαξῇ κατὰ τὸν νόον, οὗτος ἄριστος
Ἐστὶν ὀνειροκρίτας.

Non ignoro, Praestantiss. *Maittairium* in opere utilissimo de Dialectis horum nonnulla iam attigisse; sed illa erunt in sequentibus pauca, et facile animadvertes, utrique nostrum diversissimum esse institutum. Ἀμφεπίαξε legitur in sexto *Theocriti* epigrammate; πιάξας in Eid. IV, 54. Attica

verbi forma πιάζω: Dorica πιάσδω: haec inmutata in πιάζω transiit cum plurimis Doricis in sermonem communem; hinc πιάζω apud *Hesychium* aliis verbis explicandis frequenter inservit. Duo sunt apud *Theocritum* γελάξαι, et κλάξαι, quae prima specie videntur a reliquis diversa, cum γελάω et κλείω adhibeantur in sermone vulgari, non item γελάζω et κλάζω, nec tamen discedunt a ceterorum norma. Γελάξας legitur Eid. VII, v. 42. et v. 128. ex emendatione *Casauboni*: ad eamdem legem γελάξαι v. 156. reponi potuerat. Auctor Βουκολίσκου, sive *Theocritus*, seu alius, sic orditur Eid. XX.

Εὐνίκα μ' ἐγέλαξε θέλοντά μιν ἁδὺ φιλᾶσαι.

Verba in έω, cum non nisi paucissima, (forte quinque vel sex) producantur in έζω, ad priorum legem pleraque non potuerunt inflecti Dorice: verum aliter se res habuit in verbis in άω, passim in άζω productis. Sicut ἀγαπάξαι, ita et γελάξαι scripserunt Dores. In κλάξαι ratio satis est manifesta: ἀπόκλαξον occurrit in Eid. XV, 43. ἀποκλάξας, XV, 77. κατεκλάξατο, XVIII, 5. et merito *Casaubonus* suspicabatur κλαξῶ restituendum in Eid. VI, 32. *clavis* dicitur κλὰξ, Eid. XV, 33. *Hesychius*: κλᾶξαι, κλεῖσαι. Doricum illud sic fuit propagatum: a Κλείω, κλείσω, κλεὶς, κληῒς, (κλαῒς, Aeol. κλαFις) κληΐζω, κλήζω, κλάζω, κλάσδω, κλαξῶ, κλάξ. Sed ne Te nimis fatigem, correctionem interseram, quam minime asperneris. Quum essem aliquando apud *Hemsterhusium*, et nescio quid coniecturarum Viro Summo proponerem, incidebamus forte in Eidyllium *Theocriti* XXIII. ibi *Hemsterhusius* monstrare mihi in v. 54. mendosum verbum ἐτιλλίχθη et ingenium pertentare; ego vero, quasi fascino tenerer, nihil eniti γόνιμον καὶ ἀλη-

θὲς, neque ante verum potui perspicere, quam is me monuerat scripsisse *Theocritum*,

— οὐδ' ἐλυγίχθη
Τὰν ψυχάν·

excitatus protinus intellexi venustatem locutionis, a lucta ad alteram illam palaestram cum plurimis aliis felicissime translatae. Recordabar praeterea *Theocritum* ipsum illud alibi deposuisse. Locum, quia pertinet ad eandem verborum classem, in Scholiis ad *Aristoph.* Vespas v. 1478. non satis emendate scriptum, hic deponam ex Eid. I, 97, 98.

Κῆπε, τὺ θὴν τὸν ἔρωτα κατεύχεο, Δάφνι, λυγιξεῖν,
Ἆρ' οὐκ αὐτὸς ἔρωτος ὑπ' ἀργαλέω ἐλυγίχθης;

Atque ait: en saevi dixti fore victor amoris:
Nunc te, Daphni, tamen saevi vis flectit amoris.

ita hos versus convertit *Heinsius*, qui dum in alterius Eclogae loco prolato dederit: — — *nec tristia flectit Pectora;* non tamen idcirco censeri debet habuisse genuinam lectionem perspectam. Quid sensus loci postularet, vidit *Aemilius Portus* in Lex. Dor. v. Τυλίσσειν, nedum ut *Heinsium* potuerit latere. Et haec quidem pleraque sunt Theocritea huius generis. Sed *Eustathius* sic scribit alicubi, ut censeri possit participium ποκιχθέντα reperisse apud *Theocritum*, nimirum ad Il. Ω, p. 1481 v. 15. ubi ἄπεκτον ἄρνα, inquit, τον μήπω πεχθέντα, ἤγουν καρέντα, καὶ, εἰπεῖν κατὰ Θεόκριτον, Ποκιχθέντα. verum vix dubito, quin respexerit ad Eid. V, 26.

Τίς τρίχας ἀντ' ἐρίων ἐποκίξατο;

hinc, ad normam Theocritei, λυγιχθῆναι, *Eustathius* formavit participium Doricum ποκιχθέντα. Eiusdem sunt analogiae *Homerica*, Θουλλίχθη,

Πελεμίχθῃ, et Anacreontis Θωμιχθεὶς· *Hesychius* alicubi invenerat Θωμιχθεὶς, quod explicat πικρανθείς· et, Ἐπαντταλίχθη, ἐσείσθη. Doricum Ἐπανταλίχθη non facile commutaverim cum Ἐπανταλίσθη, quae forma erat communis a verbo Anacreonteo ταντᾰλίζω derivata. Ad eamdem classem pertinent Πρωραχθῆναι, et Πρανιχθῆναι quorum prius apud *Hesychium* reperitur; Πρηνιχθῆναι etiam in Anthol. III, c. XXII. ep. 74. et apud *Lycophron.* v. 1006. *Hesychius:* Πρηνιχθέντα, ἐπὶ πρόσωπον καὶ ἐπὶ στόμα πεσόντα. Alibi habet Πρανιχθέντα, eodem ferme sensu Dorice poni potuerunt Πρανίξαι et Ποτουδίξαι. Quae vulgo νομισθῆναι et πορισθῆναι, Dorice pronuntiabantur νομιχθῆναι et ποριχθῆναι. *Sthenidae* Pythagorei de Regis officio loquentis insigne fragmentum apud *Stobaeum*, p. 332. v. 52. subministrat νενομίχθαι, sed et illud in νενόμισται mutatum voluit *Gesnerus:* ubi vulgatur: διὰ τοῦτο γὰρ που μάλιστα καὶ νενομίχθαι τὸν θεὸν, πατέρα μὲν θεῶν πρᾶτον, πατέρα δὲ ἀνθρώπων ἦμεν· corrigendum puto: δοκεῖ νενομίχθαι, τὸν πρᾶτον θεὸν πατέρα μὲν θεῶν, πατέρα δὲ καὶ ἀνθρώπων ἦμεν. *Propterea vel maxime Deus Summus habitus videtur pater Deorum hominumque.* Initio fragmenti v. 23. olim legebatur: τὸν βασιλέα σοφὸν ἦμεν· οὕτω γὰρ ἐσεῖται ἀντίμιμος καὶ ζαλωτὰς τῶ πράτω θεῶ· perperam ediderunt ἀντίτιμος καὶ ζηλωτάς. supra dixerat eadem pagina *Diotogenes:* θεόμιμον ἐντὶ πρᾶγμα βασιλεία. Quae prostant in eodem *Sthenidae* loco, v. 38. τοιοῦτον ἐπιστῆμεν, sine controversia corrupta, facillime poterunt ad hanc rationem integrari: τοιοῦτον θέμις ἦμεν καὶ τὸν ἐπὶ γᾶς καὶ παρ' ἀνθρώποις ἀγεμονεῖν μέλλοντα βασιλέα. — Quod paulo ante memorabam, Πορριχθῆναι, sive, ad legem Eustathiani Ποκιχθέν-

τα inflexum, *πορῐχθέντα* scripti codices *Iamblichi* servarunt in illa nobili Tarentini *Lysidis* ad Hipparchum Epistola: οὐ θέμις ὀρέγεν τοῖς ἀπαντᾶσι τὰ μετὰ τοσούτων ἀγώνων σπουδᾷ πορῐχθέντα. sic recte vulgavit *Kusterus* in *Iamblich.* de Vita Pythag. p. 62, 63. *Ioannes Arcerius* p. 89. v. 23. dederat περιχυθέντα, sed in Codice Ms. e quo *Iamblichum* edidit *Arcerius*, quemque Bibliotheca custodit Franequerana, legitur περιχθέντα. Idem Codex plures subministrat formas Doricas, ab *Arcerio* male obliteratas. Vbi *Kusterus* p. 65. v. 5. cum ceteris edidit ἐξεβλάστησαν, Codex Franequeranus formam Tarentinam exhibet ἐκβεβλαστάκοντι; quae suo se colore facile commendabit. Verbum fuit βεβλαστάκω, ut πεποίηκω et similia, de quibus variis in locis apud *Eustathium* egit *Heraclides*. Pag. 64. v. 17. *Kusterus* dedit ἠφάνισεν, et in nota subiecta monuit Dorice scribendum ἠφάνιξεν. Ms. noster *Lysidis* dicto accommodum suppeditat compositum ἐπαφάνιξεν. Si *Stobaei* Codex scriptus perita manu tractaretur, sine dubio plurima similia detegerentur in fragmentis Pythagoreorum Doricis, in quibus plerumque verborum istiusmodi formae veteres in communes et usu notiores fuerunt ab imperitis commutatae. Supersunt de rarioribus Ἀγαπάξαι. Ἑρπύξαι. Ὀπωρίξασθαι. quorum primum *Callicratidas* apud *Stobaeum* p. 487. v. 16. secundum *Pempelus* adhibuit p. 461. v. 10. Doricum ὀπωρίξασθαι legitur p. 408. v. 47. in *Dii* fragmento, multis partibus mendoso. Quando locus est insignis, et Tu Pythagoreorum dictis apprime delectaris, quae verbum ὀπωρίξασθαι antecedunt, *Dii* verba conabor emaculare. Initium fragmenti, Τίς ἀγὼν ἢ βιοτᾶς ὄντως νεμεςτᾶς εὐδαίμων ζωὰ, et sequentia minus esse sana, nemo negabit. Poterunt autem mea opinione

Dii verba hac ratione restitui: Τίς ἀγωγὰ βιοτᾶς ναμερτέως εὐδαίμων ζωά; καὶ τίνας ποτὲ χρὴ κρίνειν εὐδαίμονας; ἢ νὴ Δία τὼς σκάνεος καλλὰ κὰν ἔχοντας, δώραμα Φύσιος; τούτως γὰρ ὡς ἐνὶ μασσότερον οἱ πλεῦνες ὡς θεὼς ἢ θεῶν ἱδρύματα περιέχοντι, pro ὑπερέχουσι, quod vulgatum, posset etiam legi περιέποντι. ceterae correctiones sunt facillimae; ναμερτᾶς non sollicitassem, nisi in ultimo loco p. 409. l. 17. legeretur ἀμαρτέως, itidem in ναμερτέως commutandum. Paucis interiectis leguntur sequentia: τουτέως οὖν εὐδαίμονας οἶδα, ὡς ἐμμεν δοκοῦντι, τοῖς τὰν ὥραν αὐταῖς βαλλομένοις ἀπωρίξασθαι. sic videntur ista reficienda: τούτως τέως ὦν εὐδαίμονας οἶδα, ἕως ἔμμεν δοκοῦντι τοῖς τὰν ὥραν αὐτῶν δηλομένοις ὀπωρίξασθαι. hos *Platonis* verbis dixeris τῆς ὥρας καθάπερ πεινῶντας, ex VIII. de LL. p. 837. B. sive, ἥβας καρπὸν ἀνθήσαντ' ἀποδρέψαι ἐθέλοντας, cum *Pindaro* Pyth. IX. v. 192. In *Pindari* Odis huiusmodi verba leguntur sub flexu Dorico plurima; qualia sunt: Κωμάξαι, N. II. 59. Κλεῖξαι, Π. IX. 162. O. I, 176. Καταφαμίξαι, O. VI, 94. Κοιτάξασθαι, O. XIII, 107. Ἀποφλαυρίξαι, II. III, 23. Ἀντιάξαι, O. X, 100. Ὑπαντιάξαι, II. VIII, 13. Quod apud *Hesychium* legitur Ὑπαντάξας, mutandum non est: utrumque enim dicebatur Ἀντάξαι et Ἀντιάξαι. Bis legitur ἀπαντάξαντα in *Archytae* loco, quem evulgavit e Ms. *Al. Morus* ad *Lucae* VI, v. 45. Praeterea frequenter apud *Pindarum* aliosque recurrunt Ὀνυμάξαι, Κομίξαι, Ἁρμόξαι, sive Ἐναρμόξαι, et Συναρμόξαι. In *Alcmanis* verbis apud *Athen.* IV, p. 140. C. legitur Ἁρμόξατο. Ποθαρμόξασθαι in loco *Aesarae* Lucanae apud *Stobaeum* Ecl. Phys. p. 106. v. 12. *Euryphamus* in *Stobaei* Floril. p. 556. v. 13. adhibuit Συναρμοξάμενος, et *Ecphan-*

las p. 352. v. 44. Ἁρμοκταὶ hinc nomen Spartanorum *Harmostarum* derivatum; nam qui vulgo Graecis Ἁρμοσταὶ, flexu Dorico Lacedaemoniis dicebantur Ἁρμόκται. *Histriones* et *mimi* Laconice vocabantur Δεικηλίκται. cum vulgo nomen illud scribatur Δικ. vel Δεικηλιστὴς, genuina forma bis occurrit apud *Plutarchum*, in egregio illo dicto, quo histrionis sese petulantius efferentis superbiam repressit Agesilaus: Ἀλλ' οὐ τύγ' ἐσσὶ Καλλιππίδας, ὁ δεικηλίκτας; T. II. p. 212. F. et T. I. p. 607. D. *Meursius*, Misc. Lac. III. c. VI. utrobique δικηλιστὰς rescribendum censebat, sed sermonis Graeci diversarumque dialectorum analogiam minime habuit Vir Eruditissimus perspectam. Laconicum Δεικηλίκτας ortum a verbo veteri Δεικηλίξαι: has enim formas Lacedaemonii, Cretenses, et Tarentini cum ceteris habuerunt Doriensibus communes. In *Aristoph.* Lysistrata Lacaena v. 92. pronunciavit ξυναλίαξε, Lacon autem v. 1245. ἵνα ὀιποδιάξω· non satis emendate vulgatur ξυναλίαζε. Istiusmodi formae nuspiam plures inveniuntur, quam apud *Hesychium.* Rariora sunt Διπτυχίξαι, Λακιδίξαι, Ἀποῤῥωγαλίξαι, Εὐδραμυλίξαι, Κραγέξαι. Vulgatur apud *Hesychium* Διπτύδιξον, δίπλωσον, sed sine controversia Διπτύχιξον restituendum est, id est, δίπτυχα ποίησον: hoc vidisse credo *Is. Vossium.* Quod suo loco legitur Λακηδίξαι, διαῤῥῆξαι, Graecum non est: sed analogice formari potuit Λακιδίξαι, idque reponendum. Ante vocem Ἀποῤῥῶγας ponitur Ἀποῤῥυταλίξαι, ἀποσπάσαι. Mecum corriges: Ἀποῤῥωγαλίξαι, ἀποσπάσαι. usitatissimum est adiectivum ῥωγαλέος, cuius loco antiquitus etiam ῥηγαλέος vel ῥαγαλέος, et more Aeolico Βρηγαλέος, et Ϝρηγαλέος scripserunt. *Hesychius*: Ὑρωγαλέον, διεῤῥωγός: ibi literarum series postulat Ὑρηγαλέον. supra le-

gitur Τρηγαλέον et Τραγαλέον. diversa est unius vocis facies. Digamma Aeolicum B vel F male degeneravit in T, et T. Ex Italica forte comoedia petitum Ἐσδραμύλιξον, quod *Hesychius* exponit εἴσδραμε. Is praeter plurima similia praebet Κερανίξαι, et Κρανίξαι. Ἀποκρανίξαι adhibuit Auctor epigrammatis Dorici, quod *Küsterus* edidit ad *Suidam* in V. Ἰξὺν. — ῥοπάλῳ

Γυρὸν ἀπεκράνιξε βοὸς κέρας —

sic legendum pro ἀνεκράνιζε. *Suidas* supra: Ἀπεκράνιξε, τῆς κάρας ἀπεχώρισεν. ista recepit *Eustathius* ad Od. Σ. p. 675. v. 15. Huius generis paene nihil apud *Suidam*, perpauca reperiuntur in editis *Leonidae* Tarentini aliorumve epigrammatis. Ab ἄγχι cum potuerit formari verbum ἀγχίσαι, suo flexu Cretenses Ἀγχίξαι dixerunt. *Hesychius*: Ἀγχίξαι, ἐγγίσαι. Κρῆτες. Laconica fuerunt Ἀμβροτίξαι, et Ἀποσοῖξαι. *Hesychius*: Ἀμβροτίξας, ἀπαρξάμενος. Λάκωνες. et Ἀπέσοιξεν, ἀπέσωσε. Λάκωνες. Prioris dictionis origo patet, alterius autem, cum possit videri paulo abstrusior, rationem non magis esse obscuram ostendet similium comparatio. Eiusdem sunt classis verba, πλώζω, χρώζω, σώζω, olim scripta πλώζω, χρωίζω, σωίζω, quod contracta fuerant e vetustis formis, πλοΐζω, χροΐζω, σοΐζω· natis e nominibus πλόος, χρόος, σόος. Verbum illud σοΐζω, a recentiori σώζω obliteratum, ore Laconico pronuntiabatur Σοΐσδω, hinc Ἐσόϊξεν Laconicum, et *Hesychianum* Ἀπεσόϊξεν, ἀπέσωσε. Λάκωνες. Possem similia quaedam ex *Hesychio* congerere, sed malo verbum Laconicum, Grammaticis etiam antiquis ignotum, in lucem protrahere, quodque diu exulavit reducere in suam sedem, nimirum Ἀφηροΐξαι. *Iacobus Sponius* in Miscell. Erud. Antiq. Sect. X. p. 342. vulgavit tres inscriptiones repertas in insula

Santerini, quae olim sub nomine Therae notissima nobilis fuit Lacedaemoniorum colonia De Theraeorum dialecto non protrita tradit *Eustath.* ad Od. T. p. 706. v, 40. In singulis istarum trium inscriptionum verbum illud 'Αφηροΐξαι legitur, nuspiam alibi a me repertum. Primam non gravabor hoc in loco deponere:

Ο ΔΑΜΟΣ ΑΦΗΡΟΙΞΕ ΚΑΙ ΕΤΕΙΜΑΣΕ
ΤΟΝ ΙΕΡΕΑ
ΑΠΟΛΛΟΝΟΣ ΚΑΡΝΗΙΟΥ ΔΙΑ ΓΕΝΟΥΣ
ΑΔΜΗΤΟΝ ΘΕΟ
ΚΛΕΙΔΑ ΠΑΣΑΣ ΑΡΕΤΑΣ ΕΝΕΚΑ ΚΑΙ
ΣΩΦΡΟΣΥΝΑΣ

In tertia earum inscriptionum *Carpus uxorem suam* 'Αφηρόϊξεν· in secunda, filius patrem et uxor maritum 'Αφηρωΐξαν. his longe vetustior videtur prima, qua *Populus* Theraeus *Admetum Theoclidae F. qui iure haereditario Carnei fuerat Apollinis sacerdos, praestantis virtutis gratia sacello honestavit.* 'Αφηρόϊξε καὶ ἐτείμασε, significat ἡρῴῳ ἐτίμησε, sive sepulcrum sepimento cinxit, atque adeo partem agri sacravit Admeto et ἐτεμένισε, ipsumque sacrificio anniversario veluti Heroa honorandum decrevit. Quod ex: gr. de Brasida *Thucydides*, V, c. XI. οἱ 'Αμφιπολῖται, περιέρξαντες αὐτοῦ τὸ μνημεῖον, ὡς ἥρωΐ τε ἐντέμνουσι καὶ τιμὰς δεδώκασιν ἀγῶνας καὶ ἐτησίους θυσίας. uno verbo dixeris, Brasidam 'Αφηρωΐσαν. Sicuti a πατρώϊος et πατρῷος, Πατρωΐζειν et Πατρῴζειν ita, ab ἡρώϊος et ἡρῷος ortum, 'Αφηρωΐζειν et 'Αφηρῴζειν e Doricis istis 'Αφηρόϊξεν et 'Αφηρωΐξαν in Lexicis poterit restitui. — Illud forte mireris, in monumentis lapideis, in Sicilia, Creta, aut etiam alibi, ubi Dorice loquebantur, inventis istiusmodi verborum formas Doricas adeo raras reperiri, communes frequentius. Tabula Sicula apud

Gruterum, quae supra nobis δαιθμοὺς suppeditavit, exhibet p. CCX. v. 8. Doricum ἐργαξεῖται. Legitur p. CCXII. v. 40. 52. 57. et 59. ὀρίτοντος et ὀρίτοντα, in quibus primum putabam literam T duplicandam; nunc suspicor olim exaratum ΟΡΙΞΟΝΤΟΣ et ΟΡΙΞΟΝΤΑ. posito Ξ pro Z. Confer, si placet, *Spanhem* de Praest. et U. N. Vol. I. p. 98. Insigne Testamentum p. CCXVI et seqq. Dorica continet non pauca, quae absque eo penitus ignoraremus, sed col. I. v. 14. formam praebet vulgatem κατασκευάσαι. col. V, v. 22. κομιδάσθω· col. VI, v. 4. νενομίσμένα. contra vero quater vel quinquies ad normam Doricam scriptum ἐξοδιάξει, col. V, v. 25. VII, v. 8. 14. 24. quae loca Celeberr. *Hemsterhusio* obversabantur ad Plut. *Aristoph.* p. 111. In elegantissimo Plebiscito Agrigentinorum, quo Demetrium Syracusanum honorarunt, p. CCCI. mendose legebatur ΕΞΟΔΙΑ ΑΙ literam Σ excidisse indicabat *Ant. van Dale* Diss. IX. ad Marm. Vet. p. 771. sed in renovata Gruteriani operis editione recte legitur ἐξοδιάξαι. contra, cum initio decreti legeretur ΕΔΟΞΕ ΤΑΙΑΑΛΙΑΙ, haec perperam exhibet ΕΔΟΞΕ ΤΑΙ ΑΑΙ. deinde errore fabrili positum puto ΤΑΙ ΣΥΝΚΛΗΤΩΙΡΙ. certe non dubito, quin legi debeat: Ἔδοξε τᾷ Ἁλίᾳ καθὼ καὶ τᾷ Συγκλήτῳ: *visum fuit Populo ut et Senatui.* In inscriptione, quae hanc proxime praecedit: Ἔδοξε τᾷ Συγκλήτῳ καὶ τῷ Δάμῳ τῶν Μελιταίων· alias plerumque dicitur τῇ Βουλῇ καὶ τῷ Δήμῳ. In paucis monumentis Doricis, quae *Gruteri* Thesaurus complectitur, huiusmodi verborum nihil, opinor, invenietur praeter ista duo ἐργαξεῖται et ἐξοδιάξαι. Formas aliquot communes dabunt Decreta diversarum Cretae civitatum, quae in Antiquit. Asiaticis vulgavit *Edmundus Chishull*, sed in Aetolorum Decreto p. 105. in fine legitur καταχωρίξαι

et v. 25. τᾶς ἐγδικάξιος. Foedus inter Hierapytnenses et Priansios praebet v. 48. δικάξασθαι. attigit praeter alia Cl. *Alberti* ad *Hesych.* I. p. 242. n. 17. In istam Foederis vetustissimi partem, in Iusiurandum Cretense apud Gruterum p. DV. (quod Foederi subiecit *Chishullus*, diligenter comparandum cum illo Latiorum Olontiis praestito apud *Chishullum* p. 156. cuius partem iam dederat *Reinesius* Inscr. cl. VII. n. 26.) et in alia quaedam monumenta Dorica proximis literis observata nonnulla Tecum communicabo: illa nunc quidem ab instituto me nimium abducerent. Missis itaque illis redire malo ad formas Doricas verborum vulgo in άζω et ίζω desinentium. Tempus istorum verborum praesens a Doriensibus diversimode pronuntiabatur; et ab aliis, et a Siciliensibus, in άσδω et in ίσδω· a Tarentinis in άσσω et in ίσσω; a Boeotis inprimis in άττω et in ίττω, sive etiam in άδδω et in ίδδω, quamvis hic flexus praecipue fuerit Lacedaemoniis usitatus. *Heraclidae* de formis istis Tarentinis observata quantum praestent in hac parte Linguae spectanda commoditatis, cum paucis exponi nequeat, placet subsistere in verbis in άδδω et ίδδω, et emendationes, quae spectent ad hanc partem, nonnullas expromere. Nullam, quam quidem noverim, istiusmodi formam *Plutarchus* nobis subministrabit, plura tamen Laconum dicta, in quibus olim videantur positae: neque etiam alibi, ut opinor, reperientur, praeterquam apud *Hesychium*, (quanquam pleraeque mendis obscuratae latent,) et apud *Aristophanem*, e quo paucissima fuerunt in *Suidae* et *Etymologi* Lexica, et ad alios derivata. Huius generis verba Laconica, quae prostant in *Aristophanis* Lysistrata, a Lampito ceterisque Lacedaemoniis prolata, praeter unum alterumve, de quibus addubito, excitabo. Versus 82. primum praebet Γυμνάδδο-

μαι unicum illud attigit *Eustathius*, ad Od. H. p. 271. v. 39. γυμνάζω γυμνάδω· καὶ διπλασιασμῷ Αἰολικῷ καὶ Δωρικῷ γυμνάδδω· subiungit verba *Aristophanis*. — Μυσίδδειν pro μυθίζειν positum v. 94.

Μυσιδδέτω

Ὅτι λῇς ποθ' ἀμέ.

recurrit v. 1078.

Τί δὴ ποθ' ὔμμε πολλὰ μυσίδδειν ἔπῃς;

in eorum locorum altero scribendum arbitror

Μύσιδδέ τοι

Ὅ, τι λῇς ποθ' ἀμέ.

Quod legitur v. 980. μυθίξαι mutari debet in μυσίξαι sed quum praeterea *Senatus* ore Laconico non videatur dici potuisse γερωχία, locum, prouti videbatur reficiendus, adscribam:

Πᾶ τᾶν Ἀσανᾶν ἐντί γ' ἁ ΓερωϜία,

Ἦ τοὶ Πρυτάνεις; λῶ τι μυσίξαι νέον.

Laconice ἡ γερουσία, secundum usitatam in talibus consuetudinem, dicebatur Γερωΐα, vel, digamma Aeolico interposito, ΓέρωϜία. *Alcman*, quem nostri fuisse λυρῆς ἐλατῆρα Λακαίνης, scripserat teste *Prisciano* p. 547.

Καὶ χεῖμα πῦρ τε δάϜιον.

Dictionibus etiam Homericis non paucis digamma legeremus insertum, si prodiisset *Homerus Bentleii*: vide quaeso Vannum Criticam, p. 395. et Lectiones Lysiacas, p. 703 et 704. Eo autem hoc in loco praetulerim ΓερωϜία, quoniam editiones exhibent γερωχία: alias placuisset Γερωΐα, quam formam ad *Hesychium* illustravit *Kusterus* p. 822. n. 16. hoc ceteris Aristophaneis congrueret. v. 1299.

ἐκλιπῶα Μῶα: v. 1301. κλεῶα. etc. in quibus συ in ω mutato, σ, vocalibus interpositum, fuit eiectum. Ceterum in v. 980. pro μυθίξαι legendum esse μυσίξαι, Tu minime dubitabis. Illud vero miror, cum saepissime fuerit is Laconismus, quo σ pro ϑ ponere sueverant, alibi obliteratus, genuinas formas in *Aristophanis* Lysistrata plerumque semper fuisse conservatas; sunt enim admodum pauca, veluti v. 1258, ϑαγόντας. v. 1254, ϑείκελοι. v. 1063, ϑίγειν. v. 91, Κορινϑία, quae debeant ad eandem normam reformari, in σαγόντας, σείκελοι, σίγειν vel σίγην. Κορινσία. neque enim scripsisset Κορινϑία, qui v. 1259. posuit ἥνσει, alibi Ἀσάναν et Ἀσαναίαις. σίγειν pro ϑίγειν invenit in Ms. *Kusterus*, qui recte vulgavit v. 1082. 1083. σείκελ — ἐλσὼν — σέτω. Ex his unum, sed alia huius generis plurima, habet *Hesychius*: Σίγη, ϑίγγανε. Λάκωνες. ubi legi poterit Σίγην, ϑιγγάνειν, sive Σίγε cum Cl. *Albertio* ad *Hesych.* p. 695. n. 4. qui nonnulla etiam attulit p. 1454. n. 26. Haec prodeunt insigni *Thucydidis* loco emaculando. In pacis legibus, quas Lacedaemonii per Licham Argivis proposuerunt, haec leguntur apud *Thucydid.* V. c. LXXVII. περὶ δὲ τῶ σιῶ, σιμβατόσαιμεν λῆν τοῖς Ἐπιδαυρίοις ὅρκον, δῶμεν δὲ αὐτοὺς ὀμόσαι. Bene sit Viris Praestantissimis, qui, praeter cetera, varias Codicum lectiones nobiscum communicarunt: pro συμβατόσαιμεν Basil. praebet συματώσαιμεν· Cassclanus σύματος ἔμεν. illud σύματος, pro ϑύματος Laconico more positum, veram huius loci scripturam, aut verae proximam patefecit; certe non negabis vulgatis multo meliora esse sequentia, e vestigiis corruptae lectionis haud difficulta eruta: περι δὲ τῶ τῶ Σιῶ σύματος, ἔμεν λῆν τοῖς Ἐπιδαυρίοις ὅρκον, δόμεν δὲ αὐτὼς ὀμόσαι. Graece diceres περὶ δὲ τοῦ τοῦ Θεοῦ

θύματος τιθέναι ἐθέλειν τοῖς Ἐ. δ. Coniecturam ab hac in nonnullis diversam Codex Arundelianus, in quo pro συμβατόσαιμεν tantum σύγματος legebatur, subministravit: illa scriptura considerata, credidi voces αὐτοὺς δὲ ὀμόσαι, τὰς πόλιας cum sequentibus esse conglutinandas, quaeque praecesserant hac posse ratione restitui: περὶ δὲ τῶ τῶ Σιῶ σύματος, λῆν τῶς Ἐπιδαυρίως ὀρκιδδέμεν. *ad sacrificium Apollini debitum exhibendum velle se Epidaurios obstringere iurisiurandi religione.* articulus τῶ semel male fuerat positus: nam hoc quidem dubium non videtur quin recte correxerim, περὶ δὲ τῶ τῶ Σιῶ σύματος. Religionis quippe neglectum Argivi speciosam habuerant Epidauriis belli inferendi causam: *Thucydides* supra, cap. LIII. Ἐπιδαυρίοις, inquit, καὶ Ἀργείοις πόλεμος ἐγένετο, προφάσει μὲν, περὶ τοῦ θύματος τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ Πυθαιέως sic scribendum pro Πυθέως. De Apolline Pythio nihil habebant causae cur essent solliciti; de suo cogitabant Argivi: Apollo Πυθαεὺς vel Πυθαιεὺς, a Lacedaemoniis, sed ab Argivis eximia religione colebatur. *Hermionenses* teste *Pausania* II, p. 194. τὸ τοῦ Πυθαέως (Ἀπόλλωνος) ὄνομα μεμαθήκασι παρὰ Ἀργείων, et p. 197 traditur, Asine solo aequata reliquisse tamen Argivos templum Apollinis Πυθαέως. *Pausaniae* verba *Meursius* attulit Attic. Lect. IV. c. II. Cum itaque satis constet σύματος esse *Thucydidi* reddendum, de ceteris iudicabis. Ipsa Foederis formula, quam *Thucydides* prodidit memoriae c. LXXIX. praebet formas verborum communes ἐρίζοι et δικάζεσθαι: sed hoc in fine positum forte mecum videbitur in δίκας ἔσεσθαι transmutandum. Pro ἐρίζοι libenter posuerim ἐρίδδοι. Vidimus ex *Aristophanis* Lysistr. Γυμνάδδομαι et Μυσίδδειν: nunc reliqua persequar. — Ποτόδδει legitur v. 206.

Καὶ μὰν ποτόδδει γ᾽ ἀδὺ, ναὶ τὸν Κάστορα.

Apud *Theocritum* ὅσδεν et ποτόσδεν reperitur; ποτόδδει Laconice scribere potuit Comicus. Credibile tamen videtur, illud hoc quidem in loco correctoribus deberi, in quo olim scriptum fuerit ποτόμφει. *Hesychius:* Ποτόμφει, προσόζει. Recte *Salmasius* contulit, quod supra legitur: Ὄμφα, ὀσμή. Λάκωνες. *Timachidas* apud *Athen.* XV. p. 682. C. τὸ ῥόδον φησὶ τοὺς Ἀρκάδας καλεῖν Εὐόμφαλον, ἀντὶ τοῦ εὔοσμον. ubi *Casaubonus Hesychii* meminit. — Quod *Hesychius* habet Ψιαδεῖν, παίζειν, sine dubio corrigendum in Ψιάδδειν: reperitur in hoc nostro Dramate v. 1304.

Τοὶ δὴ παρ᾽ Εὐρώταν ψιάδδοντι.

Versus 1319. praebet παραμπυκίδδεται. Versu 1315 mentio fit

Βακχᾶν
Θυρσαδδωᾶν καὶ παδδωᾶν.

Kusterus scribendum putabat παιδδωᾶν atque ita legisse videtur Scholiasta bina ista explicans θυρσαζουσῶν καὶ παιζουσῶν. mihi vero παδδωᾶν in παλλωᾶν omnino videtur commutandum: Βάκχαι θυρσάζουσαι καὶ πάλλουσαι *Bacchae* dicuntur *thyrsos leves vibrantes.* Quandoquidem *Aristophanes* in his sibi constat, mireris in v. 1116. reperiri Βλιμάττομες secundum observata *Heraclidae* Βλιμάττω, pro βλιμάζω positum, tribuendum potius esset Boeotis, quam Laconibus: verum constat Boeotos aliosque etiam adhibuisse formas istiusmodi verborum in δδω. praeterea verba in ττω habuerunt et alii cum Boeotis communia: Ἀγκυρίττει Cretensibus adscribit *Hesychius*, apud quem eiusdem classis reperiuntur Ἀφοπλίττονται. Λαγαρίτ-

τεταὶ. Δηρίττειν. Μασχαλίττει. etc. — Verba autem huiusmodi in δδω Megarensibus etiam tribuit *Aristophanes* et Boeotis. In Acharnensibus Megarensis dixit v. 734. χρήδδειν vel χρήδδεν, pro χρήζειν·

Πότερα πεπρᾶσθαι χρήδδετ' ἢ πεινῆν κακῶς;

ad eamdem rationem v. 823. ubi legitur Φαντάζομαι, olim posuisse videtur Φαντάδδομαι. Grammaticus recentior, cuius notas aliquot Etymologico interseruit *Fred. Turrisanus*, p. 447. v. 41. Θερίδδειν, inquit, ἀντὶ τοῦ θερίζειν, Βοιωτικῶς παρὰ Ἀριστοφάνει. respicit ex Acharn. v. 946. ubi loquitur Boeotus:

Μέλλω γέ τοι θερίδδειν.

Formam Thebanam mendose scriptam *Hesychius* in Lexicon suum recepit, suoque errore traxit *Casaubonum*: ubi cogitaveris, pro vulgari κρίζω Boeotice dici debuisse κρίττω, vel κρίδδω, non dubitabis errorem *Hesychii* corrigere, et pro Κριαδέμεν rescribere: Κρίδδέμεν, γελᾷν· Βοιωτία δὲ ἡ λέξις. Locus, quo pertinet ista glossa *Hesychii*, *Strattidis* est e Phoenissis, conservatus ab *Athenaeo* XIV. p. 622. A. exemplis allatis Comicus ostendit, dictiones Thebanos usurpare ceteris Graecis penitus inusitatas, ipsos quippe τὴν σηπίαν vocare Ὀπιτθοτίλαν,

Τὴν ἔνθεσιν δ' Ἄκολον· τὸ γελᾷν δὲ Κριδδέμεν.

sic legendum pro vulgatis τὸ γελᾷν δὲ ἐκκριδδέμεν. *Casaubonus Strattidis* versum ex *Hesychio* censuerat reficiendum p. 895. Formae Laconicae in άδδω et ίδδω cum essent ex *Aristophane* notae, mirum est, cur non ἀτίμαδδε posuerit *Salmasius* in La-

cedaemoniorum Senatusconsulto, qui de Hellen. p. 82. solus in illo restituerat τὰν κισάριξιν: namque κιθάρισιν scripserant *Leopardus* Emend. VIII. c. XIV. et *Scaliger* ad *Manil.* p. 426. κιθάριξιν *Casaub.* Anim. in *Athen.* VIII. c. XI. *Ismaël Bullialdus*, qui illud notis in *Theon. Smyrn.* subiecit p. 295. et *Edm. Chishull.* Antiq. Asiat. p. 128. Sed ista si valeret ratio, in nonnullis Laconum dictis apud *Plutarchum* hae verborum formae possent restitui; quas *Hesychius* nobis plurimas praeberet, nisi aut is in libros incidisset mendosos, aut eius etiam scriptura magis esset depravata. Quantum commemini, unicum tantum huius generis reperitur apud *Hesych.* emendate scriptum, quod *Salmas.* attulit in *Plin.* Exerc. p. 1280. D. Φαιρίδδειν, σφαιρίζειν. In Φουαδδεῖ, quod sequitur proximo, accentus tantum mutari debet; scribendum enim Φουάδδει, σωμασκεῖ. quod pronuntiatione tantum distabat a Βουάδδει. Supra legitur Ἐκπετριαδεῖν, παχύνειν ἱμάτιον· Λάκωνες. sed corrigendum: Ἐκπετριδδειν. *Hesychius* habet Περιπετρίζεσθαι. Verbum Κωμάζει haec nota antecedit: Κωμαδεῖν, ὀρχεῖσθαι. non dubitabis literam interserere, legendo Κωμάδδειν. idem remedium adhibendum in Οἰκιδεῖν, καθῆσθαι. vetus lectio fuit Ὀκίδδειν. Sub eadem litera prostant hae binae glossae Ὀμηριάδειν, ψεύδεσθαι, et Ὀρχίλλει, ὅρκον ποιεῖ, ὀμνύει. verba sic scripta recepit in Indicem Thes. *H. Stephanus.* Pro Ὀρκίλλει sine controversia legendum Ὀρκίδδει· neque hoc officit coniecturae, quam supra posui: potuit enim isto significatu a Poeta poni Ὀρκίδδει, tametsi Lacedaemonii Ὀρκίδδειν vel Ὀρκιδδέμεν eodem adhibuerint sensu, quo Graeci vulgo verbum ὀρκίζειν. Sicuti Ἐκπετρίδδειν in Ἐκπετριαδεῖν, ita Ὀμηρίδδειν apud *Hesychium* transierat in Ὀμηριαδεῖν. Plurima supersunt apud *He-*

sychium, sed pleraque talia, quae non nisi perita manu rite possint tractari. De illis acturum se pollicitus est Vir Summus, quocum huius generis nonnulla communicaveram. Diversis locis leguntur: Μωδεῖ, λαλεῖ, ᾄδει. et Μουσιαδδεῖ, *λαλεῖ*, *ὁμιλεῖ*. Putabam unius verbi *μουσίζειν*, a *Musis* derivati, formas in illis latere diversas. Sed monuit me *Hemsterhusius*, pro Μωδεῖ recte quidem correxisse me Μαίδδει vel Μωΐδδει. sed Μουσίδδει, significans *λαλεῖ*, *ὁμιλεῖ*, more Laconico positum pro *μυθίζει*. qua de re non censebis dubitandum. Cum singulae correctiones copiosius potuissent firmari, in una, pace Tua, morabor aliquantulum. Vulgatur apud *Hesychium*:

Ἐπεβαλλομένη, ἐνθεαζομένη.] Vbi haec leguntur, series literarum poscebat Ἐπηβ. hoc si vulgatae lectionis sedem occupasset, difficulter genuina veteris Grammatici scriptura potuisset erui. Simul atque in mentem venit literas etiam β et υ frequenter permutatas, emendabam Ἐπευαδδομένη, ἐνθεαζομένη. Certissimam esse correctionem e Carissimi Doctoris literis intellexi, qui eandem dudum detexerat. *Commotis excita sacris Thyas*, *Euripidi* in Bacchis v. 1092: θεοῦ πνοαῖσιν ἐμμανής, Laconice dicta fuerat Ἐπευαδδομένα, quae diceretur in sermone vulgari ἐπευαζομένη, vel ἐνθεαζομένη. Tales in evantium thiaso

lymphata mente furebant
Evoë bacchantes Evoë, capita inflectentes.

Scopae saxeam Bacchantis effigiem laudat *Glaucus*, Anthol. IV. c. III. ep. 5.

Ἁ Βάκχα Παρία μὲν, ἐνεψύχωσε δ' ὁ γλύπτας

Τὸν λίθον· ἀνθρώσκει δ' ὡς βρομιαζομένα.

Ista βρομιαζομένα proxime accedit ad nostram Ἐπευαδδομέναν. *Hesychianum* ἐνθεαζομένη de Semele legitur in *Schol.* ad *Apollon. Rhod.* I, 636. qui, καὶ τὴν Σεμέλην, inquit, Θυώνην καλοῦσιν, ἐπειδὴ Αἰσχύλος ἔγκυον αὐτὴν παρεισήγαγεν οὖσαν καὶ ἐνθεαζομένην. ubi corrigi debet: παρεισήγαγε θύουσαν καὶ ἐνθεαζομένην. — Bacchantium ululatus in libris scribitur εὐοῖ, εὐὰ et εὐάν. Εὐοῖ σαβοῖ legitur in loco *Demosthenis*, quo ad verbum εὐάζειν usus est Celeberr. *Wesselingius* ad *Diodor. Sic.* I, p. 248. Credo lectum alicubi Εὐὰν σαβὰ, quod apud *Hesychium* degeneraverit in Εὔσαμα. Verbi frequenter obvii compositum Ἀνευάζειν, usurpatum a *Lycophrone* v. 207. veterum locis firmavit *Iac: Gronovius* ad *Arrian.* p. 198. Ἐπευάζειν ante erutam Ἐπευαδδομέναν potuisset in *Stephani* Thesauro locum reperire, obvium in *Orphei* Hymno LXXVIII. et leviter corruptum in H. LXVIII, 6. in cuius v. 1. εὐάστειραι recte reposuit *Dan. Heinsius* ad *Sil. Ital.* I, 101. eodem titulo Nymphae designantur H. L. v. 8. Ipsum Bacchum laudat *Orpheus* velut εὐαστῆρα H. XXIX. et *Leonides*, Anth. VI, c. VII. ep. 10. In Hymno LII. dicitur Bacchus σὺν εὐζώνοισι τιθήναις Εὐάζων. Apud *Plutarchum* Sympos. IV, 6. p. 671. C. leguntur veteris Poëtae verba: εὔϊον ὀρσιγύναικα μαινομέναις ἀνθέοντα τιμαῖσι, Διόνυσον. et in Lib. de Exilio p. 607. C. paulo aliter collocata: Εὔϊον ὁ. Διόνυσον μ. ἀ. τιμαῖς. quae hac ratione censebam reficienda:

Εὔϊον ὀρσιγύναικα Διόνυσον,
Μαινομέναις συνθέοντα τιθήναις.

in *Sophoclis* Oed. Col. v. 675. Bacchus celebratur θείαις ἀμφιπολῶν τιθήναις, quem in Oed. Tyr. v.

220. dixit Εὔϊον Μαινάδων ὁμοστόλον. Quando saepius *Orphei* mentionem feci, non erat praetermittendum, in *Orphei* Precibus ad Musaeum v. 34. mendose legi συνευστατῆρας. Corrigamus:

Καὶ Σεμέλην, Βάκχου τε συνευαστῆρας ἅπαντας,
Ἰνώ, Λευκοθέην τε, Παλαίμονά τ' ὀλβιοδώτην.

Sed tandem tamen desino. Vale, Vir Nobilissime, et epistolam verbosam, aut, si mavis, dissertationem, Tibi inscriptam, aequi bonique consule.

